OPUSCULA PETRI DE MARCA ARCHIEPISCOPI PARISIENSIS, NUNC PRIMÙM...

Pierre : de arcivescovo di Parigi
Marca (arcivescovo di...

Digitized by Google

BIBLIOTECA VITT. EMANUELE
FONDO TORINESE
37
17 A
24

Digitized by Google

OPVSCVLA
PETRI
DE
MARCA
ARCHIEPISCOPI
PARISIENSIS,

Nunc primùm in lucem edita.

PARISIIS

Apud FRANCISCVM MVGVET Regis & illuſtriſſimi Archiepiſcopi Pariſienſis Typographum.

MDCLXXXI.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO
DOMINO D.
FRANCISCO HARLÆO
ARCHIEPISCOPO
PARISIENSI.

MAGNOPERE *peccare mihi viderer*, ILLVSTRISSIME DOMINE, *si opuscula isthæc illustrissimi viri Petri de Marca Archiepiscopi Parisiensis emissurus*

in publicum, ea alteri dedicarem quàm tibi, qui & olim præcipuo quodam amicitiæ vinculo illi junctus eras, & magnæ Ecclesiæ, cui ille secundùm sapientissimi Regis judicium præfectus à summo Pontifice fuerat, gubernaculum tenes summa cum omnium laude. Accedit ad hæc quòd cùm ego tibi multis nominibus addictus obstrictusque sim, tuque altiori in fastigio constitutus sis quàm ut ulla par gratia referri tibi à me possit, velim tamen, si fas fuerit, aliquod grati animi mei testimonium extare, nihil à me convenientius huic meo instituto fieri posse arbitratus sum quàm si id effecero per occasionem editionis alicujus eorum librorum quos in vulgus dare decrevi. Cùm verò investigarem ecquemnam potiùs eligerem, qui & testis esset meæ in te ob-

ſervantiæ & non indignus qui tibi offerretur, venit in mentem ut iſtas diſſertationes clariſſimi & eruditiſſimi deceſſoris tui, quas ille veluti ſupremis teſtamenti tabulis apud me moriens depoſuit opportuno tempore publicandas, ſub felicibus tui nominis auſpiciis evulgarem. Exiſtimo autem illum, ſi, ut plerique putant, animæ beatorum hominum è cœlo vident quæ heic à nobis aguntur, non ſolùm non improbare hoc factum meum, ſed etiam comprobare, dum videlicet repetit res à te præclarè ob ejus oculos geſtas & amicitiam quæ inter vos fuit dum beata illa anima corpore mortali veſtiebatur. Videt vir omnis divini humanique juris callentiſſimus nihil tam æquum ac rationi conſentaneum eſſe quàm ut deceſſoris bona perveniant ad

ſucceſſorem. Cujuſnam igitur nomen potiùs quàm tuum, VIR ILLVSTRISSIME, *inſcribendum eſſet in fronte iſtorum opuſculorum, ſanè non video. Nam ſi illorum præterea, ut par eſt, argumenta ſpectentur, ſunt omnia de rebus ſacris & ad religionem ſummi Dei pertinentibus, adeoque digna quæ magno ſacrorum antiſtiti offerantur, tibi inquam*, ILLVSTRISSIME DOMINE, *qui principalem Gallicanæ Eccleſiæ cathedram tenes, & qui reconditioris eccleſiaſticæ eruditionis myſteria facili & erudita manu tractas, univerſiſque viam commonſtras quam ſequi oporteat eum qui in hujuſcemodi ſtudiis progreſſum aliquem facere velit. Non loquor de pietate tua in Deum, de caritate erga gregem in quo te ſpiritus ſanctus po-*

Digitized by Google

fuit ad regendam Ecclesiam Dei, non de fide in Principem, neque de ceteris virtutibus tuis, quæ multæ & magnæ sunt, neque demum de illa morum facilitate quæ tibi conciliat omnium qui ad te accedunt reverentiam & amorem. Sileo tot tua illustria facinora in conventibus Episcoporum Gallicanorum edita, in quibus toties præsedisti ut te optimo jure conferre liceat cum magno illo Osio Episcopo Cordubensi, quem sanctus Athanasius Episcopus Alexandrinus testatur omnium ætatis illius synodorum ducem & antesignanum fuisse, multos à veritate aversos in suam sententiam pertraxisse recta tuendo, ac vix ullam tum fuisse Ecclesiam quæ non præsidentiæ illius pulcherrima monumenta retineret, quem nullus

Athanas. apolog. de fuga sua pag. 703. edit. Paris.

mœstus adiit quin lætus abierit, à quo nullus quicquam postulavit quin postulatum obtinuerit. *Vides*, ILLVSTRISSIME DOMINE, *tecumque omnes videmus imaginem tuam in his Athanasii verbis; ut necesse non sit ea per partes explicare, sed ad ea digitum intendisse sufficiat. Itaque supersedeo, & ad institutum meum redeo, ad opuscula nempe clarissimi decessoris tui, quorum hanc editionem te obsecro uti tuo favore prosequaris. Deus te per multa tempora servet incolumem ad laudem & gloriam Ecclesiæ suæ sanctæ & ad patrocinium virtutum ac literarum.*

Lutetiæ Parisiorum xv. Kal. Februar. MDCLXXXI.

STEPH. BALUZIUS.

STEPHANI BALVZII TVTELENSIS

PRÆFATIO AD LECTOREM.

I. PVSCVLA isthæc illustrissimi ac celeberrimi viri Petri de Marca Archiepiscopi Parisiensis, quæ nunc tibi damus, lector, aliquammultos per annos latuerunt inter schedas nostras, non quòd ea cum ordine literatorum communicare nollemus, sed quia aliæ editiones istam aliquantisper, ut solet, retardarunt. Nunc ergo tandem prodeunt, & quidem bonis auspiciis. Operæ autem pretium est in his recensendis immorari, ut ostendamus in primis quibus illa tempo-

ribus scripta sint. Sunt enim nonnulla in his opusculis quæ hanc curam & hanc diligentiam expostulare videntur.

II. Opusculum igitur primum, in quo tractatur de stemmate sive de genealogia Domini nostri Iesu Christi, scriptum fuit Barcinone anno MDCXLIX. Kalendis Ianuariis; secundum verò, in quo agitur de adventu Magorum ad Christum, Lutetiæ Parisiorum anno MDCLIV. VII. Idus Ianuarias. Adnotavit autem auctor in margine extemporaneam fuisse scriptionem.

III. Tertium quod heic sequitur opusculum, *De singulari primatu Petri*, scriptum est occasione gravissimæ quæstionis de duplici capite in Ecclesia, quæ anno MDCXLVII. mota est in Gallia, plerisque unicum tantùm caput, videlicet beatum Petrum, in ea constituentibus, quibusdam verò censentibus Paulum

quoque Eccleſiæ caput cum Petro fuiſſe. Cùm hæc quæſtio diſtraheret in partes ingenia hominum eruditorum, Innocentius Papa X. à Marca impetravit exercitationem illam *De ſingulari primatu Petri*, quam is ſcripſit Barcinone V. Kalendas Iunias ejuſdem anni. Ea porrò ſic placuit Innocentio ut eam publicè legi juſſerit, atque hinc ſingularem quandam de Marcæ in ſedem Romanam propenſione acceperit opinionem.

IV. Diſſertationem de diſcrimine clericorum & laicorum ex jure divino & de forma regiminis à Chriſto inſtituta in Eccleſia ſtatim poſui poſt exercitationem de ſingulari primatu Petri, non quòd eodem cum illa tempore ſcripta ſit, cùm confectam conſtet poſt reditum auctoris ab Hiſpania citeriore & ante annum MDCLVI. quo ego in domum ejus admiſſus ſum, ſed quia ejuſdem ferme argumenti eſt. Porrò illi Marca non im-

posuerat ultimam manum, & plura adhuc supererant dicenda quæ reliquit intacta.

V. Sequitur dissertatio de synodo Sirmiensi plenaria & de Valentis & Vrsacii venia, quam is Barcinone elucubravit anno MDCLI. occasione controversiæ quæ de ea re tum fuit inter duos magnos viros, Iacobum Sirmondum dico & Dionysium Petavium Societatis Iesu duo clarissima lumina. Et Petavii quidem dissertatio edita jampridem fuerat. Verùm quia vis argumentationum illustrissimi Archiepiscopi non satis bene intelligi potest nisi quis statim ad manum habeat ea quæ de hac causa scripta sunt à Sirmondo & Petavio, istius quidem dissertationem visum est recudi debere in calce hujus voluminis, Sirmondi verò diatribas duas, quæ nondum editæ sunt, cum illa conjungere. Harum priorem descripsimus ex autographo Sir-

mondi, quod habuimus à viro clariſſimo Ioanne Garnerio, poſteriorem nobis exhibuerunt ſchedæ humaniſſimi ac eruditiſſimi viri Emerici Bigotii. Porrò illum fructum ex editione illarum diatribarum percipiet eruditus lector quòd facilè deinceps judicare poterit jure an injuria vir clariſſimus Henricus Valeſius pro Petavio adversùs Sirmondum pronuntiaverit. Agens enim de iſta controverſia in annotationibus ad hiſtoriam eccleſiaſticam Socratis lib. II. cap. XXIX. ait : *Scio Jacobum Sirmondum duos libellos ſcripſiſſe quibus Baronii ſententiam adversùs Dionyſium Petavium aſſerere conatus eſt. Sed cùm ipſe eos libellos non ediderit, ſatis oſtendit ſe falſitatem opinionis ſuæ tandem agnoviſſe.*

VI. Ceterùm antequam ab hoc argumento diſcedam, non inutile erit admonere Marcam, quum in ea diſſertatione refert aliquam rem ex operibus ſancti Athanaſii Epiſcopi

Alexandrini, usum fuisse editione Commeliniana, tamenetsi nos in margine adnotaverimus paginas juxta editionem Parisiensem anni MDCXXVII. Sed in primis hæc observatio necessaria est in paragrapho XVIII. pag. 176. ubi Marca adnotat Photinum Episcopum Sirmiensem ambiguè perstringi sub nomine Scotini in confessione synodi Antiochenæ quam refert Athanasius. Nam in editione Commeliniana to. 1. pag. 691. ita omnino scriptum est & in Græco contextu & in interpretatione Latina. At qui Parisiensem editionem adornarunt, putantes heic erratum à librario esse, quia videbant apud Socratem lib. II. cap. XIX. φωτεινοῦ legi, non σκοτεινοῦ, Scotini vocabulum ab eo loco sustulerunt, & Photini nomen pag. 898. reposuerunt. Et tamen, uti etiam observatum à Sirmondo est, legere poterant apud Luciferum Calaritanum in libro *De non parcendo*

delinquentibus in Deum pag. 291. *Photinus Sirmienſium, qui verè dicitur Scotinus.* Et pag. 265. *Quid intereſſe arbitraris inter te & Paulum Samoſatenum vel eum tum ejus diſcipulum tuum conſcotinum?* Gaudet enim Lucifer iſtiuſmodi compoſitione verborum. Hæc porrò oſtendunt quàm periculoſum ſit aliquid mutare in lucubrationibus veterum abſque certa ratione aut auctoritate.

VII. Diatribam de ſynodica epiſtola ſynodi Illyricianæ Marca Toloſæ ſcripſit anno MDCLV. die XXVIII. Iunii. Diſputandi occaſionem dedit vox ὁμοιούσιον repetita in quodam loco illius epiſtolæ, quæ virorum doctiſſimorum ingenia diù torſit. Eam Sirmondus expunxit in ſuâ Theodoreti operum editione. Sirmondum acriter reprehendit Henricus Valeſius in annotationibus ad Theodoretum; & dein ſuam loci iſtius explicationem affert, novam ſanè, ſed

minimè veram. Quare doctissimus amicus noster Ioannes Baptista Cotelerius non dubitavit asserere, etiam post illam Valesii annotationem, non videre se quinam possit esse loci difficillimi sensus, nisi expungatur vox illa ὑποκόπων secundo loco posita. Quæ est sententia etiam illustrissimi Archiepiscopi. Fatendum tamen est, ut Marca adnotat, vetus esse mendum, quod & veteres ferme libri habent & veteres editiones. Sanè præter codices regios quibus usus est Robertus Stephanus, extat etiam in vetustissimo exemplari Græco bibliothecæ Colbertinæ.

VIII. Quo tempore scripta fuerit explicatio canonis quinti primæ synodi Constantinopolitanæ, in quo agitur de tomo occidentalium, sanè compertum non habeo. Illud tantùm scio, elaboratam antequam proficisceretur in Hispaniam Tarraconensem. Ejus aliquam partem exhibuit

buit auctor in capite quarto libri primi de concordia ſacerdotii & imperii. Nos verò de eo quoque argumento nonnulla dicemus in tomo primo novæ noſtræ collectionis Conciliorum.

IX. Diſſertationem de veteribus canonum collectionibus elaboravit quum in Hiſpania Tarraconenſi gereret munus Viſitatoris generalis. Quare mirum non eſt ſi in penuria librorum qua illic laborabat, coactus eſt uti editione Pithœana breviationis canonum Ferrandi Diaconi, cùm non haberet eas quæ ab Alteſerra & Chiffletio datæ ſunt emendatiores. Hæc porrò diſſertatio, quamvis ſatis longa ſit, non eſt integra, cùm de Conciliis tantùm Africanis in ea ferme agatur. Unde ipſe in epiſtola ad clariſſimum virum Petrum Poſſinum ita ſcribebat anno MDCLX. III. Kal. Ianuarias: *Abſolvere inſtitui diſſertationes meas de veteribus canonum*

collectionibus, opus hactenus intentatum nostris ingeniis, atque etiam exteris.

X. Occasio postulat ut quoniam vir illustrissimus in capite primo istius dissertationis pag. 203. & 204. mentionem fecit vetustissimæ collectionis quæ fuit doctissimi viri Christophori Iustelli, in qua canones Sardicenses sequebantur numeris consequentibus post Nicænos, cùm ea collectio edita sit anni sunt omnino viginti, historiam illius editionis aperiam; quæ neque à quopiam hactenus tradita est, neque ab ullo alio quàm à me scribi verè potest.

XI. Cùm viri clarissimi Gulielmus Voellus & Henricus Iustellus Christophori filius, prior Theologus Parisiensis, alter Calviniani dogmatis sectator, constituissent in unum corpus colligere varios codices canonum ecclesiasticorum olim à Christophoro editorum, & illis addere etiam aliquos nondum editos, in pri-

mis verò quandam collectionem Latinam quam habebant in vetustissimo codice MS. Christophori Iustelli, & Marca tum Tolosæ habitans intellexisset eam editionem maturari, ratus id quod res erat, suppressum fortassis iri canones Sardicenses, (quos, cùm statim sequerentur post Nicænos, Christophorus, adhuc juventa calidus, cultro resecuerat & ad calcem libri rejecerat) ea de re scripsit ad virum superillustrem Petrum Seguierium Galliarum Cancellarium, orans eum uti publicatione horum librorum supersederetur donec ipse Lutetiæ esset. Eò cùm Marca perveniisset IX. Kal. Octobris anni MDCLX. ac typographus urgeret emissionem operis jam perfecti, Voellus & Iustellus non aliter id à Cancellario obtinere potuerunt quàm si Marcæ rationem redderent operæ suæ. Igitur non ita multò pòst ad eum venerunt, & cum illis, qui nu-

per mortuus est, Ludovicus Henricus Fayus Espessæus Abbas sancti Petri Viennensis, in cujus ædibus habitabat Voellus. Primò res acta est magna contentione, Voello & Iustello frendentibus & contendentibus duo vetera folia membranacea quæ ad calcem codicis rejecta erant, in quibus continebantur aliqua fragmenta canonum Sardicensium, non pertinere ad hunc codicem; præsertim cùm folia quinque defieri manifestum esset post canones Nicænos, & illic duo tantùm reperirentur. Sedata tandem illa perturbatione, cùm constitissent hæc duo folia ejusdem magnitudinis esse cum ceteris, ejusdem antiquitatis, ejusdem marginis, ejusdem scripturæ, ac numeratis & collatis cum editione Biniana anni MDCXVIII. lineis &, ut ita dicam, vocabulis quibus opus erat ad supplenda hæc quinque folia quæ deerant ex subscriptionibus synodi Ni-

cænæ & ex canonibus Sardicenſibus, luce clariùs patuiſſet duo illa folia reliqua ex quinque reciſis reponi debere conſequenter poſt Concilium Nicænum, præſertim cùm Marca fidem faceret ita ſibi olim dictum à Chriſtophoro, qui faſſus fuerat ſe adhuc juvenem illa reſecuiſſe impetu potiùs quàm ratione, inter eos convenit ut hæc fragmenta ederentur & ut ſequens præfatio, quam Marca ſua manu ſcripſit, in fronte voluminis poneretur.

Monendus eſt lector amanuenſis oſcitantia, ex cujus apographo ad fidem MS. codicis expreſſo editio iſthæc confecta eſt, accidiſſe ut canones Sardicenſis Concilii ſuo loco, id eſt, poſt canones Nicænos, poſiti non fuerint. Quod editoribus curam impoſuit, recenſendæ editioni & iterum cum manuſcripto conferendæ attentis, ut omiſſionem illam reſtituerent, adjectis hic in fronte collectionis canonibus Sardicenſibus qui ſuperſunt in eo codice; ubi poſt

ſubſcriptiones Nicæni Concilii, & ante canones Gangrenſis, folia quædam deſunt, quæ vetuſtate perierunt; duo tamen ſuperſunt, incipiuntque à canone Sardicenſi XIV. *unà cum ſequentibus uſque ad* XIX. *quos bona fide hic repræſentare editores voluerunt.*

XII. Aliter tamen evenit. Nam cùm evaſiſſent ex ea tempeſtate, aliam viam, Marca inſcio, inierunt componendæ hujus controverſiæ, & fragmenta illa canonum Sardicenſium repoſuerunt poſt Nicænos, addita præfatione quà teſtarentur id ſe ratione potiùs feciſſe quàm ullo indicio aut neceſſitate ex veteri libro petita. Monuerunt ergo maximam partem canonum Sardicenſium cum poſtrema parte ſubſcriptionum Concilii Nicæni injuria temporum periiſſe. Mox addunt: *Quæ tamen ſuperſunt Concilii Sardicenſis fragmenta, poſt Nicænam ſynodum collocavimus. Auctorem namque hujuſce editionis non digni-*

tatem Conciliorum ſed ordinem temporis ſequutum fuiſſe in ſua collectione vero ſimile eſt. Rem totam referunt adveri ſimilitudinem, cùm tamen eis & dictum & oſtenſum ſit ea folia in quibus poſtrema pars ſubſcriptionum Concilii Nicæni & nonnulli canones Sardicenſes continebantur, poſita olim fuiſſe poſt ſynodum Nicænam in codice M S. indeque avulſa à Chriſtophoro adhuc juvene, ne catholici ex eo libro vetuſtiſſimo præſcriberent adversùs hæreticos pro dignitate & auctoritate horum canonum. Dicere debuerant, juxta pacta & conventa, canones illos locis ſuis prætermiſſos fuiſſe & nunc reponi.

XIII. Ne quis verò putare poſſit me totam hanc hiſtoriam gratis comminiſci & nullum illius veſtigium extare, primùm ſcire omnes volo me huic omni concertationi & examini interfuiſſe, penes me habere præfatiunculam ſuprà deſcriptam, & Mar-

cam istius rei mentionem feciſſe in literis quas tum per aliam occaſionem dedit ad Alexandrum Papam VII. & ad Lucam Holſtenium. Deſcribam autem ejus verba ex ea quæ eſt ad Alexandrum. *Iuſtellus pater, Calvinianæ quoque hæreſeos ſectator, codicem canonum Eccleſiæ univerſæ olim publicaverat, omiſsis de induſtria Sardicenſis Concilii canonibus Romani Pontificis poteſtatem diſertè aſſerentibus, ac ſi judicio Eccleſiæ univerſæ à corpore canonum reſciſsi eſſent. Eadem fraude filius canonum collectionem Latinam è codice vetuſtiſsimo his nongentis annis non ſcripto ante meum in hanc Pariſiorum civitatem adventum prælo ſubmiſerat. Statim comperto ab ea abeſſe Sardicenſes canones, quos ſciebam à Iuſtello patre ex ipſo codice reſectos quidem, ſed ad ejuſdem voluminis calcem folia rejecta, non deſtiti quoad tam regiæ poteſtatis comminationibus quàm humaniſsimis precibus poſt canones Nicænos juxta fidem manuſcripti*

codicis Sardicensibus in editione locus suus restitueretur, ne hac diligentia prætermissa, triumpharent hæretici spretam, non solùm à Græcis, sed etiam à Latinis, & præcipuè ab Ecclesia Gallicana, canonum illorum auctoritatem.

XIV. In capite tertio istius dissertationis §. XIII. pag. 219. Marca agit de collectione canonum adornata à Theodoreto Episcopo Cyrensi, de qua jam diseruerat in libro tertio de concordia, conatus etiam eorum objectionibus respondere qui illam Theodoreto abjudicant. Non caret enim res ista difficultate ; ut patet ex his quæ Christophorus Iustellus præfatur in eam collectionem, cujus auctorem esse contendit Ioannem scholasticum.

XV. Capite VI. §. III. citat veterem codicem doctissimi viri Nicolai Fabri ex fide ejusdem Iustelli, qui non admonuit ubinam extaret liber ille. Utar autem hac occasione ut

nonnulla dicam haud satis vulgò comperta de magno illo viro ; qui & frater fuit Guidonis Fabricii Boderiani viri item doctissimi, & Consiliarius regius in curia quam vocant aquarum & silvarum, postremò Ludovici XIII. Francorum Regis præceptor. Satis constat hominem fuisse doctissimum & beneficentissimum, ut etiam ex multis illustrissimi Cardinalis Baronii testimoniis patet. Collegerat ergo ille in suum usum multos antiquissimos codices manuscripos, eosque, quod præcipuum est, evolverat, legerat, manu sua in eis observationes suas scripserat. Hi codices, qui & optimi sunt & antiquissimi, nunc habentur in locupletissima bibliotheca Colbertina, & inter hos etiam ille quem ex fide Iustelli Marca citat, qui fuerat antea doctissimi item viri Claudii Fauchetii. Porrò, præter illum Fabri codicem, alius quoque admodum vetus, qui olim

celeberrimi viri Petri Pithœi fuit, extat in eadem bibliotheca Colbertina, in quo canon ille Africanus iisdem omnino verbis habetur quo editus est ex libro Fabri.

XVI. Dissertationem seu potiùs interpretationem cap. *Clericus*. 3. *q*. 4. olim edidi cum dialogis Antonii Augustini de emendatione Gratiani, in loco sanè non peregrino. At nunc visum est eam conjungere cum ceteris illustrissimi Archiepiscopi opusculis, ne lector eam quærere extra cogatur. Scripta autem fuit in monasterio Murtensi prope Barcinonem anno MDCL. die XI. Maii.

XVII. Dissertatio de patria Vigilantii, cujus nomini celebritatem æternitatemque dedit Hieronymi in eum excandescentia, scripta item fuit in Hispania Tarraconensi, ut omnia ferme isthæc opuscula. Ceterùm de tempore quo scripta fuit non mihi constat. Sanè ante men-

sem Iulium anni MDCLI. oportet fuisse compositam, cùm Marca tum ex Hispania reversus sit in Galliam.

XVIII. Dissertationem de origine & progressu cultus beatæ Mariæ virgini in Monteserrato exhibiti elucubravit anno MDCLI. die decima Aprilis, postridie Paschæ. Postquàm illa heic suo loco edita fuit, accepi ab excellentissimo doctissimoque viro Gaspare de Mendoza Marchione de Mondexar & Comite de Tendilla eam non ita pridem à Stephano Corbera editam Barcinone fuisse ad calcem Cataloniæ illustratæ. Sanè varia illius exemplaria extabant apud homines Hispanos. Nam primò Marca unum reliquerat in Monteserrato anno MDCLI. quod cùm deperditum fuisset, aliud postea misit ad Franciscum Crespum Abbatem Bagiarum, uti dictum est à nobis in libro de vita ejus. Tertium quoque exemplar mi-

sit ad illustrissimum doctissimumque virum Petrum Valerum Diazium I.C. Hispanum, qui nunc rationum regni Neapolitani Præses est & Visitator generalis in regno Siciliæ.

XIX. Quo tempore scriptæ sint dissertationes de origine monasterii Scalæ-Dei & de theca reliquiarum sancti Ioannis Baptistæ, adnotatum est in earum calce. Unum heic monendum, Antonium Archiepiscopum Athenienſem & Iacobum Patriarcham Constantinopolitanum, quos Marca rectè arbitratus est fuisse Episcopos Latini ritus, verè Latinos fuisse, & curiam pontificiam Avenionenſem secutos. Nam quod ad Antonium attinet, ei cognomen Balistario fuit, & ex religioso ordinis sancti Francisci factus est Archiepiscopus Athenarum anno MCCCLXX. VI. Kalendas Aprilis, ut docet Waddingus. Iacobus verò Patriarcha CP. eodem ferme tempore evasit; vo-

cabaturque Iacobus de Itro, natione Gallus, qui postea Hydruntinus Archiepiscopus factus est à Gregorio XI. anno sexto sui pontificatus. Hunc Clemens VII. Cardinalem creavit anno MCCCLXXVIII. die XVIII. mensis Decembris.

XX. Oratio Marcæ habita Barcinone, quæ præcedere debuerat fragmenta, nescio quomodo factum est ut post illa poneretur. Erat ille vir, quod omnes norunt, & in rebus literariis summus & in politicis. Itaque cùm anno MDCXLIV. advenisset Barcinonem supremo illic magistratu functurus, & agnovisset Hispanos artibus suis conari illudere populo per eos qui & confessiones eorum audiebant & publicè proponebant verbum Dei, præcipuè verò per religiosæ quam vocant vitæ professores, eòque jam ventum esse ut & Provinciales eorum vetarent ne quis de rebus publicis loqueretur

in ſermonibus ad populum, & epiſtolam recenter à Roma miſſame ſſe ad Collectorem apoſtolicum illarum partium, in qua, inter cetera, redarguebantur duo concionatores qui palam favere viſi erant rebus Gallicis, hæc inquam omnia quum Marca cognoviſſet, orationem illam in ſuis ædibus habuit ad Provinciales & alios Superiores ordinum religioſorum illius urbis. Scripſit ille die vigeſima menſis Iulii, quo habita eſt oratio, ad virum ſuperilluſtrem Michaëlem Tellierium, qui nunc merito ſuo ſummus Galliarum Cancellarius eſt, eam monitionem ſummo applauſu exceptam fuiſſe à religioſis illis, ac plures eorum proteſtatos eſſe in meliori tunc ſtatu futuras fuiſſe res provinciæ publicas ſi iſta ante biennium præcepta fuiſſent quæ tum Marca ab illis exigebat.

XXI. Iſta nos aut ſimilia olim ſcripſimus ad Agobardum; eodem-

que tempore monuimus hunc semper usum in Ecclesia retentum ut pro Principe oraretur inter mysteria, ejusque inter ea nomen recitaretur. Quod adeo certum est ac constans ut valde mirer hominem plurimæ lectionis Christianum Lupum eò usque progredi ausum esse in tomo quarto suorum scholiorum ad Concilia pag. 425. ut id falsum esse contenderet quod ego de ea re scripsi; cùm si quis verba mea sincerè expendat, & ea componat cum locis veterum à Lupo adductis, facilè agnoscet me nihil falsè locutum esse & Lupum suis se armis jugulare, ceu sumus ostensuri in secunda editione operum Agobardicorum. Porrò quia monueram quendam Fr. Petrum Moliner puerilem admodum declamatiunculam eodem anno Tarracone edidisse adversùs illam Marcæ orationem, & res ista nonnihil adversùm me commovit animum religiosissimi viri, prima fronte constitueram

te conſtitueram edere hanc declamatiunculam in calce iſtorum opuſculorum, ut hinc quivis colligere poſſet falsòne an verè id à me dictum eſſet. Verùm quia illa mihi admodum inepta viſa eſt & abſurda, quippe quæ multum loquentiæ, ut ait ille, ſed parum aut potiùs nihil eloquentiæ aut boni ſaporis habeat, abrupi conſilium meum, ut vitarem juſtam eruditorum ac ſapientum hominum reprehenſionem.

XXII. Fragmenta nos collegimus, & edidimus, ne perirent. Primum, quod inſcriptum eſt *Adversùs ſatyras*, debemus otio quo Marca fruebatur quum Regem, quem juſſus fuerat Lugdunum aſſequi, expectabat in ea civitate anno MDCLVIII. menſe Novembri. Nam ſatyras adversùm ſe annis MDCLVI. & LVII. ſcriptas, quæ quidem erant acerbiſſimæ ac vehementiſſimæ, hactenus contempſerat, gnarus viros graves &

ſerios hæc ſpernere quum eduntur & poſteritatem nihili facere maledicentias quæ proferuntur adversùs magnos viros. Tum verò, quum nihil haberet quod ageret, hanc reſponſionem inchoavit: quæ remanſit imperfecta, quia eodem die Rex Lugdunum advenit quo iſta ſcribebantur, & ſtatim Marca revocatus eſt ad tractationem graviorum negotiorum.

XXIII. Quoniam verò res in libellis illis tractata magnam tunc contentionem excitavit, præcipuè ob quorundam invidiam, qui ægrè ferebant Marcam ſupra ceteros eminere in celebri illo Epiſcoporum Gallicanorum conventu qui anno MDCLVI. Pariſiis habebatur, & propterea has tragœdias adversùs eum excitarunt, res poſtulare videtur ut totius iſtius controverſiæ originem aperiam. Sed antea viſum eſt admonere, tantam fuiſſe optimi viri moderationem, tan-

tum ac tam ſingularem amorem erga inimicos, quos probè noverat, quamvis ſe ſumma cura occultarent, ut non ſolùm noluerit eis nocere cùm poſſet, ſed etiam bona pro malis retulerit, & quidem in negotiis maximi momenti. Non nominabo illos, cùm mortui jam ſint. Mihi ſatis eſt quòd optimi viri benefacta non tacui. Nunc in viam redeo.

XXIV. Anno MDCLV. emerſit heic Lutetiæ libellus Gallicè ſcriptus cum hoc titulo: *L'Obligation des fideles de ſe confeſſer à leur Curé.* Hic eſt famoſus ille libellus qui tum vocabatur ANONYMVS. Adversùs illum eodem anno ſcripſit vir optimus & doctiſſimus Ioannes Bagotius è Societate Ieſu, ſummiſque ingenii viribus oſtendere conatus eſt delegatos Romani Pontificis poſſe confeſſiones Chriſtianorum audire per univerſum orbem terrarum, etiam abſque conſenſu parochorum. Hinc or-

tum maximum certamen inter Bagotium & libelli illius defensores; cujus arbitrium delatum est ad Episcopos tum Parisiis congregatos. Agebatur de auctoritate Romani Pontificis; quam ut Bagotius tueretur, adduxit locum quendam Concilii Florentini, professus se sequi interpretationem quam ei Marca adhibuerat in libro de concordia. Tum prodiit alter libellus cum hoc titulo: *Regles tres-importantes tirées de deux passages, l'un du Concile de Florence, & l'autre de Glaber, rapportez par Monseigneur de Marca Archevesque de Toulouse.* Et hæc quidem anno MDCLVI. evenere. Anno postea sequenti tertius libellus exiit ita inscriptus: *Lettre de l'auteur des Regles importantes à Monseigneur de Marca &c.* Adversùs hunc tertium libellum præcipuè agit istud primum fragmentum.

XXV. Quo loco observanda est in primis modestia & sanctitas opti-

mi viri: qui cùm in libro tertio de concordia Abrahamum Cretenſem doli mali accuſaſſet propter ſubdolam, ut ipſe tum putabat, interpretationem Decreti unionis Eccleſiarum in Concilio Florentino editi, eam invidiam illi poſtea detraxit, quia illi certò conſtitit Abrahamum verſionis illius auctorem non eſſe. Sanè in authentico & originali, ut vocant, illius Decreti, quod extat in bibliotheca Colbertina ſcriptum in charta Latinè & ex adverſo Græcè, hinc bulla plumbea Papæ appenſa, inde chryſobullo Ioannis Palæologi Imperatoris Conſtantinopolitani, diſertè ſcriptum eſt: *quemadmodum etiam in geſtis Conciliorum icumenicorum & in ſacris canonibus continetur.*

XXVI. Vtinam hanc illuſtriſſimi viri modeſtiam imitari poſſet aut vellet is qui nuper famam ejus maledicentiſſima ſcriptione lacerare conatus eſt, amicus olim meus, ſed neſcio

cur nunc factus inimicus, Ioannes Gerbasius Doctor Sorbonicus, & publica retractatione, ut ille fecit erga memoriam Abrahami, deleret convicia quæ in summum virum, alioqui mortuum, absque ulla causa ac necessitate conjecit. Edidit is anno MDCLXXIX. dissertationem de causis majoribus ad caput Concordatorum *De causis*, cui elaborandæ & perpoliendæ insumpsit totos quindecim annos. Et quia Marca in admirabili illo & ab omnibus eruditis laudato opere de concordia sacerdotii & imperii caput illud Concordatorum sic interpretatus est ut fato quodam, sed tamen post totum istud negotium decocto judicio expensum, inciderit in opinionem cui nunc Gerbasius adversatur, iste non ferendum ratus, primò laudat hominem, sed statim subdolus laudator, ut de Ruffino aiebat Hieronymus, crudelissimam & superbissimam satyram adversùs eum scri-

bit, non animadvertens diffidentiam cauſæ eſſe perſonas velle diſcutere, ut aiebat Fortunatianus Epiſcopus Siccenſis in tertia collatione Carthaginenſi. Quod adeo verum eſt ut Auguſtinus Hipponenſis Epiſcopus ſcribens adversùs Petilianum Epiſcopum Conſtantinenſem Donatiſtam, qui relicto negotio principali, Auguſtinum conviciis conſectatus erat, ita eum reprehendat lib. III. cap. I. *Relicto negotio quodammodo publico, privata quadam ſimultate hominis unius vitam maledicis opprobriis inſectatus es, quaſi homo ſit cauſa quæ inquiritur.* Debuerat ſanè Gerbaſius legiſſe docti cujuſdam Doctoris Pariſienſis ac ſocii ſui librum de majoribus itidem cauſis : qui in præfatione ſua, tamquam adversùs Gerbaſium velut prophetico ſpiritu plenus ſcriberet, indignatur quòd quidam Petrum de Marca Archiepiſcopum Pariſienſem, *virum ſcientia, virtute, & dignitate*

ornatißimum, quem in vivis adoraverat, aperto marte poſt mortem oppugnare non metuit, verùm non ſine quadam ignaviæ ſuſpicione. Imbecilli enim eſt militis hoſtem in ſepulchro debellare &c. Sanè & divinæ ſcripturæ & humanæ vetant ne mortuos inſectemur.

XXVII. Quamvis igitur amicus ille olim meus virum magnum ſic atrociter dilaceraſſet ut etiam me teſtem ſuæ calumniæ, quod eſt maximum nefas, faceret, dubitavi tamen an mendacia ejus refellerem; certè diù ſuſtinui, experturus videlicet an eum pœniteret iſtius facinoris. Verùm ne ille longiorem diſſimulationem pro conſenſu interpretetur, ut verbo ſancti Ambroſii utar, hoc quoque dedi meæ in optimum virum reverentiæ ut quæ, ſi de mea tantùm cauſa ageretur, refellere nollem, in ejus gratiam oſtendam non eſſe vera & omni ratione carere. Quod ut ordine procedat, apponam primùm

ipsa Gerbasii verba ex articulo 111. §. v 1. pag. 60. & 61. licèt cum dolore. Videor enim, ita agens, exprobare illi flagitium suum adversùs memoriam summi istarum quas nos profitemur literarum antistitis. Faciam tamen, quia ipse me coëgit. *Fateor igitur*, inquit, *adversari mihi hac in parte illustrissimum Marca; vel potiùs auram illam qua tum ferebatur cùm dissertationem suam composuit de Episcoporum judiciis ac depositionibus. Nemo enim nescit (atque ego ita accepi à viro clarissimo Baluzio, qui studiorum ipsius particeps diù fuit) nemo inquam nescit opus istud ab eo susceptum esse jussu Eminentissimi Richelii, quo tempore Episcopi Galliarum nonnulli probatæ minùs fidei erga Regem regnumque insimulati sunt. Cùm enim designasset Cardinalis Episcopos illos dejicere per commissarios, viamque illam novam insolentemque in Gallis intelligeret, usus est opera viri percelebris Petri Marcæ: qui quidem ut ingenii erat facilis, nec*

auram gratiosam invitus sequebatur, stilum suum Cardinalis Eminentissimi votis haud ægrè accommodavit. Quare mirum nihil est si neglecta antiquitate jus ipse novum excogitaverit, ipsamque Concordatorum legem, quamquam certè repugnantem, ad commenti sui probationem visus est adhibere.

XXVIII. Ac ne quis suspicari posset eam satyram illi inconsideratè excidisse, patere omnibus voluit eam se consultò scripsisse. Quare ut mendacia sua iisdem mendaciis confirmet, ista scribit in articulo x. §. 11. pag. 251. *Observavi enim jam antea qua occasione scripserat illustrissimus Marca de Episcoporum judiciis, nempe ut morem gereret gratumque simul faceret Gallicarum rerum moderatori Richelio, qui quosdam Episcopos quasi majestatis reos tum temporis insequebatur. Mirum itaque nihil est si dissertationem suam in id jus tandem inclinaverit quod potentissimo Cardinali accommodatius gratiusque futurum intelligebat.*

XXIX. Videt clarissimus Gerbasius agere me bona fide neque falsi quicquam illi adscribere. Itaque non poterit conqueri aberrasse me à præscriptione rationis, aut illi ea imputasse quæ ipse neque dixerit neque scripserit, cùm sint ipsissima ejus verba. Nunc ego conqueror de atrocitate facinoris, quòd absque ulla necessitate, absque ullo suo commodo, absque ratione, virum maximum, in summa dignitate olim constitutum, sic *maledicus conviciator*, ut rursum, verba Augustini usurpem, *non veridicus disputator* judicaverit ut accusatoris potiùs partes egerit quàm judicis, non attendens liberum & immunem esse debere à culpa qui alium judicat. Vtinam rectè antea ponderasset hæc verba magni Apostoli: *Propter quod inexcusabilis es, ô homo omnis qui judicas. In quo enim judicas alterum, te ipsum condemnas. Eadem enim agis quæ judicas.* Si virtutes suas & animi dotes

comparaſſet cum virtutibus & dotibus illuſtriſſimi Archiepiſcopi, rurſum vitia (ut ſic dicam propter comparationem) illius in una libræ lance poſuiſſet, ſua verò propria in altera, equidem puto abſtenturum illum fuiſſe ab iniquo judicio quod protulit adversùs memoriam ejus. Præterea cùm ſolus Deus ſit ſcrutator cordium, &, ut Auguſtinus ait contra Creſconium, homo judex interiorum cordis noſtri eſſe non poſſit, qua auctoritate ſibi hanc licentiam attribuit Gerbaſius ut in ſecreta Marcæ penetrare tentet ultra omnem humani ingenii vim ac facultatem? Eadem auctoritate ego Gerbaſium dicere poſſem eſſe hominem ingenii facilis, eloquentiæ profeſſorem, ceterùm contentionis cupidiorem quàm veritatis, cui præponat ubique commoda rationeſque ſuas, & ut illi ſua verba reddamus, auram gratioſam ſequi non invitum, adeoque mirum non eſſe ſi

delirare in meditationibus ſuis & declinare interdum videatur à recta via quam ſequi ſemper oportet virum ſapientiſſimum. Si hæc ego dicerem, exclamaret ille, ſatis ſcio: Cur de me ita judicas? Iniquus es adversùm me. Noli me judicare ſecundùm faciem. Hanc temeritatem nobis interdixit Chriſtus dominus & magiſter noſter; qui cùm malediceretur, non remaledicebat. Sed ſatis querelarum. Lubet enim imitari magnum illum Hipponenſium Epiſcopum Auguſtinum, qui conviciis & maledictis proſciſſus à Petiliano, noluit maledicta reponere, ſed ad eum ita ſcripſit in loco ſuprà laudato: *Proinde ſi & ego tibi vellem pro maledictis maledicta rependere, quid aliud quàm duo maledici eſſemus, ut ij qui nos legerent, alij deteſtatos abijcerent ſana gravitate, alij ſuaviter haurirent malevola voluntate?* Venio igitur ad rem ipſam.

XXX. Ait ergo vir clariſſimus Marcam ſcripſiſſe librum ſeptimum

de concordia, in quo agitur de judiciis canonicis Episcoporum, eo tempore quo Episcopi Galliarum nonnulli probatæ minùs fidei erga Regem regnumque insimulati sunt, quos verò Cardinalis Richelius designaverat dejicere per Commissarios. Hoc enim vocabulo utitur, tamentsi sciat non esse Latinum, ut invidiam creet Richelio & Marcæ, quia novit illud odiosum vulgo esse. Vt verò vanissimæ, quod mox ostensurus sum, fabulæ aliquam auctoritatem addat, me testem producit. Duo itaque, & quidem maximi momenti, mihi incumbunt probanda. Primum, verum non esse quod ait Gerbasius, hoc opus à Marca susceptum esse eo tempore quo Cardinalis Richelius, quem persecutorem Episcoporum vocat, quosdam Episcopos majestatis reos in judicium vocare satagebat. Alterum, neque me hujus rei testem Gerba-

sio fuisse neque esse potuisse. Id verò ita clarè ac perspicuè ostendam ut nemo non sit fassurus in eas angustias redactum esse amicum illum nostrum è quibus se non facilè educet, nisi in auxilium suum advocet miseram quandam interpretationem aut distinctionem.

XXXI. Ad primum quod attinet, sic in primis statuendum est, læsæ majestatis accusatos fuisse quosdam Episcopos Gallicanos anno MDCXXXII. & die octava Octobris ejusdem anni ad preces Ludovici XIII. Regis Christianissimi datos fuisse judices ab Vrbano VIII. Archiepiscopum Arelatensem & Episcopos Bolonienſem, sancti Flori, & Maclovienſem, eisque diplomate regio dato die XVI. mensis Augusti sequentis anni factam potestatem exequendi mandatum illud apostolicum, Episcopos illos reos peractos cathedrisque suis privatos judicio lato anno MDCXXXV.

die ultima menſis Maii, alioſque in eorum locis ordinatos. Ita enim inter nos convenit. Hæc ſi vera ſunt, ut certè ſunt, evidens eſt Marcam non ſcripſiſſe librum de judiciis canonicis Epiſcoporum quo tempore Cardinalis Richelius Epiſcopos illos inſequebatur. quod valde notandum eſt. Ceſſaverat enim jamdiu illa Richelii cura, altoque in ſilentio conſtituta erat Epiſcoporum reorum cauſa quum Marca opus illud aggreſſus eſt. Scriptus eſt enim liber ille ſeptimus anno MDCXL. toto ſexennio poſt finitam cauſam Epiſcoporum, adeoque non illo tempore quo agebatur de eorum dejectione.

XXXII. Quoniam verò articulus iſte, qui eſt graviſſimi momenti in hac mea expoſtulatione, his argumentis probandus eſt quibus contradici non poſſit, afferam auctoritatem ex præfatione mea ad primam

mam editionem librorum de concordia procuratam anno MDCLXIII. quum ego nondum notus essem Gerbasio, quum nondum ille consilium scribendi librum suum cepisset, quum prævidere non possem controversiam aliquando futuram de tempore quo librum illum Marca composuit. Illic ergo tum scripsi librum septimum de concordia fuisse compositum anno MDCXL. idque etiam repetii in secunda editione, quæ anno MDCLXIX. prodiit. Et quamquam hæc testimonia, licèt mea, sint extra controversiam, utpote data tempore non suspecto, addam tamen etiam aliud, reverendi scilicet viri Pauli Fageti, qui tum in domo Marcæ habitabat & amanuensis ejus erat. Is ergo in eo libro quem de vita illustrissimi Archiepiscopi scripsit, quem adire amicus ille noster potest, testatur eum anno MDCXL. ei lucubrationi in-

cubuisse. *Post tam ingens & luculentum opus editum*, inquit, (id est, post editam historiam Benearnensem, quæ anno MDCXL. prodiit.) *dissertationibus tribus, alteri scilicet de Legatis Latinè, duabus verò de Conciliis provincialibus & nationalibus & de judiciis Episcoporum vulgari idiomate scribendis summi Administri Cardinalis Richelii jussu reliquum anni tempus impendit.* Tum paulò pòst rursum confirmat hæc anno MDCXL. fuisse peracta. Certum igitur est tractatum de judiciis Episcoporum non fuisse scriptum ad opprimendos Episcopos, adeoque gravis calumniæ reum esse Gerbasium.

XXXIII. Alterum quod mihi probandum incumbit, illud est, neque me Gerbasio dixisse quæ à me sibi dicta esse ait, neque verò ea me illi dicere potuisse, eo præsertim tempore quo ille ait ita se à me accepisse. Nam primò ego nunquam

ſcivi hunc tractatum à Marca ſcriptum eſſe juſſu Cardinalis Richelii. Quod non diſſimulaſſem ſi quid iſtiuſmodi mihi notum fuiſſet, qui non tacui tractatum illum datum fuiſſe manu ſcriptum Richelio. At ſi non ſcivi, certè Gerbaſio non dixi, præſertim, ut id repetam, eo tempore quo ille ait ita ſe à me accepiſſe. Habeo enim præ manibus epiſtolium ab eo ad me ſcriptum & ſubſcriptum die nona Ianuarii anni MDCLXXX. in quo contendit nullam eſſe cauſam cur conqueri debeam quòd teſtimonium meum uſurpatum ab illo ſit in hac cauſa, præſertim cùm illud mihi invidioſum eſſe non debeat &, quantum ad me attinet, nihil odioſum habeat. Tum addit in diverſa me ſententia ante hoc decennium ſibi viſum eſſe, & eo quidem tempore non ſolùm non improbaſſe hoc illius conſilium de me teſte nominando, ſed etiam ſignificaſſe

mihi non displiciturum si meo testimonio uteretur ad eam fabulam confirmandam.

XXXIV. Igitur illud Gerbasius à me sibi dictum esse contendit anno MDCLXIX. cùm ante decennium id evenisse mihi persuadere velit. At ego lectores oro obtestorque uti judicent verumne esse possit quod ait vir clarissimus, cùm suprà ostenderim & sexennio ante hoc decennium & eo ipso tempore quo ista dicta scribuntur, monuisse me tractatum de judiciis canonicis Episcoporum scriptum à Marca fuisse anno MDCXL. quem tum Gerbasius vult fuisse compositum quum Cardinalis Richelius Episcopos majestatis reos persequebatur. Præterea, quomodo ego Gerbasio dicere potui Marcam ei tractatui incubuisse jussu Cardinalis Richelii, qui nunquam ita vel fando quidem audivi nisi postquam Fagetus id protulit in

publicum. Certè qui per totos ſex annos fui apud Marcam, & qui ſecretorum ejus ac ſtudiorum pro præcipuo illius in me amore particeps fui, quem ſæpe loquentem audivi & de Cardinale Richelio & de tractatu illo, Deum teſtor opt. max. me nunquam ab illo audiiſſe impoſitum ſibi à Richelio fuiſſe onus ſcribendi hunc tractatum. Multò minùs id dixi viro clariſſimo. Et tamen is adversùm me contendit ſe non eſſe mentitum, & ægrè fert me illi hanc notam velle inurere. Ego certè optarem ne me ad hanc neceſſitatem impuliſſet, & ne facinus illud ſuum tueri vellet. Finem autem imponet huic noſtræ concertationi Lactantius, vir omnium ſuo tempore eloquentiſſimus, cujus hæc ſunt verba: *Quid dicam de iis neſcio qui cùm ſemel aberraverint, conſtanter in ſtultitia perſeverant, & vanis vana defendunt.*

Fragmentum tertium, in quo agi-

tur de interpretatione canonis XVII. Ancyrani, heic quoque posuimus, tum ne vel imperfectas illas meditationes doctissimi viri perire sineremus, tum ut ea ratione paulisper recrearemus lectores, qui in tomo primo Conciliorum editionis Labbei pag. 1474. hæc lecturi sunt : *In eam rem dissertationem paraverat vir illustrissimus ac scientiæ canonicæ consultissimus investigator Petrus de Marca Archiepiscopus Tolosanus ad Parisiensem cathedram à Rege nominatus & ab apostolica sede probatus.*

Vale, lector, & his magni viri vigiliis utere cum ea reverentia quam à te exigunt summa ejus merita in Ecclesiam & in rem publicam literariam. Memineris nihil pejus esse animo ingrato ; in quo vitio nihil mali non ineſt, ut ait ille noster Tullius.

CATALOGVS OPVSCVLORVM hoc volumine comprehenſorum.

I. DE ſtemmate Chriſti. pag. 1

II. De adventu Magorum ad Chriſtum, & an Reges fuerint. pag. 46

III. De ſingulari primatu Petri. pag. 53

IV. De diſcrimine clericorum & laicorum ex jure divino, & de forma regiminis à Chriſto inſtituta in Eccleſia. pag. 72

V. De tempore ſynodi Sirmienſis plenariæ, & de Valentis & Vrſacii venia. pag. 155

VI. De ſynodica epiſtola ſynodi Illyricianæ habitæ decreto Valentiniani ſenioris anno Chriſti CCCLXV. pag. 184

VII. Explicatio canonis quinti ſynodi Conſtantinopoli habitæ anno Chriſti CCCLXXI. pag. 192

VIII. De veteribus collectionibus canonum. pag. 201

IX. Interpretatio capitis *Clericus*. 3. *q*. 4. pag. 358

X. De patria Vigilantii. pag. 373

XI. De origine & progreſſu cultus B. Mariæ virgini in Monteferrato exhibiti. pag. 380

XII. De origine monaſterii Scalæ-Dei apud Bigerros in diœceſi Tarbienſi. pag. 394

XIII. De theca reliquiarum ſancti Ioannis Baptiſtæ quæ ſervatur in Eccleſia Dominicanorum Perpinianenſium. pag. 403

FRAGMENTA.
I. Adversùs satyras. pag. 414
II. De advocatione Comitum. pag. 430
III. Explicatio canonis XVII. Ancyrani. pag. 436
IV. Quis sit proprius sacerdos. pag. 440
V. De Presbyteris, ubi ordinandi sint. pag. 442
Oratio habita Barcinone die XV. Iulij anno MDCXLIV. ad Provinciales & alios superiores ordinum religiosorum illius urbis. pag. 444
Itinerarium à Lutetia in Galliam Narbonensem anno MDCLIV. mense Novembri. pag. 448
Apophoretum de vino Frontinacensi in Septimania. pag. 450

ACCEDVNT

IAcobi Sirmondi diatribæ duæ de anno synodi Sirmiensis & de fidei formulis in ea editis. pag. 451. 501
Dionysii Petavii dissertatio de Photino hæretico ejusque damnatione in quinque synodis facta. pag. 463

OPVSCVLA

OPVSCVLA
PETRI
DE
MARCA
ARCHIEPISCOPI PARISIENSIS.

DISSERTATIO
De ſtemmate Chriſti.

I. VARIÆ ab eruditis viris initæ ſunt rationes conciliandi ſtemmatis à Matthæo propoſiti cum eo quod Lucas inſtituit in deſcriptione originis Ioſephi, qui fuit vitricus D. N. Ieſu Chriſti. Inter

quæ duo tam ingens & apertum eſt diſcrimen ut invicem pugnare videantur; cùm Matthæus Ioſepho patrem Iacobum aſcribat, & hujus avos, ſerie non interrupta, ab Abrahamo ad Davidem, ab iſto ad Salomonem, & ſtirpem Iudææ Regum integram uſque ad Salathielem ejuſque filium Zorobabelem ducem deducat: quam deinde ad poſteros Abiudis, qui fuit Zorobabelis primogenitus, protenſam in Matthan ejuſque filio, quem dixi, Iacobo ſiſtit. At verò Lucas ab ipſo generis humani cãpite Adamo exordiens, ad Abrahamum delabitur, & ab illo deinceps ad Davidem pergit. in quo paria facit cum Matthæo. Sed poſtea, omiſſa penitùs Salomonis ejuſque ſtirpis mentione, ad Nathanem Davidis alterum filium deſcriptionem ſuam deflectit, & ulteriùs progrediens, Neri patrem Salathielis & avum Zorobabelis deſignat; ſtatimque deſerto Abiude Zorobabelis primogenito, Rezæ alterius filii à Zorobabele prognati ſtemma continua nepotum ſerie ad Heli terminat, quem Ioſephò patrem tribuit. Ex hac Evangeliſtarum contraria in ſpeciem deſcriptione duos Ioſepho patres affingere neceſſe eſt, & alios avos atque proavos uſque ad Zorobabelem & Salathielem; in quorum

avis eadem pugna reperitur, quos à Davide per Salomonem Matthæus deducit, & Lucas per Nathanem.

II. Non morabor in recensendis, quas antiqui patres excogitarunt componendi adeo gravem de duplici patre Ioſephi controversiam, rationibus, quæ à recentioribus pleriſque diſcuſſæ & partim expunctæ ſunt. Id unum obſervabo, neceſſariam fuiſſe utramque deſcriptionem, ut plenam & integram haberemus originis iſtius cognitionem, ex qua liquidò pateret Iudæis atque gentilibus Chriſtum, cujus in eo ſtemmate majores recenſentur ab Abrahamo & Davide arceſſiti, eum eſſe Principem & Meſſiam quem ex illa duorum procerum ſtirpe proditurum oracula Sacra tam ſeriò ſpoponderant. Neque enim eorum ſententiæ aſſentior qui Matthæum ſic origines ſuas Hebræis edidiſſe, Lucam verò gentilibus, ſibi perſuaſerunt ut ſolis illorum rationibus conſuluiſſe voluerint qui ſcriptioni cauſam dederant. Imò verò utrumque ſtemma ad Iudæorum inſtitutionem æquè ac gentilium omnino pertinet: ſed unum mutuatur lucem ab altero; ita ut quæ in Matthæo minùs eruditis in antiquitate Iudaïca negotium faceſſere poterant, à Luca, qui poſteriùs ſcripſit, planè illuſtrentur.

III. Quare jus regnandi, Abrahamī & Davidis nepoti eximio promiſſum, cùm ad Chriſtum pertinere Matthæus docere vellet, Davidem ipſum ejuſque primogenitum Salomonem ceteroſque Reges Iudæorum invicem ſibi ſanguinis jure ſuccedentes proponit uſque ad Iechoniam & ejus fratres, ſub ipſa Babylonici exſilii tempora. Subjungit ſucceſſionem principatus Iudaïci in Salathiele & Zorobabele; qui quidem procedebant ex ſtirpe Davidis, jureque regnandi hereditate ſibi delato, quantum per Aſſyrios licebat, utebantur. Hoc jus ut à Zorobabele tranſmiſſum fuit ad Abiudem primogenitum ſuum, ita Matthæus hujus Abiudis poſteros ad Iacobum proſequitur; à quo Ioſephus vir Mariæ originem traxit, juxta fidem Matthæi.

IV. Quæ quidem licèt in ſe vera ſint, & jus regnandi ad Ioſephum & Mariam, à Davide repetito initio, tranſlatum probent; attamen quia ſeries generationis naturalis in ea deſcriptione majorum apud Matthæum bis interrupta fuerat, nempe in perſona Salathielis, & demum Iacobi, quorum ille, fictione juris, filius erat Iechoniæ Regis, Iacobus verò, juris quoque fictione, erat pater Ioſephi, neceſſe fuit ut Lucas ex his anguſtiis fideles

eriperet, patremque naturalem Salathielis, tum etiam Ioſephi ediſſereret, eademque opera jus regnandi à Davide deductum rectè per eas perſonas quas recenſuerat Matthæus ad Ioſephum, Mariam, & Chriſtum tranſmitti nos admoneret.

V. Enimverò ſcriptores antiqui de ſolo Ioſephi patre ſolliciti, in conciliatione Matthæi cum Luca laborarunt, quod ad iſtam ſtemmatis partem attinebat. Neque enim Salathielis ducis patrem alium à Iechonia Rege fuiſſe illis ſuboluerat. Quare nec illud Lucæ conſilium, quod propoſuimus, de illuſtranda & explicanda Matthæi deſcriptione integrè conſequi potuerunt. Id unum apud ſe conſtituiſſe Lucam voluerunt, ut doceret Nathanis ſtirpem in Ioſepho unà cum Salomonis progenie coaluiſſe. quod ſignificabat Iulius Africanus in epiſtola ad Ariſtidem. In quo non erat tantum momentum ut Lucæ diligentia requireretur in expandenda Nathanis poſteritate; cùm juxta veterum iſtorum ſententiam nihil ad jus regnandi ſtirps illa contulerit, quod per Salomonem Iacobo patri, ut ipſi volunt, naturali Ioſephi conferri ſcripſerat Matthæus.

VI. Hæc enim apud illos, auctore Africano, invaluerat opinio, cùm Iacobus à Matthæo & Heli à Luca pater Ioſe-

phi dicatur, illum naturalem fuisse, hunc verò legitimum, vi legis, & fictione juris. Quod ex Despoſynorum traditione hoc modo explicat Africanus apud Euſebium. Matthan Salomonidarum ſtirpis ſolus heres uxorem Eſtham cùm duxiſſet, ex ea ſuſtulit filium Iacobum. Matthane mortuo, Eſtha vidua nupſit Melchi ex Nathanis ſtemmate; ex quo ſuſcepit filium Heli; in quo uno Nathanidarum jura collecta ſunt. Heli verò, ducta uxore, cùm ſine liberis deceſſiſſet, Iacobus ejus frater uterinus, legis imperio adactus, viduam conjugem ſibi aſcivit; ex qua Ioſephum ſuſtulit, naturalem filium ſuum, ut Matthæus ſcripſit, ſed vi legis Heli imputandum, auctore Luca.

VII. Attamen hac in parte hallucinatum fuiſſe Africanum viri aliquot eruditione clari ante nos obſervarunt; & Ioſepho aſſignatum à Luca patrem, naturalem fuiſſe, adoptivum verò & vi legis inductum quem Matthæus tradit. Quippe res ipſa docet Matthæo curæ fuiſſe jura regiæ ſucceſſionis in perſonis à ſe deſcriptis contexere, exordio ducto ab Abrahamo, cui promiſſiones primùm factæ ſunt, Lucam verò, qui ab Adamo auſpicatur, ſecutum naturalis generationis ordinem. Quod apertè patet in Salathiele, quem à Iecho-

nia genitum Matthæus docuerat. Sed quia hoc ad principatus ſucceſſionem hereditariam, non autem ad naturæ ſeriem pertinebat, ſuppetias obſcuro alioqui loco tulit Lucas, & contexta Nathanis nepotum ſerie, ad Neri progreſſus eſt verum Salathielis patrem. Idem inſtitutum ſecutus eſt in Ioſephi patre naturali demonſtrando. Legitimum enim & ultimum Salomonidarum heredem Iacobum Matthæus dederat patrem Ioſepho. Sed quia hæc pars ſtemmatis egebat explicatione, Lucas ſimilem priori operam navavit; & naturali Ioſephi patre quæſito, Heli eſſe docuit.

VIII. Quoniam verò vis & veluti arx iſtius probationis, qua contendimus Lucæ ſtudium in eo poſitum ut veros & naturales patres aſſignaret, conſtituta eſt in patre Salathielis demonſtrando, adnotandum eſt Ieremiam cap. XXII. Iechoniæ Regi & deportationem in Babylonium ſolum & orbitatem prædixiſſe, adeo ut nullus ex ejus ſtirpe Davidis ſolium inſeſſurus vel poteſtatem in Iuda nacturus eſſet. Quare ne caſſa ſit oraculi ſacri comminatio, nullo pacto Salathiel ut filius Iechoniæ aſcribi debet; etſi Matthæus referat Iechoniam genuiſſe Salathielem. Gignendi quippe verbum, more loquendi

Hebræis familiari, non ſolùm generationis naturalis ordinem ſignificat, ſed etiam ſeriem ſucceſſionis, ut docuerunt eruditi viri. Quod dicendi genus ut in perſonis privatis mihi videtur durum, ita in regiæ dignitatis ſucceſſione ſua elegantia non caret. Inde illud pſalmi de Davide in regnum evecto: *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Hinc apud profanos auctores dies adepti imperii natalis dicitur. Reſtat ergo ut jus regni hereditarium à Iechonia in Salathielem devolutum ſignificare voluerit Matthæus. Capacem autem hujus recipiendi juris Salathielem docuit Lucas; utpote qui tunc temporis reperiretur caput ſtirpis Nathanidarum; in quem, extincta Salomonis ſtirpe, jura regni Iudaïci & ſpes promiſſionum confluebant. Quod ut faciliùs Lucas evincat; ſubjicit oculis Nathanis poſteros, privatos homines, utpote qui Salomonidarum ſtirpe regnante vixiſſent, continuata ſerie uſque ad Neri patrem Salathielis; ad quem, fideicommiſſo à lege inducto, regia hereditas Davidicæ familiæ tranſlata eſt, & deinde ad filium ejus Zorobabelem Iudaïci populi ducem & αἰχμαλωταρχην.

IX. Pari uſus eſt diligentia Lucas in aſſignando naturali patre Ioſephi, ut conſtans eſſet in ſuo inſtituto, illuſtraret-

que Matthæum, qui jus regiæ ſucceſſionis per Zorobabelis poſteros ex primogenito Abiude prognatos proſecutus fuerat. Sed eorum ultimo Iacobo ſine liberis obeunte, expandenda erat ſeries nepotum Rezæ, qui fuit ſecundogenitus Zorobabelis; ut conſtaret agnationis jure hereditatem in ultimum ſtirpis illius Heli devolutam fuiſſe. quod Lucas egregiè præſtitit.

X. Neque nos ab hac ſententia movere debet Africani auctoritas, cùm futili imò verò etiam inepto nitatur fundamento. Ait ille à Matthæo tradi Iacobum genuiſſe Ioſephum, à Luca verò Ioſephum exiſtimatum fuiſſe patrem Chriſti, Ioſephum autem filium fuiſſe Heli. Sed verbum illud fictionis ad ſolum Ioſephum pertinet, ratione Chriſti, cujus exiſtimabatur eſſe pater, non autem ratione ceterorum qui in eadem ſerie ad Adamum uſque deſcribuntur. Gignendi autem verbum, apud Matthæum, vel ad jus ſucceſſionis à Iacobo ad Ioſephum deductæ pertinet, ut dicebamus ſuperiùs, quamvis in privatis hominibus hæc locutio durior videatur, vel potiùs filium legitimum, id eſt, vi legis adſcriptum deſignat.

XI. Poſſet aliquam moleſtiam faceſſere Deſpoſynorum traditio apud Africanum, qui videntur naturalem patrem

Iacobum agnoſcere, Heli autem legitimum. Sed auſim aſſerere detortam ab Africano in alium ſenſum hac in parte antiquam narrationem, vel ejus rei famam temporis lapſu adulteratam; præſertim cùm Ambroſius lib. III. in Lucam, ſe alium antiquiorem ſecutus auctorem, Heli naturalem patrem fuiſſe ſcripſerit, Iacobum autem legitimum.

XII. Ceterùm qua ratione acciderit ut alter natura, fictione juris alter, Ioſephi pater fuerit, egregiè nos docent iidem Deſpoſyni apud Africanum; quorum auctoritatem elevare conati ſunt quidam è recentioribus, quorum apud eruditos fama eſt illuſtrior. Illi verò, robuſto in ſpeciem argumento, ſibi viſi ſunt hanc fabulam evertiſſe. Quippe cùm habeamus ex Africano Iacobum & Heli patres fuiſſe uterinos ex communi matre Eſtha, Heli autem improlem obiiſſe, Iacobum verò ejus duxiſſe viduam legis imperio adactum, ut demortuo fratri prolem ſuſcitaret, reponunt illi prudenter & acutè legem *Deutero.* XXV. de ſolis fratribus conſanguineis conſtituiſſe ad conſervanda familiarum jura, quæ ex ſola agnatione cenſentur. Fratres autem uterini non ſunt inter agnatos, neque, ut diſertè ſcribit Moſes Maimonides, *in*

cauſa ducendæ patriæ aut hereditatis cernendæ pro fratribus habentur.

XIII. Attamen grave mihi ſemper viſum fuit ab ea traditione diſcedere qua fulti veteres patres gentilium calumnias ob pugnas Matthæi & Lucæ in aſſignando duplici patre Ioſephi diluerunt. Nolo in univerſum reluctari priori definitioni, quæ fratres uterinos ab hereditate fratris & à nuptiis fratriæ viduæ removet. Sed aio ejus regulæ exceptionem dari in ſpecie propoſita; adeo ut, niſi daretur huic exceptioni locus, lex Deuteronomii corrueret. Quare, hoc caſu, exceptio eſt potiùs ipſa legis executio. Fingamus, ut accidit, abſque liberis obiiſſe Iacobum ultimum ex nepotibus Zorobabelis per Abiudem genus ducentibus. Statim jus hereditatis regiæ devolutum eſt ad Heli; non quatenus erat Iacobi frater uterinus ex matre Eſtha, ſed quia ſolus erat heres ex poſteris Zorobabelis per Rezam ſecundo-genitum. Quare cùm Iacobi hereditas ipſo jure tranſlata ſit in Heli fratrem, licèt uterinum, & verbis & mente legis obſtrictus fuit iſte ad ducendam Iacobi viduam: cujus matrimonii onus unà cum hereditatis honore conjunctum fuit, ſi fraternum vinculum intercederet; non diſtinguente lege an ſint uterini vel con-

ſanguinei, dummodo cum iſthoc onere ſit conjuncta hereditas.

XIV. Hujus autem connubii legis imperio initi is erat effectus ut proles edita jure ipſo tribueretur fratri defuncto; adeo ut filius & heres illius cenſeretur. quod ſignificant hæc verba Deutero. xxv. *Suſcipiet eàm* (id eſt, viduam) *frater ejus, & ſuſcitabit ſemen fratris ſui, & primogenitum ex ea filium nomine illius appellabit.* Etenim non eſt horum legis verborum ſententia, ut quidam putant, inter quos Auguſtinus, imponendum filio patris nomen, ſed filium defuncti nomini aſcribendum, dicendumque illius patris filium & heredem. Quam explicationem confirmat Booſus cap. 1 v. libri Ruth, qui fratris ſui Mahalon abſque liberis fato functi viduam Rutham cùm duxiſſet, ait coram concione: *Teſtes vos eſtis hodie quòd Ruth Moabitidem, uxorem Mahalum, in conjugem ſumpſerim, ut ſuſcitarem nomen defuncti in hereditate ſua, ne vocabulum ejus de familia & fratribus & populo deleatur.* Nomen ergo defuncti ſervabatur, dato illi herede & filio, qui in tabulis cenſualibus filius illi adſcribebatur. Ceterùm naturalis quoque patris ratio habita eſt, ut illius etiam filius diceretur, ſicque duorum patrum in ſoli-

dum natus esset ; potiore, ni fallor, patris naturalis nomenclatura, quæ fictioni juris antecellebat. Quod unicè docet ejusdem Booſi exemplum, cujus filius è Rutha fratris Mahalon vidua, non istius appellationem obtinuit. Obedus quippe dictus est. Neque etiam à Matthæo in stemmate dictus est filius Mahalon, sed Booſi. Vnde colligemus Ioſephum rectè dici Iacobi filium vi legis & fictione juris, sed jure sanguinis & naturæ Heli filium indigetandum, atque adeo utrique parenti adsignandum.

XV. Antequam ad secundum disputationis articulum accedam, monendi sumus, ex Africani sententia, Melchi tribuendum esse patrem filio Heli, & avum Ioſepho, apud Lucam; ita ut, hac admissa sententia, duo ex vulgatis editionibus tam Græcis quàm Latinis expungenda sint nomina in stemmate Lucæ, nempe Matthath & Levi, totidemque generationes. Sanè non dubito quin varia fuerit olim lectio apud codices Lucæ, his duo illa nomina omittentibus, unde occasio scribendi Africano Melchi esse patrem Heli, & Irenæo septuaginta duas generationes tantùm apud Lucam agnoscendi, quæ sunt hodie septuaginta quinque, aliis verò exemplaribus duos illos

avos Ioſephi deſcribentibus ab ipſa Gregorii Nazianzeni ætate, qui Matthath & Levi inter Melchi abavum & Heli abnepotem interſerit. Quæ ultima lectio cùm & ipſa vetuſtate juvetur & Latina veteri editione, non eſt quòd viri eruditi in ea ſollicitanda, quæ per tot ſecula obtinuit, ſibi laborandum putent; ut rectè monuit R. P. Roſſinus adversùs Hugonem Grotium & Ioannem Cordeſium.

XVI. Secunda hujus illuſtris controverſiæ diſceptatio verſatur in detegendo Mariæ ſtemmate, à qua Chriſtus ex Davide per carnem ortus eſt, ut monuit Paulus Apoſtolus. Sanè neque Matthæus neque Lucas munere ſuo functi eſſent, ſi Chriſti originem & generis ſucceſſioniſque ſeriem alter ab Abrahamo & Davide, alter ab Adamo exorſi, in ſolius Ioſephi pandendis majoribus hæſiſſent, incurioſiùs obliti Mariæ generis; à qua ſola, non autem à Ioſepho, ſuum genus traxiſſe Chriſtum utrique profitentur. Sciebant à ſe hoc officium Chriſtianis præſtari debere. Quare in ipſo evangelii ſui exordio Matthæus pollicetur ſe Chriſti originem deſcripturum. Non eſt detrahenda fides auctori tam idoneo, nec dubitandum quin promiſſa impleverit.

XVII. Id ſolum inquirendum reſtat,

quem modum consilii sui exequendi tenuerit. in quo veterum & recentiorum ingenia desudarunt. Qua de re nihil video quod certiùs & sinceriùs afferri possit quàm id quod plerique veterum adnotarunt, scilicet apud Matthæum eosdem esse majores Iosephi & Mariæ; adeo ut stemma unius pertineat ad alterum, & per utrosque ad Christum, quamvis diverso gradu. Duo sunt capita in hac definitione. Primum est apertum ex verbis Matthæi, scilicet originem Iosephi eandem esse cum origine Christi, hanc verò per Mariam derivari in Christum, ac proinde ipsius Mariæ avos eosdem esse cum parentibus Iosephi.

XVIII. Alterum caput reticetur à Matthæo, nempe quo gradu distarent à communi stipite Iosephus & Maria, quia res erat illa tempestate omnibus Iudæam incolentibus notissima. Attamen ex Epiphanii, Chrysostomi, & Ambrosii testimoniis confici potest proximiori agnationis gradu invicem conjunctos fuisse. Etenim asserunt illi, ex veteri nempe traditione, se conjugio sociasse Iosephum & Mariam ut parerent legi, quæ puellæ Israëlitidis nuptias cum hereditate paterna, quæ illi contigerat, proximo agnato deferebat, ne bona extra familiam transi-

rent. Quod definitum fuit à Moſe, *Numer. c. ultimo*, in ſpecie illi propoſita; ubi enuptio extra tribum vetita, de ſtirpe & familia debet intelligi, ut rectè à veteribus ediſſertum eſt, tribus nomen ad familias ſignificandas reſtringendo. Vt autem hoc loco familia deſignata intelligatur, exigit ratio legi addita, ne bona avita perpetuo jure ad exteros deveniant. Hinc eſt quòd *c.* III. *Tobiæ* Sara conqueritur quòd pater ipſius filios heredes non haberet, neque verò eſſet frater ei cujus filio ſe uxorem ex lege ſervaret, Iudithæ quoque maritum ejuſdem fuiſſe cum ea non ſolùm tribus, ſed etiam ſtirpis, & familiæ, πατριᾶς αὐτῆς, inquit hiſtoriæ illius ſcriptor. quam vocem, *patriæ*, Ambroſius in noſtræ legis explicatione retinuit. *In Ioſeph origine*, inquit, *eſt etiam origo Mariæ. Nam cùm vir juſtus ſit Ioſeph, utique & ex tribu ſua & ex patria ſua accepit uxorem; nec potuit juſtus facere contra id quod lege præſcriptum eſt. Sic enim habet. Quia unuſquiſque in hereditate tribus ſuæ patriæ adhærebunt filii Iſraël, nec de tribu ad tribum tranſibunt; & omnis filia quæ habet hereditatem tribuum filiorum Iſraël, uni ex populo & tribu patris ſui erit uxor.* Legibus Atticis, quarum pleræque ex legibus Moſis deſumptæ ſunt, idem inveni-

tur

tur constitutum. Vocabatur autem puella talis, sive sola ex asse heres esset patri, sive sorores, non etiam fratres haberet, vulgò ἐπίκληρος, ab ipso Solone ἀδελφεῖπις. Ad quem ejus nuptiæ lege pertinebant, agnatus proximus is dicebatur, ἐπιδικαζόμενος, ut eruditè probat testimoniis Diodori Siculi, Demosthenis, Isæi, Aristophanis, Pollucis, & Terentii Grotius, & nuperus legum Atticarum collector.

XIX. Ceterùm jus istud non pertinuit ad omnes puellas, sed ad eas quæ rerum soli hereditatem adirent. Quippe aliis liberum fuit extra tribum suam nuptias contrahere. Vnde in libro Iudicum c. xxi. tribus ceteræ, quò minùs filias suas nuptum darent Benjaminitis, ostendunt se non lege divina, sed jurisjurandi religione prohiberi. Et David ex tribu Iuda Micholem duxit uxorem, quæ fuit ex tribu Benjaminis, nunquam eo nomine reprehensus. Adjici debet ex Iosepho, potuisse quas vis virgines cuivis Hebræo nubere, si hereditatem sibi delatam repudiarent. Ex superiori observatione colligitur, non solùm ejusdem stirpis & familiæ paternæ fuisse Iosephum & Mariam, sed etiam proxima agnatione invicem conjunctos fuisse, cùm ille istam ducere teneretur uxorem ex lege.

XX. Quonam autem gradu agnationis se invicem contingerent, indicare conatus est Ioa. Baptista Poza Cantaber, Soc. Iesu Theologus, *Lib.* II. *Elucidarii Deiparæ Tractatu* XIII. *c.* I. his verbis: *Deipara & Iosephus, fratrum duorum filii, eisdemque paternis avis gaudebant, aut saltem proavis. quod arbitror esse necessarium ad mentem Evangelistæ.* Sed agnationis gradum illum societatis ejusdem alter Theologus eruditione clarissimus Possinus in Diallactico suo Theogenealogico demonstravit, & reliquas quæ in hoc stemmate occurrunt difficultates diligentissimè discussit. Secutus itaque alterius ex eadem societate eruditissimi viri Bessoni sententiam, liquidis argumentis comprobavit Heli communem patrem fuisse Ioachimi & Iosephi; quorum ille pater, hic vir fuerit Mariæ. Etenim, ut superiùs monui, cùm Evangelistæ Christi genealogiam describendam sibi proposuerint, illud quod agebant egisse seriò pius quisque in animum inducet. Porrò non describent majores Christi, nisi priùs majorum Mariæ seriem ediderint. Eos verò alios à majoribus Iosephi fuisse non significant. Ergo communes censendi sunt ambobus. Vnde sequitur, quemadmodum ex Heli Iosephus prognatus est, ex eodem stipite

Mariam quoque proficiſci. Cùm autem Ioſephus Mariam duxerit, & jus faſque naturale vetet fratrem cum ſorore ſua jungi connubio, neceſſe eſt ut inferiori gradu Maria poſita fuerit, neptiſque illi fuerit ex Ioachimo fratre. Quod ſatis ſignificat Matthæus, qui Ioſephum ſuperiori quàm ſit Maria gradu conſtituit.

XXI. Addamus huic argumento robur aliquod, petitum ex comparatione utriuſque ſtemmatis apud Matthæum & Lucam. Poſita enim priore illa certiſſima definitione, ab utroque Evangeliſta Chriſti majores deſcribi, alia ratione conciliari non poteſt varia eorum deſcriptio quàm ſi dicamus Heli patrem Ioſephi apud Lucam, & Iacobum apud Matthæum, inter Mariæ & Chriſti majores numerari. Etenim ſi ex avo vel proavo Heli procedat linea Mariæ, vel è contrario ex avo Iacobi, alia erit generis ſeries quæ ducit ad Heli vel Iacobum, & ab iis ad Ioſephum. Linea autem illa Mariæ nulla ratione pertinebit ad deſcriptionem majorum Chriſti relatam à Matthæo vel Luca. Scio rectè excipi poſſe, utramque Evangeliſtarum deſcriptionem conciliari admiſſa duplicis patris legalis & naturalis obſervatione in perſonis Heli & Iacobi. Sed cùm iſthæc conciliatio cadat in ſolos Ioſephi patres;

vel illi numerandi erunt inter majores Mariæ & Christi, vel alterius Evangelistæ narratio nihil conferet ad genealogiam Christi. quod absurdissimum esse antea diximus.

XXII. Nihil est quod huic sententiæ objici possit præter jus naturæ; cui videtur injuria fieri si admittantur nuptiæ inter Iosephum patruum & Mariam fratris Ioachimi filiam. Attamen ejusmodi conjugium nec lege Iudæis vetitum, & moribus receptum erat; ut eruditè docuit Possinus. Sic Abraham Saram, fratris sui Arani filiam, uxorem duxit, ut docuerunt Iosephus & Hieronymus. Othoniel Axam duxit fratris filiam *Iudic. c.* 1. Et apud Tobiam c. 111. Sara unigenita patri suo se obstrictam fatetur ex lege ad nubendum nepoti ex fratre nato, si quis extaret. Mardochæus, illo exemplo, filiam fratris sui Ediſſam, Estherem deinde dictam, sibi adoptavit in filiam, ut reddit Latinus interpres, vel ut septuaginta explicuerunt, *despondit eam sibi in uxorem.* Estheris c. 11. Alio jure usi sunt Iudæi in connubiis amitæ vel materteræ cum filio fratris, quæ vetita sunt *Levit c.* XXV. quia cùm uxor sub manu sit & potestate viri, alienum videtur à jure naturæ ut amita, quæ vicem matris implere debet

erga filium fratris, isthac auctoritate dejecta illi subjiciatur. Porrò etsi Romanorum Principum legibus nuptiæ patrui cum nepte sunt vetitæ, ab aliis gentibus absque crimine olim frequentatæ sunt, ut apud Tyrios Iudæis vicinos ex Iustino lib. XVIII. apud Macedones ex Diodoro, Lacedæmonios ex Herodoto, & Siculos ex Plutarcho. Quare non solùm adversùs legis præscriptum non peccavit Maria, patrum Iosephum ducendo; sed contra legem peccasset, nisi eum sibi sociasset connubio.

XXIII. Discutienda nobis restat Græcorum mediæ ætatis narratio, à Ioanne Damasceno tradita, Mariæ patri Ioachimo patrem fuisse Pantherem, huic Barpantherem, Barpantheri verò patrem fuisse Levin, filium Melchi. Quæ fama vitio temporis adulterata, vero tamen commista est. Pantheris agnomentum quin familiæ Iosephi inhæserit, dubitare non sinit Celsi apud Origenem adnotatio; qui ait Mariam concepisse à quodam nomine Panthera, ἀπὸ τινὸς Παν θήρα τοῦ ὀνόματος. quod paganus ille à Iudæis acceperat, in quorum veteribus monumentis Christus filius Panther dicitur. Itaque Panther est gentilitium cognomentum, non autem viri proprium. Quod etiam patet ex Epipha-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

nio, qui Iacobum patrem Ioſephi, apud Matthæum, cognomine Pantherem dictum fuiſſe docet. *Ioſephus*, inquit, *filius fuit τῦ* Ιακὼβ, *ἐπίκλην* ὁ Πάνθηρ *καλυμένυ*. Quare manifeſta eſt Græcorum apud Damaſcenum hallucinatio, quòd familiæ cognomentum pro nominibus propriis avorum Mariæ uſurparint.

XXIV. Sed graviùs peccarunt in eo quòd adversùs vetuſtam traditionem Pantheris cognomen ex linea Melchi à Luca recenſiti deducant, cùm ex Epiphanii longè antiquioris teſtimonio conſtet cognomen illud in familia Iacob coaluiſſe. Ex hac in domum Heli unà cum hereditate agnationis jure tranſlatum fuiſſe dicendum eſt: quod ab Heli aſſumptum, in Ioſephum quoque devolutum eſt. Quare Ioachimi pater uterque Panther dictus eſt, ſeu Iacob, qui legitimus, ſeu Heli, qui naturalis, aſſumpta gentilitia appellatione Iacobi. Ipſius verò pater Matthan, accepto, ſi placet, etiam à progenitoribus cognomine Pantheris, ſive Barpantheris, uſus fuiſſe credi poteſt. Cœperant quippe apud Iudæos, jam à Macchabaïcis temporibus, cognomina quædam gentilitia, à caſu vel alicujus rei memorabilis eventu deducta, in familiis uſurpari.

XXV. Occurrunt præterea quæſtiones aliquot non contemnendæ, tum in ſtemmate à Luca propoſito, tum in eo quod exhibet Matthæus: quæ copiosa diſſertatione indigerent, niſi Patris Poſſini opera factum eſſet ut in iis nobis non ſit valde laborandum. Tres tantùm attingam; quarum prima inquirit quodnam fuerit conſilium Matthæi in dirigendo ſtemmate in tres teſſaradecadas. Non videtur mihi numerorum ſubtiles & ſcrupuloſas rationes conſectatus, ut placuit eruditis quibuſdam, qui myſteria in hoc quatuordenario numero hariolantur. Id unum ſibi propoſuit, ut memoriæ juvandæ cauſſa ſtemma in tria tempora digereret, quæ egregiis epochis diſtinxit, ante regnum, regni florentis, & regni deſinentis; rurſumque ternis his ordinibus perſonas pari numero adſcripſit. Enimverò quoniam in prima ſerie Abrahami ad Davidem quatuordecim perſonæ revera tantùm comprehenſæ erant, eundem numerum in reliquis duabus claſſibus ſervavit. Ideoque in eo quod eſt à Davide ad Iechoniam intervallo tres Reges omiſit, Ochoſiam, Ioaſum, & Amaſiam, ne quatuordenarium numerum ſuperaret. Nec putavit hiſtoriæ fidem violari, perſonas quaſdam minùs nobiles arbitrio ſuo tranſiliendo;

quia rem in ſummam conferebat. Cujus præteritionis exempla habemus *lib.* I. *Paralip.* IV. & apud Solinum in Macedoniæ Regibus. Ceterùm recti ſermonis ratio ſalva erit, etſi Rex Ioram, omiſſis intermediis, genuiſſe dicatur Oziam: quia genuiſſe non tantùm pater filium, ſed & avus nepotem, & pronepotem proavus, abſque ullo vitio dicitur.

XXVI. Porrò cur tres iſtos Reges ſilentio præ ceteris damnaverit Matthæus, cauſa eſt in promptu, rectè à veteribus adnotata; quia peccatis ſuis exigentibus hanc infamiam commeruerunt. Quippe Ochoſias *ambulavit in viis domus Achab*, ut loquitur ſcriptura IV. *Reg. c.* VIII. Joas verò Zachariam Pontificem Joiadæ filium lapidavit in atriotempli, II. *Paralip. c.* XXIV. Amaſias deos Idumæorum coluit, ejuſdem libri c. XXV. Excipiet aliquis reperiri tres alios Judææ Reges ſceleribus inſigniores, qui mulctandi potiùs oblivione fuerant à Matthæo. Achas ſcilicet, qui templum polluit omni genere idololatriæ & filium ſuum ſacrilego parricidio concremavit, Manaſſes, qui in ſcripturis Amorrhæos ipſos impietate ſuperaſſe dicitur, quam filius ejus Amon in majus auxit; ut habemus ex diſerto teſtimonio auctoris Paralipomenon.

XXVII. Huic difficultati facilè satisfiet, si dicamus expunctionem istam numero trium Regum adstrictam fuisse ut servaretur quatuordenarii ratio, in eligendis autem tribus è sex illis sceleratis merum fuisse arbitrium Matthæi: qui in priores illos tres, qui propiùs absunt à Davide, cùm in recensenda Regum stirpe priùs incidisset, illique seriatim se consequantur, non habuit cur se curiosiùs implicaret expendendis ceterorum sceleribus, etsi dici possit causam aliquam fortasse habuisse, licèt suo instituto non necessariam, cur trium ultimorum nomini parceret, Achaso quidem ob Ezechiæ filii & heredis pietatem eximiam, Manassi ob resipiscentiam, Amoni ob Iosiæ filii celebratum in religione vindicanda studium. Quæ Matthæi explicandi ratio à nobis proposita facilior & planior est quàm eruditissimi viri nobilis conjectura, qui putat tres illos Reges à Matthæo prætermissos quòd ob scelera sua judicio sacerdotum expuncti essent è tabulis censualibus, quæ in archivis templi summa cura à Pontificibus servabantur; ubi, teste Iosepho, præter rerum gestarum memoriam, origines quoque familiarum regiæ & sacerdotalis descriptæ erant. Sed an Pontificibus & synedrio tanta fuerit in

Reges etiam fato functos potestas ut eorum memoriam damnarent, nomenque è Fastis eraderent, ut olim factum legimus à senatu Romano, prudenter dubitari potest, & illud quoque, si licuerit illud synedrio, an unquam usurpaverit.

XXVIII. Secunda, quæ sequitur ex prima, est quæstio illa nobilis de numeri quatuordenarii apud Matthæum supputatione, quomodo sit ineunda ut auctori sua ratio constet docenti singulas classes constare generationibus sive personis quatuordecim. Difficultas versatur in persona Iechoniæ Regis, qui dicitur à Matthæo filius Iosiæ in transmigratione Babylonis, & genuisse Salathielem post transmigrationem. Non constabit autem numero summa, nisi præter Iechoniam pater illius Ioakimus inseratur, & Iechonias det exordium tertiæ tessaradecadi.

Antequam nodum istum solvamus, pauca & certa ex scriptura præmittenda sunt de filiis Iosiæ & de Babylonicæ deportationis tempore. Interfecto Iosiæ Regi in prælio Mageddonensi ab Ægyptiis suffectus est filius Ioachaz, dictus quoque Sellum: qui paulò pòst exutus regno, obiit captivus in Ægypto. Victor Pharao fratri successorem dedit alterum Iosiæ filium, qui Eliakim & Ioakim nuncupa-

tus est. Hic regnum per annos undecim varia fortuna tenuit. Ab Ægyptiorum servitute discedens, Nabuchodonosori Regi Chaldæorum cùm sese addixisset, fidem jam datam violare tentans, Syrorum & vicinarum gentium, quæ sociæ Chaldæis erant, incursionibus vexatus, inter tot discrimina fato functus est. Regni atque defectionis heredem reliquit filium Ioachinum, Iechoniam dictum à Ieremia, natum annos octodecim, qui contumaciæ paternæ pœnas luit, tribus in principatu mensibus exactis, deportatus Babylonem cum omni familia post Hierosolymitanæ urbis deditionem præsenti Nabuchodonosori factam. Iechoniæ loco, regni speciem potiùs quàm vim à Chaldæis obtinuit Sedecias, Iosiæ filius, & patruus Iechoniæ, qui post annos undecim, oculis effossis, abductus est Babylonem.

Itaque sub extrema tempora regni Ioakimi & exordia Iechoniæ initium hujusce transmigrationis fuit: quæ post annos undecim, incenso templo, urbeque excisa, totius populi unà cum Sedecia Rege in Chaldæam deportatione, nomen transmigrationis deposuit, appellatione captivitatis Babylonicæ assumpta. Quare Matthæus rectè tempora inceptæ transmigra-

tionis ad Iechoniam retulit, & Salathielis ducatum ad id tempus quod eam consecutum est, ante solutionem captivitatis, quam Cyri beneficio Iudæi tandem obtinuerunt.

XXIX. Recentiores omnes in unam conspirant sententiam, mendosum esse codicem Matthæi, & Ioakimum patrem Iechoniæ omissum in secunda classe. Hanc labem observasse Epiphanium hær. VIII. & Hieronymum initio commentariorum in Danielem, atque Euthymium ad Matthæum c. 1. Duplici argumento mutilum esse locum demonstrant. Primò, quia Iechonias fuit nepos Iosiæ, non autem ejus filius. Vnde colligitur veram lectionem ita constitui debere ut dicatur Iosias genuisse Ioakim, hunc autem genuisse Iechoniam. Secundò, quia nisi constituatur altera persona præter Iechoniam, qui limes fuit secundæ tessaradecadis, tertia intra numerum tredecim capitum subsidet.

XXX. Ego verò tria quædam assero, nec locum Matthæi mendosum esse in secunda classe, neque à veteribus ullis, non excepto Epiphanio, lectionem hodiernam fuisse damnatam, licèt recentiores omnes id sibi omnino persuaserint, & ex ea quatuordenarium numerum tertiæ classis rectè colligi ex Hieronymi & Am-

brosii sententia. In prima hujus assertionis parte mihi convenit cum erudito viro Possino, qui pluribus contendit & probat Matthæi editiones omnium linguarum atque manuscriptos codices vetustissimos, (non exceptis, ut à viris fide dignis accepi, duobus illis venerandæ antiquitatis codicibus Græcis qui servantur in Anglia) lectionem vulgatam præferre. Quod enim vir omni laude superior Dionysius Petavius refert *lib.* IX. *de Doctr. Temp. c.* XVIII. in vetustis membranis bibliothecæ regiæ adnotatum ad marginem reperiri Iosiam genuisse Ioacim, & istum genuisse Iechoniam, glossema fuit eruditi cujusdam viri, non autem varia lectio textus; ut rectè monuit Possinus. Quod autem observavit Ioa. Faber Stapulensis in codice antiquissimo Græco Ioacim pro Iechonia legi in secunda classe, cùm ea lectio repugnet Epiphanii testimonio, qui sua ætate Iechoniæ nomen, non autem Ioakimi, in evangelio lectum testatur, nec conqueritur de ulla interpretatione inibi facta, lectio Stapulensis sine dubio sapit glossema eruditi lectoris.

XXXI. Non sufficit autem lectionis veritatem confirmasse, nisi ejus quoque sententiam statim subjunxero. Quod eò lubentiùs aggrediar quoniam ex ejus ex-

plicatione patebit mens genuina Matthæi & antiquorum patrum. His ergo verbis, *Iosias genuit Iechoniam & fratres ejus in transmigratione Babylonis*, significat Matthæus Iosiæ liberos qui regnum obtinuerunt, scilicet Ioachazum, qui obiit improlis & captivus in Ægypto, Ioakimum patrem Iechoniæ, & Sedeciam. Porrò Ioakim alio nomine Iechonias dictus est per nominis Ioakim extensionem. Pater verò fuit Ioachin; qui & Iechonias, eadem nominis Ioachini extensione, appellatus est.

Porrò Ioakim, sive Iechonias primus, variis bellorum calamitatibus oppressus, ex quibus secuta est transmigratio in Babylonem, tribus ante illam mensibus obiit; & sic ad illius usque initia superstes fuit. Eleganter itaque secundam classem & quatuordenarium illius numerum Ioakimo sive Iechonia primo concluſit Matthæus, cujus limitem in transmigrationis initiis defixit. *A David usque ad transmigrationem Babylonis generationes quatuordecim.* Quare nullum Regis caput in secunda ista classe inseri potest, ut tentatum à recentioribus, qui sic restituendam lectionem putant: *Iosias genuit Ioakim sive Iechoniam & fratres ejus. Ioakim autem, seu mavis Iechonias, genuit Iecho-*

niam. Quippe si vel Ioakimus per vim intrudatur, vel Iechoniæ nomen in ea classe repetatur, unitas redundabit supra summam, & quindenarius numerus exibit pro quatuordenario. Quod Porphyrio in supputatione tertiæ classis Matthæum calumnianti veram objurgandi causam in secunda præbuisset.

Iechonias autem, in tertia classe post transmigrationem commemoratus, est nepos Iosiæ, filius Iechoniæ primi sive Ioakimi; à quo deductus numerus, & desinens in personam Christi, quatuordenarium plenum efficit, ut mox dicemus.

XXXII. Sententiam illam nostram hausimus ex ipsis Epiphanii verbis; tantum abest ut inde occasionem sumpserimus inserendæ alterius personæ in secunda classe, ut tentarunt ceteri. Proferam auctoris locum: qui cùm professus esset à Matthæo in tres ordines distributam fuisse generationum descriptionem, quorum singuli quatuordecim personis constarent, addit: οἱ δύο ἀνάπηροι ἀριθμοὶ σαφεῖς δείσκονται, μηδεμίαν ἔκλειψιν ἀριθμοῦ θεμένοντες. ἕως γὰρ Ἰεχονίου θεμένουσι τοὺς χρόνους. *Duo priores numeri liquidi sunt, nullam imminutionem patientes. Ad Iechoniam enim exacta constat personarum & temporum summa.*

Quæ ſequuntur apud eundem auctorem, perplexa quidem ſunt; ſed quæ ad tertiam claſſem pertinent, de qua nulla eſt hodie apud eruditos lectionis in Matthæo ſollicitandæ controverſia. Ait enim tertiam ſeriem quatuordenarium non implere, ſed ad tredecim perſonas reſtringi: *Nimirum*, inquit, *quidam Iechoniam Iechoniæ alteri continuatum offendentes, repetitum alterum exiſtimarunt. quæ tamen non erat repetitio, ſed numerus exactus. Patris enim adjecto nomine, dicebatur Iechonias Iechoniæ. Quidam ergo, veluti elegantiæ cauſa, alterum nomen imperitè expungentes, propoſitam ter quatuordecim capitum ſummam & mutuam trium inter ſe claſſium habitudinem abolcverunt.* Hujus loci à nemine hactenus, ut puto, intellecti hæc eſt ſententia, antiquam apud Matthæum lectionem hanc fuiſſe: *Poſt tranſmigrationem Babylonis, Iechonias Iechoniæ genuit Salathiel.* qua ſignificabatur Iechoniam ſecundum, filium Iechoniæ alterius in ſecunda claſſe deſcripti, genuiſſe Salathiel. Vnde conſequebatur Iechoniæ ſecundi generationem fuiſſe caput generationum hujus tertiæ claſſis, quæ hoc pacto quatuordecim generationibus conſtabat. Quare non immeritò carpit eorum temeritatem qui emendatione importuna

tuna Iechoniæ patris nomen delentes, generationis Iechoniæ ſecundi omiſſa mentione, occaſionem præbuerunt duas perſonas in unam commiſcendi, & tredecim tantùm generationes tertiæ claſſi imputandi.

XXXIII. Sanè omiſſa mentio generationis Iechoniæ ſecundi, ipſum quoque Auguſtinum traxit in errorem. Quippe exiſtimavit unum eundemque Iechoniam bis numeratum, & imputatum ſecundæ & tertiæ claſſi: quemadmodum accidit quando ab ordine recto deflectitur. id enim quod eſt in angulo, bis numeratur. Enimverò quoniam reponi poterat, in deſcribenda generis ſerie à patre ad liberos numerationem per lineam rectam fieri, non autem per tranſverſam, à ſenſu tropologico ſubſidium petit, aitque à Iechonia factam fuiſſe in extraneas gentes deflexionem quando in Babyloniam tranſmigratum eſt, *lib.* II. *de conſenſ. Evangel. c.* IV. Hæc quoque generationis omiſſio negotium faceſſit Chryſoſtomo, ut inferiùs oſtendemus.

XXXIV. Attamen licèt Epiphanii expoſtulationem adversùs malè feriatos correctores amplectar, non tamen cum eo demittendum animum puto quin locus veritati ſuperſit poſt imperitam illam

emendationem. Supplendum enim erit interpretatione petita ex Scripturis quod minùs liquidò explicare videtur hodierna lectio. Itaque Iechoniam Iosiæ filium eundem esse dicemus cum Ioakimo; præsertim cùm fratres habuisse dicatur, nempe Ioachazum & Sedeciam, qui nulli fuerunt Iechoniæ secundo. Porrò Ioakimus tribus mensibus obiit ante transmigrationem. Quare non potuit post transmigrationem genuisse Salathielem. Vnde apertè conficitur hunc Iechoniam secundum alium fuisse à primo, atque adeo primi filium. quod manifestè docebat antiqua illa lectio ab Epiphanio commemorata; qua duce errari non potest. Et licèt deleta fuerit ab imperitis criticis, manet tamen litura & ratio quæ discrimen utriusque Iechoniæ nos apertissimè docet.

Omissa est itaque mentio generationis primæ in numero quatuordenario tertiæ classis, sed non personæ. Quare fidem suam implevit Matthæus, apud quem vox γενεὰς generatam personam significat, ut loquar cum Iurisconsultis, quorum hæc est definitio: *Semper generata persona gradum adjicit.*

XXXV. Hac ratione refellit Hieronymus impium illum Porphyrium, qui falsi arguebat Matthæum quòd professus

in tertia tessaradecade, sicut in duabus reliquis, se quatuordecim generationes edidisse, in decima-tertia hæserat, oblitus decimæ-quartæ. Ait enim Hieronymus alium esse Ioakim filium Iosiæ, in quo desinit secunda classis, & alium Ioachin filium Ioakim, à quo incipit tertia, sicque promissis stetisse Evangelistam numerando quatuordecim personas. Hæc sunt illius verba initio commentariorum in Danielem: *Ioakim filius Iosiæ regnavit super tribum Iuda & Ierusalem annis undecim; cui successit in regnum filius ejus Ioachin, cognomento Iechonias; qui tertio mense regni sui, die decimo captus est à Ducibus Nabuchodonosor, ductusque est in Babylonem: & in loco ejus constitutus est Sedechias, filius Iosiæ, patruus ejus; cujus anno undecimo Ierusalem capta atque subversa est. Nemo igitur putet eundem in Danielis principio esse Ioakim, qui in Ezechielis exordio Ioachin scribitur. Iste enim extremam syllabam chin habet, ille kim; & ob hanc causam in evangelio secundùm Matthæum videtur deesse generatio, quia secunda παραδοχὴ in Ioakim desinit filio Iosiæ, & tertia incipit à Ioachin filio Ioakim. Quod ignorans Porphyrius calumniam struit Ecclesiæ, suam ostendens imperitiam, dum Evangelistæ Matthæi arguere*

nititur falsitatem. Egregium sanè testimonium, quo refelluntur qui vitium subesse putant in contextu Matthæi, & omissam inter exscribendum clausulam Iechoniæ à Ioakimo generati. Quippe Hieronymus profitetur apertè secundam classem desiviſſe in Ioakimo filio Iosiæ, & tertiam incepiſſe à Ioachino superioris Ioakimi filio. Deinde si lectio se habuisset apud Matthæum ut eam restituendam putant eruditi, illa una generatio, quæ deesse videbatur, non defuisset. quippe disertis verbis concepta in textu. Quòd autem observat Hieronymus in fine classis secundæ Ioakimum Iosiæ filium poni, & in exordio tertiæ Ioachinum Ioakimi filium, non eò pertinet ut illis nominibus designati putentur à Matthæo, qui utrumque Iechoniam nuncupavit; sed ut sciatur discrimen inter utrumque, patrem & filium; etiamsi cognomines sint in contextu Matthæi, & in libris Regum unius tantùm litteræ sono differant.

XXXVI. Hanc nominum Hebraicorum differentiam, Ioakim, & Ioachin, non animadvertit Ambrosius. Vidit tamen in communione nominis divisionem patris & filii *lib.* III. *in Lucam* tam liquidis verbis ut mirari subeat cur recentiores ejus mentem non ceperint, vel

ab ea ſibi recedendum putarint. *Duos Ioachin, hoc eſt, duos Iechonias fuiſſe hiſtoria indicat, unum ante tranſmigrationem, alterum in ipſa tranſmigratione generatum, id eſt, patrem, & filium. Ergo pater inter generationes ſuperiores eſt computatus, qui ſucceſſit Ioſiæ filius inter poſteriores, qui ſucceſſit patri, id eſt, nepos Ioſiæ.* Mox: *Non igitur ſuppreſſit alterum Evangeliſta, ſed utrumque ſignavit, quòd uterque Iechonias dictus ſit.*

XXXVII. Amplexi ſunt quoque nonnulli è veteribus Græcis hanc interpretandi Evangeliſtæ rationem, ut docet Nicetas Epiſcopus Serrarum in commentariis ad Matthæum ex editione Toloſana à Balthaſare Corderio adornatis: *Aiunt quidam alium eſſe ante captivitatem Iechoniam, & alium poſt captivitatem. Ille enim filius erat Ioſiæ; alius autem poſt captivitatem genitus, ex ipſo Iechonia etiam dicto.* (Corrigendus eſt textus Græcus, & ſic vertendus: *alius autem poſt captivitatem, illius nepos, & filius Iechoniæ jam dicti) Hunc igitur ultimum Iechoniam in tertia parte aliis, & Chriſto annumerantes, quatuordecim illas generationes complent.* Φησὶ δέ τινες ἕτερον εἶναι τὸν πρὸ τῆς αἰχμαλωσίας Ιεχονίαν, καὶ ἕτερον τὸν μετὰ τὴν αἰχμαλωσίαν. ἐκεῖνος γὰρ υἱὸς ἦν Ιωσίου: ὁ δὲ μετὰ

ἡ αἰχμαλωσίαν, αὐτὸ ἔγγονος, ᾧ Ιεχονίᾳ ἁρμήνευε. Addendum, υἱός.) τοῦτον δὴ τὸν τελευταῖον Ιεχονίαν, ἐν τῇ τρίτῃ μεελδὶ, τοῖς ἄλλοις, ᾧ τῷ Χειρὶ συναριθμοῦντες, τὰς δεκατέσσαρας γενεὰς αἰαπληροῦσι.

XXXVIII. Meminit quoque Euthymius, in hujus loci enarratione, duplicis Iechoniæ; quorum primum Iosiæ filium facit, alio nomine Ioacham vel Ioachas dictum, quem in libro Esdræ Iechoniam nuncupari scribit, eique eo in libro tribui, tum de ejus cum Amital connubio, tum de ætate viginti trium annorum, & de regno trium mensium, quæ in libris Regum & Paralipomenon Ioachazo tribuuntur. Sanè in cap. 1. libri III. Esdræ, apocryphi quidem, sed in re historica non contemnendi, ex veteri translatione Latina, Ioachas iste Iechonias dicitur, quemadmodum in Græco codice quem Euthymius laudat: quamvis in editione Græca Aldina legatur *Ioachaz*. quæ lectio videtur recentior, & glossematis vice ad marginem posita, irrepsisse in textum. Vnde asseri posse videtur non absurdè duos Iosiæ liberos, Iechonias dictos.

Secundum Iechoniam, filium primi, ponit Euthymius, genitumque, post transmigrationem, Babylone; quò Ioachaz sive Iechonias ex Ægypto translatus

fuerit à ducibus Nabuchodonoſoris, poſt ſubactos Ægyptios.

Ex hac commentatione Euthymii palam eſt nullam illum in textu Matthæi labem animadvertiſſe, ſed omnino ſecutum & interpretatum eandem quæ hodie extat contextus lectionem. Quare non erat cur auctor iſte ab eruditis traheretur in partes, ac ſi corruptum & mendoſum locum deprehendiſſet. Ceterùm in eo quòd duos Iechonias, patrem, & filium, fuiſſe obſervat, planè laudandus; carpendus tamen quòd Ioachazum in terram Babylonicam adductum, patrem Iechoniæ ſecundo affingat. Hic enim Ioachaz, ulciſcente numine, & comminante per Ieremiam prophetam cap. XXII. his verbis, *non revertetur huc ampliùs, ſed in loco ad quem tranſtuli eum, ibi morietur*, in Ægypto moram perpetuam egit & obiit, ut traditur *lib.* IV. *Reg. c.* XXXIII.

XXXIX. Tot veterum patrum teſtimoniis fultus non dubito pronuntiare, ut initio monui, & ſanum eſſe Matthæi contextum, tum Iechoniam primum eundem eſſe cum Ioakimo Joſiæ filio, & Iechoniam ſecundum eſſe filium primi, Joſiæque nepotem. Placuit tamen erudito viro Poſſino in ſecunda & tertia claſſe de uno eodemque agi Iechonia, eoque

Iosiæ nepote, Ioakimi filio. Quam ille sententiam eo præcipuè nomine proposuit ut adversùs opinionem receptam illibatum & integrum præstaret Matthæi codicem. in quo comprobando feliciter laboravit. Sed eadem felicitas eum destituit, ut puto, in singularis Iechoniæ conjectura, quam hæc incommoda sequuntur. Primum est, omissum à Matthæo Ioakimum Iosiæ filium: cujus silentii causa nulla reddi potest quæ plures quoque Reges non involvat qui ob impietatem hac quoque oblivionis mulcta damnandi erant. Secundum est robustius, assignatos Ieconiæ secundo fratres, qui nullos habuit; cùm è contrario Ioakimo duo fratres fuerint, Ioachaz, & Sedecias, qui regno potiti sunt. Neque est quòd novo & inusitato loquendi modo fratres Iechoniæ dictos putemus, tum illius patrem Ioakimum, tum Sedeciam patruum, quia ejusdem regni participes fuerunt. Tertium idque gravissimum incommodum est, vis illata verbis scripturæ; quæ, hac explicatione admissa, una eademque voce duplicem significationem exprimit, naturalem & genuinam unam, alteram verò tralatitiam, *Iosias genuit Iechoniam & fratres ejus*, juxta istum interpretandi modum, genuit verè & naturaliter Ioakimum

& Sedeciam, nepotem verò ſuum Iechoniam regni reliquit heredem. Quartum ex hac ſententia ſequitur incommodum, nempe non conſtare rationem quatuordecim generationum in tertia claſſe, ſi Iechoniæ capite minuatur. quod neceſſum eſt, ſi unus ponatur Iechonias, ſeu is Ioachimus fuerit, ſive ejus filius, qui ſecundæ claſſi jam imputatus eſt. Expendimus qua ſolertia conatus ſit Auguſtinus ſe iſto expedire nodo, ſed infeliciter, ut diximus.

XL. Moleſtè autem habuit hæc difficultas ſupputandi Chryſoſtomum apud Euthymium, cujus auſpiciis plerique Græcorum interpretum, qui duodecim tantùm generationes in hac tertia claſſe diſertè expreſſas legebant, tranſmigrationis ſtatum unius generationis vice computarunt, abſurdè, & Chriſti perſonam; unde quatuordecim ſummam collegerunt. Et rectè quidem, quod attinet ad Chriſtum, ex aperta mente Matthæi; qui quatuordecim generationes in prima claſſe ab Adamo uſque ad Davidem, & totidem in ſecunda claſſe à Davide uſque ad Iechoniam numerans, Davidem & Iechoniam in numero includit. Vnde ſequitur quatuordecim generationes tertiæ claſſis deſignatas uſque ad Chriſtum, ejuſdem vo-

cis usurpatione, hîc Christi personam, ut reliquas duas in limitibus duarum classium superiorum positas, includi, non autem excludi; licèt vox *usque* vim habeat excludendi æquè ac includendi, prout rei argumentum exigit.

XLI. Diversam à ceteris viam ingreditur doctissimus Possinus, & numerum quatuordenarium implet, præter Iosephum, Maria Christi matre computata; ut pote quæ sola, absque viri Iosephi consortio, partum illum ediderit. Sanè moris non fuit apud Iudæos ut feminæ in genealogiis censerentur. Sed respondet ille moris quoque non fuisse ut virgines parerent, & ortum singularem ex sola femina id exigere ut in serie genealogiæ matris nomen ponatur. Isthoc argumento egregiè probat consultò & necessariò à Matthæo mentionem Mariæ factam in origine Christi ex ea nati, non autem ex Iosepho. Enimverò non est consequens Mariæ personam pro una generatione accipiendam, distincta & separata à Iosephi ejus viri persona. Iungenda est mentio amborum conjugum, juxta mentem Matthæi, ut persona Christi generata dicatur; à Maria quidem naturali modo, à Iosepho autem vi legis, quæ patrem eum scisit quem nuptiæ demonstrant. Id quidem omnibus

generationibus commune eſt, ut filius ex patris & matris connubio prodeat, qui unius generationis ſunt auctores. Quare ſi Saram uxorem Abrahami poſuiſſet Matthæus, genitus ex illis nuptiis Iſaac una generatione diceretur, non autem duabus; nec inter illius majores Sara computaretur ad geminandum generationis numerum, ſed ad deſignandos ex utroque latere Iſaaci majores. Eadem ratione Ioſephus & Maria connubio juncti, unius generationis numerum conficiunt; licèt novo quodam & ſingulari privilegio, quo ceteris generationibus antecellit. Quæ cauſa fuit Matthæo ut Mariæ meminerit in iſta deſcriptione, cujus partes in hoc ortu potiores erant quàm Ioſephi. Attamen ita meminit ut ſimul adnotaret Ioſephum fuiſſe virum Mariæ, ex qua natus eſt Chriſtus; ſcilicet ut diſceremus unicæ illius generationis duos quidem eſſe parentes, ut accidit in ceteris, ita tamen ut Ioſephus pater eſſet jure connubii, Maria jure naturæ.

XLII. Tertia reſtat quæſtio de nomine Cainani ſecundi, quod inter Abrahami majores Arphaxadum & Salem infixum exhibent codices Lucæ; cùm tamen in Geneſeos & Paralipomenon libris Hebraïcis & Latinis, & apud Ioſephum, om-

nino prætermissum sit. Qui Cainanum apud Lucam tuentur, adhibent LXX. interpretum auctoritatem, qui Cainani junioris Arphaxadum patrem & Salem filium memorant. Attamen certum esse debet apud eruditos, ut copiosè & eleganter ostendit Possinus, in antiquis codicibus LXX. præteritum hunc Cainanum; ut colligi potest ex Theophilo Antiocheno, ex Chronico Græco Eusebii apud Scaligerum, & ejusdem Chronico Latino emendato: qui auctores cùm rationes LXX. sequi se profiteantur, insititio Cainano omisso, Arphaxadum patrem Sale docent. idemque tradit Hieronymus, juxta interpretum illorum fidem.

XLIII. Ceterùm accidit ut LXX. editio hac in parte, ut in plerisque aliis, depravata olim fuerit, & subditititius iste Cainanus in eam intrusus. quam labem Procopius Gazæus deprehendit sua tempestate. Ait enim in Hebraïca veritate haberi Salam genitum esse ab Arphaxado: *Quæ verò in medio ponuntur*, (scilicet Cainani nomen) *obeliſco ſignata eſſe*. Scimus autem, ex Hieronymo in præfatione libri XVI. in Iosiam, quæ obelo confixa erant, nec in Hebraïcis neque in LXX. codicibus haberi, sed tantùm in ea editione quæ communis appellabatur. Vnde

colligi potest à Theodotione invectum Cainanum istum juniorem, licèt LXX. interpretibus incognitum. Quæ causa fuit Epiphanio in Panario, *ad hæresim* v. *Melchisedecianorum*, hunc Cainanum expungendi juxta fidem LXX. cùm tamen alibi eum agnoscat pro Arphaxadi prole, nempe initio operis adversùs hæreses & in fine hæresis LXVI. adversùs Manichæos, & in fine Anchorati: ubi sine dubio sequitur editionem communem cum isthac insitione Cainani, quæ est à Theodotionis manu. Hanc conciliandi secum Epiphanii rationem sequi malo quàm tot loca, quæ meminere Cainani, à descriptoribus corrupta comminisci, ut placuit eruditis quibusdam.

Ex hac disputatione colligitur, cùm nec in codicibus Hebræis nec apud LXX. editionem Cainani mentio reperiatur, fieri non potuisse ut à Luca in descriptione sua insereretur. Quare in vetustissimis Lucæ codicibus duobus ante mille ducentos annos descriptis, qui hodie apud Angliam asservantur, quorum alter è Lugduno avectus, alter ex Alexandria devectus in eas oras, Cainani nomen omissum est. sed exscribentium audacia jam olim factum ut ex Theodotionis sive ex communi Geneseos interpretatione petitum Cainani no-

men in Lucæ Græcos codices, ea scilicet opera, ut putabatur, emendandos, intrusum sit. Quod deinde vitium editiones omnes, etiam Latinam antiquam Hieronymo vetustiorem, pervasit.

DISSERTATIO
De adventu Magorum ad Christum, & an Reges fuerint.

TRES præcipuæ quæstiones moveri solent circa Magorum adventum, an acciderit antequam salvator sisteretur in templo vel postea, an ex Perside vel Arabia profecti sint, & modus conciliandi narrationem Matthæi cum Luca.

I. Prima conficitur ex verbis Matthæi, qui narrationem ortus Domini, angelorum nuntium, & pastorum officia, nullo alio interjecto, cum Magorum adventu connectit. Deinde ad oppidum Bethlehemi accessisse docet antequam aliorsum Dominus diverteret. Hujus argumenti vis ex dicendis detegetur. His adjungi potest vetusta plurium patrum traditio, qui jacentem in præsepio infantem à Magis adoratum scribunt; licèt probabilior videatur eorum sententia qui è stabulo in domum puerperæ opportunam secessisse

Ioſephum & Mariam exiſtimant ex ipſis Matthæi verbis ſcribentis Magos intraſſe domum, non ſtabulum.

II. In ſecunda quæſtione, quam aliqui veterum tradunt opinio, nempe ex Arabia profectos Magos, certior eſt. Altera quippe de Perſide non alio nititur fundamento quàm quòd ejus auctores ſibi perſuaſerunt Magorum nomen peculiare fuiſſe Perſis, quo ſapientes & ſyderum ſcientiæ peritos ſignificabant. Sed in Arabia, quæ quidem eſt vaſtiſſima regio in Deſertam, Petræam, & Felicem tributa, & à variis Regibus & Dynaſtis olim occupata, vigebat ſcientiæ ſyderalis ſumma peritia & politici regiminis uſus, ut docet Strabo, Magorumque nomen pro ſapientibus non erat ibi incognitum. Porrò Arabiæ poſitus, ratione Iudææ, erat ad orientem, & intervallum itineris ex Arabia Felice ad Hieroſolyma poterat intra octiduum per camelos facilè peragi. Quare cùm Matthæus profectos ab oriente Magos dicat, ipſam Arabiam ferè deſignat. Quid ſi munerum ab illis oblatorum ſpecies addas? aurum nempe, thus, & myrrham, quæ ſunt aromatum genera domeſtica & propria Sabææ regionis in Arabia Felice; ubi quoque aurum non ignobile gignitur, ut docet Plinius. Quare tributa

quoque populi Regibus ſolvebant olim hodieque ſolvunt ex illis tribus ſpeciebus. Vnde factum ut Regina Saba ad colendum Salomonem aurum & aromata, thus ſcilicet & myrrham præcipuè inter cetera obtulerit. Quo exemplo Magi Regem Regum adoraturi, muneribus ſimilibus illum honeſtarunt; ex quorum diſcrimine Iuvencus Preſbyter ſolerter collegit Chriſtum pro Deo & homine adeoque Rege à Magis veneratum.

Aurum, thus, myrrham Regique hominique Deoque Dona ferunt.

quem locum laudavit etiam Hieronymus. Hujus generis cultus à Davide & Iſaia prænuntiatus fuerat, qui Reges Arabum aurum & thus delaturos Chriſto ſpiritu præſago cecinere. Itaque cùm hiſtorica narratio cum prædictione congruat, non eſt quòd Arabia relicta, ad Perſidem Magos inquiſituri pergamus, unde non poterat dierum tredecim intervallo ad Hieroſolymorum urbem Iudææ umbilicum perveniri, ut factum à Magis. Eos plerique veterum Reges dixere ex prophetiæ auctoritate, id eſt, Dynaſtas pagi alicujus; quales erant non pauci in Arabia, nulli verò in Perſide.

III. Ceterùm illis ſtellarum curſus ex more meditantibus novum ſydus apparuit;

ruit: de quo invicem conferentes, ex regulis ſuis hauſerunt novi Regis ortum portendi. In qua contemplatione per biennium defixi, interiùs à Deo tandem moniti ſunt Regem illum in Iudæa jam recens in lucem editum, ejuſque dominio, utpote Dei atque hominis, gentes omnes ſubjiciendas, quarum ipſi veluti primitiæ libari debebant. Extemplò acceſſerunt ad urbem Hieroſolymorum, putantes humanæ rationis ductu (non autem ſtellæ, cujus in hoc officio non meminit Matthæus) Regem in regia ſede natum. Quare cum fiducia quærunt ubinam ſit Rex ille Iudæorum quem ſtellæ teſtimonio, quæ illis in oriente apparuerat, adoraturi venerant. Succeſſit conſultatio Herodis anxii de loco ubi naſciturus erat Meſſias. De alio quippe in Iudæa cæleſtia prodigia expectanda non putabat. Reſpondere principes ſacerdotalium familiarum & legis periti à Michæa deſignatum nativitatis locum in Bethlehemo Iudææ, quæ erat civitas Davidis ortu celebris. Tunc ipſe, ſemotis arbitris, ſtipulatur à Magis, priùs de tempore apparitionis ſtellæ percontatus, ut ad urbem redeant, ſibi omnia quæ puerum tangerent diligenter narraturi, ut ipſe eodem adorationis officio defungi poſſet. Egrediuntur ex urbe Magi, Beth-

lehemum sine dubio juxta responsi à prudentibus dati fidem profecturi. Sed insperatò illis extra muros apparuit sydus quod in oriente viderant, inquit Matthæus, non autem in profectione ad Iudæam, ut scribunt ferè omnes contra diserta Matthæi verba. Ejus ductu ad ipsam domum ubi erat puer accedunt in oppido Bethlehemitico; ubi laboris sui fructum capiunt ex aspectu & adoratione pueri.

IV. Quis dubitat quin peregrinorum hominum iter Messiæ adventum prædicantium & plures civium consectati fuerint, & quin eorum vestigia per exploratores & curiosos qui solent esse in ministerio aulico, Herodes alioquin ob rei novitatem & magnitudinem perturbatus presserit? Quare latere non potuit domus in quam ingressi sunt cum famulitio suo, quamque splendor fulgentis syderis cum stupore aspectantium designabat; adeoque cunctis patuit filium Mariæ pro Messia à Magis adoratum. Monentur autem in somnis à Deo ne Herodem invisant; ne scilicet scelerati & impii hominis de parricidio cogitantis commercio polluerentur, non autem ut pueri habitatio Herodem lateret, quæ non poterat illi non esse manifesta. Interim dum magnitudine sceleris territus apud se deliberat de nece Messiæ,

fluxere dies præstituti à lege pro matris & partus lustratione legitima, quam purificationem dicimus. Ejus peractæ solennia describit Lucas cap. 11. & publicam Simeonis professionem in templo factam, puerum illum esse tot votis expetitum Messiam pro salute Israëlis & gentium à divino numine datum. Commotus ex relatione Magorum Herodis animus vertit in apertum furorem, testationis à Simeone de Christi præsentis persona factæ in templo coram frequenti sacerdotum & populi cœtu fama per civitatem sparsa. Quare crudele illud consilium de Christo interficiendo statim exequi parat, dato spiculatoribus & militibus funesto mandato. Interim eadem die post oblationes rite peractas Iosephus & Maria cum puero redeunt Bethlehemum, quod non longè aberat ab urbe. In idem quoque oppidum paulò pòst se conferunt truculenti mandati excutores. Nec dubium quin domum omnibus notam, ubi Christus habitabat cum parentibus, invaserint, spe certa jugulandi pueri. Sed in somnis monitus ab angelo Iosephus ut saluti pueri consuleret fugam in Ægyptum capessendo, nocte intempesta, ut par est credere, se præproperè ad iter accinxit. Tum milites, ex vetere aut novo mandato Herodis latere in-

ter ſuos non aufugiſſe Chriſtum autumantis, infantes univerſos oppidi illius & vicini pagi abſque delectu jugulant, à bimatu tamen & infrà, juxta tempus ſtellæ quod Herodes exquiſierat à Magis, inquit Matthæus. Quæ verba errandi occaſionem quibuſdam veterum præbuerunt exiſtimantibus bimulum fuiſſe Chriſtum quando Magi ſtella conſpecta itineri ſe commiſere. Ea verò ſic accipienda ſunt. Biennio ante Chriſti ortum apparuit ſtella. Illo verò nato demum moniti ſunt Magi portendi nativitatem Regis Iudææ, qui nationibus eſſet dominaturus, eumque ab ipſis colendum. Itaque Herodes à tempore apparitionis ſtellæ, id eſt, à duobus annis antecedentibus natum fuiſſe Chriſtum aut à tempore profectionis Magorum exiſtimans, interfici juſſit pueros à bimatu & infrà. Sed quare rationem in eo facinere quæſumus quod furore potiùs patratum eſt quàm conſilio? Scilicet obniti ſe poſſe credebat divini numinis decreto de ſalute humani generis ſolliciti, & opprimere Chriſtum, quem ipſe religione avita Iudæus, licèt gente Idumæus, ſciebat rectorem populo per vaticinia promiſſum.

V. Diximus ex Matthæo Ioſephum cum puero & matre à Bethlehemo profectum in Ægyptum. quod fieri non potuit

ante ſolennia purificationis. Porrò poſt purificationem abiit in Nazareth, ut tradit Lucas. Qui ſanè non pugnat cum Matthæo, cujus evangelium legerat. Ideo quam iſte fugam in Ægyptum deſcripſerat, ille omiſit, & viciſſim expoſuit purificationis ſolennia à Matthæo prætermiſſa. Itaque ſignificat expleta purificatione, poſt reditum ex Ægypto ſcilicet, Chriſtum in Nazaretho conſtitutam & fixam habitationem habuiſſe, non autem in Bethlehemo, licèt in eo oppido natus eſſet.

EXERCITATIO
De ſingulari primatu Petri.

I. CONTINGIT plerunque curioſis antiquitatis inveſtigatoribus ut novarum obſervationum publicandarum libidine correpti, ad inficetas & abſurdas opiniones amplectendas deſcendant: quas ſi à novitatis cupidine vacuo & libero animo expenderent, ipſi eas reſpuerent primi, & ſuæ auctoritatis pondere compreſſas perpetuo ſilentio damnarent. Ejus generis eſt ſententia recentioris cujuſdam, qui non infimum inter eruditorum ſubſellia locum occupat. Exciderat illi, in commentatione quadam, ut Petri & Pauli

Apostolorum, tamquam duorum Romanæ Ecclesiæ capitum, societatem in unum caput coalescentem adnotaret. Non tulit impune hallucinationem illam, quæ statim ab eruditissimo viro Isaacio Haberto tunc Parisiensis Ecclesiæ Theologo, dein Vabrensi Episcopo, libello ea de re publicato, castigata est. Illi contumeliæ, ut ipse interpretabatur, amovendæ novam & specialem lucubrationem scriptor anonymus insumpsit: qua Petri & Pauli in Romano pontificatu consortium, binosque illos Apostolos duo ejus Ecclesiæ capita ex æquo asserere conatus est. Versutis cavillationibus, & detortis patrum testimoniis, incautis lectoribus imponere tentantem robusta disputatione nuper infregit R. Pater Diana: cujus multiplici & variæ lectioni limatoque judicio quantum debeat Ecclesia Christiana, nec ipsos latet qui literas non noverunt; quorum pavidas mentes consulti de rebus gravissimis theologiæ moralis magistri, interposito Dianæ nomine sæpissime recrearunt.

II. Vt mihi neque sententiæ ferendæ in disceptationibus ecclesiasticis jus aliquod nondum competit, neque vacat per otium, arduis reipub. negotiis ex Regis Christianissimi mandatis in Cataloniæ principatu districto, de proposita quæ-

ſtione velut uni ex cœtu inquirentium veritatem tractare, ita viro eruditiſſimo, qui à me quid de ea re videatur humaniſſimis literis percontatus eſt, non reſpondere, nefas omnino eſſe duxi.

Quare ſententiam meam iis verbis temperabo ut abſit & à ſubtilitate & tricis verſutæ diſputationis & à tædio moroſæ longioriſque exercitationis. Attamen quemadmodum in veritate vindicanda mihi cum recentiorum & veterum dogmatibus conveniet, ita in re ipſa explicanda antiquorum patrum locutiones cum hodiernis loquendi formulis comparatas uſurpabo. Quod inſtitutum momenti majoris eſſe facilè quiſque perſpiciet qui motas à ſectariis in hujuſmodi diſputatione controverſias non aliunde ferè originem ſumpſiſſe ſciet quàm ex ea ſuſpicione quam ſibi volentes ingeſſerunt, ex mutatis locutionum formulis immutatas eſſe quæſtionum theologicarum definitiones.

III. Ad propoſitæ autem opinionis diſpunctionem tria capita explicanda ſunt. Primum eſt, Petri Apoſtoli comparatio cum ceteris Apoſtolis, atque adeo ipſo Paulo Apoſtolo. Secundum eſt, in quo Paulus reliquis Apoſtolis antecelluerit. Tertium, quid ex Petri & Pauli auctoritate in Eccleſiam Romanam derivatum fuerit.

Quod attinet ad primi capitis inſpectionem, res eſt ore Chriſti ſummi omnium magiſtri & judicis apud Matthæum & Ioannem deciſa. Collegii apoſtolici princeps conſtitutus eſt Apoſtolus, in petram Eccleſiæ ædificandæ deſignatus, tradendarum clavium pollicitatione, reliquis Apoſtolis præſentibus, ſpecialiter illi facta, & demum paſcendarum ovium cura & ſollicitudine illi demandata, verbis utrobique ad Petrum ſolum directis.

Variis hinc inde explicationibus hujus argumenti vis diſſipari vel augeri ſolet; ſed præſtat veterum auctoritati, qui ex profeſſo in hos locos incubuerunt, obſequentes cedere. Cyprianus, Optatus, Pacianus, Hieronymus, & Auguſtinus, inter ceteros, duo quædam certiſſima ponunt, pari quidem conſortio honoris & poteſtatis præditos fuiſſe Apoſtolos, Petrum ſcilicet & reliquos, ſed originem unitatis à Chriſto in Petro conſtitutam, ut unitas Eccleſiæ à Petro incipiens manifeſtaretur & Chriſti auctoritate diſponeretur, ut loquitur Cyprianus, ex æquo ſuper omnes Apoſtolos Eccleſiæ ſoliditatem fundatam, ſed caput in Petro inter duodecim electo conſtitutum, ut ſchiſmatis tolleretur occaſio, ait Hieronymus. Nempe ut una eſſet Eccleſia ſeu cathedra Petri, nec Apo-

ſtolorum ſinguli ſuam ſibi Eccleſiam & cathedram aſſererent à Petri communione alienam, ut obſervat Optatus. Quia licèt claves omnibus Apoſtolis datæ eorumque ſucceſſoribus, eas tamen Chriſtus ſoli Petro ſpopondit, qui Eccleſiæ perſonam figurata generalitate referebat; ideoque ſemper in eo primatus collegii apoſtolici fulgentiori gratia emicuit, ex Auguſtino, ut ex uno unitas fundaretur, ut notat Pacianus.

IV. Qui legit veteres, ſatis agnoſcit me ab eorum verbis non diſceſſiſſe. Quare ſi nos illis accommodare velimus, non inficiabimur inter Apoſtolos fuiſſe conſortium honoris & poteſtatis. Dignitas apoſtolatus in eo verſabatur ut deſignati à Chriſto Apoſtoli per univerſum orbem evangelii veritatem ſpargerent, teſtes myſteriorum à ſe inſpectorum, populos, quà Iudæos, quà gentiles, in fide Chriſti erudirent, ſacramentis paſcerent, Epiſcoporum miniſterio munirent. Itaque nulla reperiri poteſt in Petro præ ceteris prærogativa, quod attinet ad prædicationis vel ſacerdotii munus, nec etiam quoad poteſtatem Eccleſiarum inſtituendarum, nempe præficiendo illis Epiſcopos & Preſbyteros, vel etiam in reos monitionibus & cenſura divina, ut loquitur Tertullianus, animadvertendo.

V. Quod erit ergo jus eximium Petri? Anne ut de persona ipsa Apostolorum judicium ferat? Sed eorum status, qui summa erant præditi potestate, & à fide deficere à Deo eruditi non poterant, à supremæ in Petro jurisdictionis usu eos eximebat. Attamen majestatem ejus, ut capitis à Christo constituti, duobus præcipuè modis colere debebant.

VI. Primus modus colendæ in Petro primatus dignitatis versabatur in communione cum capite retinenda. Quæ communionis necessitas dupliciter spectari poterat; vel habita ratione Apostolorum, qui ex officio ad communionem cum Petro ut capite conservandam tenebantur; vel etiam ratione habita Ecclesiarum quas per provincias ipsi instituebant ea lege ut Petrum tanquam Ecclesiæ caput respicerent, ejusque regimini subjicerentur. Isthæc quam observari necessitas verbis Christi præscripta est. Etenim ut Ecclesiæ unitatem solidaret, uni claves tradidit, ut docent veteres superiùs laudati; & super Petrum, ædificandæ Ecclesiæ petram dictum, totius ædificii compagem imposuit. Quare nullus cœtus poterat esse legitimus, nullus Ecclesiæ pastor admitti, qui à Petro, id est, ab ejus communione discederet. Constantiam fidei Ecclesiæ quidem

ſuæ Chriſtus ſolenni formula pollicetur, adeo ut inferorum vires eam expugnare non poſſint; ſed illi Eccleſiæ hoc privilegium ſpopondit quæ ædificata eſſet ſupra petram, quæ fundamento illo niteretur. Quare ſi quis immobilem pietatem & integram fidei profeſſionem etiam hodie deprehendere velit, accendendum illi eſt ad illius Eccleſiæ corpus quod communionem Petri amplectatur, quod à petræ ſoliditate non deſciſcat. Ceteri cœtus per orbem ſparſi, qui ſe à capite fœdo diſſidio removerunt, hæreſibus patent, ut in oriente & occidente dolentes cernimus.

VII. Secundus modus colendi primatus is erat, ut cauſas communes ad univerſalis Eccleſiæ diſciplinam pertinentes Apoſtoli ad eum tamquam ad collegii & Eccleſiæ principem diſcutiendas referrent. Quod factum à Paulo in quæſtione de rituum Iudaïcorum uſu à gentilibus ad fidem converſis retinendo vel repudiando; quæ à Petro in Apoſtolorum Concilio jus relationis cum prærogativa ſuffragii more Principum Romanorum exercente, Iacobo dein ceteris in ejus ſententiam euntibus, deciſa fuit. Quare rectiſſimè à Leone primo explicata eſt primatus in Petri perſona auctoritas, nempe ut eadem poteſtas quæ reliquis quo-

Vide lib. 5. De concord. Sacerd. & Imp. cap. 7.

que Apoſtolis conceſſa fuit à Chriſto, in Petro ſit *principaliter* collocata, unde proficiſcitur ut in eo conſortio fuerit *quædam diſcretio poteſtatis*, ut ait Leo, ea ſcilicet quæ in primatus prærogativa vērſatur, quæque ad gravium cauſarum relationem & ad communionis cum capite neceſſitatem ceteros adigit.

VIII. Cùm autem caput in Eccleſia conſtitutum fuerit à Chriſto ad ſchiſmatum & diſſidiorum occaſionem tollendam, ut obſervat Hieronymus, hinc fit veram eſſe & certiſſimam definitionem iſtam, Eccleſiam Chriſtianam acephalam eſſe non poſſe, illiuſque ſtatum jure divino eſſe monarchicum, ut loquebatur Gerſon, ne alioqui quotidianis diviſionibus proſcindatur. Quare Petri privilegium reale fuit, in Eccleſiæ perpetuum commodum; non autem perſonale, cujus generis erat reliquorum Apoſtolorum dignitas. Hi namque Eccleſias per varias orbis provincias inſtituentes, ſingulas ſuis finibus circumſcriptas Epiſcopis propriis regendas committebant, ſicque munere à Chriſto ſibi delato fungebantur. Hoc eſt quod recentiores volunt cùm in Petro poteſtatem ordinariam, quæ ad ſucceſſores manat, agnoſcunt, in reliquis verò Apoſtolis delegatam ſeu extraordina-

riam, quæ morte extinguitur. Quod illi locutione à lure petita docent, nos alia phrasi juridica quoque, sed faciliori expressimus; nempe privilegium primatus Petri fuisse perpetuum, cùm forma Ecclesiæ, quæ perpetua esse debet, & ab hominibus mutari non potest, instituta fuerit in collegio apostolico unà cum suo capite.

IX. Primitivæ illius institutionis rationem secuti sunt Apostoli, qui conditis à se Ecclesiis per provincias *formam Petri* præposuerunt, ut loquitur Leo I. id est, distributione episcopatuum per provincias Romanas facta, singulis Episcoporum provincialium conventibus unum Episcopum præfecerunt qui caput & Primas esset totius cœtus, ut alibi scripsisse memini, per quos ad unam Petri sedem universalis Ecclesiæ cura confluereret, quemadmodum idem Leo adnotavit. *Vide lib. 1. De concord. c. 2.*

X. Post collegii apostolici institutionem accessit Paulus à Christo ipso ordinatus Apostolus, nempe ut pari cum ceteris frueretur privilegio honoris & potestatis, non autem ut superior esset Petro, aut eum à jure primatus, quo Christus illum ornaverat, dejiceret.

XI. Quæ professi sumus de comparatione Petri cum ceteris Apostolis juxta

mentem & verba veterum, ſic explicant recentiores; Apoſtolos pares fuiſſe inter ſe cum Petro in gradu apoſtolatus, ſed non in regimine, quod ſoli Petro competebat. Id autem intelligendum eſt, ut ſuprà monui, principaliter, communionis atque relationis neceſſitate; ne alioqui reliquorum Apoſtolorum jus ad inſtituendas & regendas Eccleſias à Chriſto illis indultum infringatur.

XII. Secunda inſpectio, de privilegio Pauli, in pauca ſed illuſtria verba contrahi poteſt. Erudiendarum gentium munus, quod omnibus Apoſtolis injunctum erat à Domino, illi ſpecialiter concreditum eſt, quemadmodum Iudæorum inſtitutio Petro impoſita, ut ipſemet Paulus obſervavit. Quod ita accipiendum eſt, ut liberum quoque fuerit Paulo cum Iudæis colloqui, & Petro gentiles erudire; ut factum ab utroque Apoſtolo & acta & epiſtolæ teſtantur.

XIII. Altera quoque prærogativa doctrinæ viguit Paulus, qui ſingularis eruditionis ornamentis inſtructus, & profanam liberaturam cive Romano dignam & Iudaïcæ diſciplinæ apparatum ad pedes Gamalielis congeſtum, ſcriptis ſermonibúſque ſuis expreſſit, & expanſis ſibi à Chriſto myſteriorum arcanis, ceteros re-

velationum magnitudine ſupergreſſus eſt. Vnde ab Auguſtino clavis ſcientiæ huic Apoſtolorum Principi eleganter tribuitur, quemadmodum Apoſtolorum omnium ſummo clavis potentiæ.

XIV. Peragratis Iudææ, Syriæ, Aſiæ, Macedoniæ, Achaiæ, & Illyrici ſpatiis, & quamplurimis in Eccleſiarum fundatione exhauſtis laboribus, *ut adimpleret ea quæ deerant paſſionibus Chriſti*, ad urbem Romam, verbo informaturus quos ſcriptis antea literis confirmaverat Romanos, intrepidus præco religionis acceſſit; quoniam, ut notavit Chryſoſtomus homil. 11. ad Romanos, omnium Eccleſiarum ſollicitudine ſibi injuncta, neceſſarium erat ut ad dominæ urbis regimen & gubernationem ſeſe ingereret.

XV. Hîc ſeſe materia aperit de tertio capite agendi inquirendique quid auctoritatis Eccleſiæ Romanæ contulerint Petrus & Paulus. Sanè de Petro nullus eſt ambigendi locus quin apoſtolicæ cathedræ principatus, qui ſemper in Romana Eccleſia viguit teſte Auguſtino, ex Petri primatu profluxerit. Hoc docent Concilium Epheſinum & Calchedonenſe, Optatus, Auguſtinus, Valentiniani conſtitutio, & omnes antiqui. Ratio verò eſt in promptu. Quoniam Petrus Romanam Ec-

cleſiam præſens rexit, & in ea regenda mortem oppetendo, eam ſibi propriam & peculiarem fecit. Quemadmodum Ioannes Apoſtolus Epheſinæ Eccleſiæ Epiſcopus dicitur, non autem Paulus: quia licèt iſte Epheſios verbo & ſcriptis in fide erudierit, ab ea tamen urbe diſceſſit, aliis doctrinæ pabulum erogaturus, Ioannes verò in regenda & adminiſtranda Epheſina Eccleſia ad necem uſque perſeveravit. Immo verò ſolidæ diœceſeos ſive regionis Aſianæ curam ſeptem Epiſcopis in eo tractu per totidem civitates conſtitutis, quos in Apocalypſi recenſet, ſtudioſiſſimè geſſit. Quò reſpexit antiquus auctor apud Photium in Bibliotheca.

Quare à Cypriano *locus Petri* dicitur illius Eccleſiæ pontificium, & Romana Eccleſia, *principalis*, unde unitas ſacerdotalis exorta eſt. Illo exemplo cathedram Petri dixere Eccleſiæ Romanæ ſedem Optatus, Auguſtinus, Hieronymus, & orientalium plerique, Baſilius, Nazianzenus, Antiocheni Concilii Patres apud Euſebium, Synodi Epheſina, Calchedonenſis, Quinta, Sexta, Septima, Octava; & generaliter tractatores omnes qui Romanæ Eccleſiæ dignitatem attigerunt, illam ad Petri primatum referunt.

XVI. Hinc eſt quòd à ſede Romana

venerandæ

venerandæ communionis jura manare observat Ambrosius in epistola synodica Concilii Aquileiensis, & communionis cum ea sede & Petri cathedra necessitatem urgent Irenæus & Hieronymus. quod jus inter cetera primatus Petri privilegia observavimus. Dubiarum sanè causarum relationem Romanæ sedi faciendam ex divina auctoritate, ex veteri traditione, & secundùm canones profitentur, non solùm Siricius & Innocentius I. unà cum Conciliis Milevitano & Africano, sed etiam Cyrillus Alexandrinus. Primatus iste Petri privilegio innixus, in aliis causarum figuris, prout Ecclesiæ utilitas exigebat, sese tandem patefecit, consentientibus Episcopis & memoriam Petri honorantibus, ut loquitur Concilium Sardicense.

Vide lib. 7. De concord. c. 3. §. 8.

XVII. Paulum verò in Romana Ecclesia instituenda quas partes egisse dicemus? Sanè, ut opinor, Apostoli plenum officium in ea formanda implevit, atque adeo Episcopi. quod munus cum apostolatu conjunctum erat. Ac proinde, si ex regula quam superiùs proposui metienda est antiqua illa Episcoporum institutio, verè & propriè Paulus Romanæ Ecclesiæ Episcopus fuit. In ea etenim regenda diù laboravit, eamque sanguine pro veritate

quam docuerat profuso decoravit. Quare Epiphanius disertè Petrum & Paulum Episcopos Romanos vocat. Cui præiverat Irenæus, qui successionem Pontificum Romanæ Ecclesiæ describens, Petrum & Paulum primos enumerat, à quibus ceteros deinceps ad suam ætatem recenset: quem sequitur Eusebius, Clementi tertium à Petro & Paulo in Romano episcopatu locum assignans.

XVIII. Et ne quis offendatur, ac si duorum Episcoporum societate Ecclesiæ unitas & vetus disciplina læderetur, quæ suum cuique Ecclesiæ Episcopum eumque singularem præficit, observandum est hanc politiam synodo Nicænæ deberi, quæ canone lato ne plures uni Ecclesiæ præponerentur Episcopi, prudenter ad tollendas dissidiorum occasiones prohibuit. Alius mos Apostolorum temporibus vigebat, qui majoribus & insignioribus civitatibus plures Presbyteros sive Episcopos præficiebant; ut mutuis auxiliis suffulti, ad propagandam in suburbanas regiones fidem sufficerent. Vnde Pauli exhortatio ad presbyterium Ecclesiæ Ephesinæ his verbis concipitur: *Attendite vobis & universo gregi, in quo vos spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Antiquum etenim illud presbyterium

ex pluribus Episcopis conflatum erat, sic exigente temporum ratione, ita tamen ut unus ceteris præemineret: quod ab Apostolis ipsis introductum, qui tandem quoque solos Presbyteros secundi gradus ad conflandum presbyterium seu mavis Ecclesiæ senatum adhibuerunt. qua de re copiosiùs alibi à nobis disputatum.

XIX. Interim ad præsentem quæstionem id observasse sufficiet, non alienam esse à praxi Apostolorum plurium unius Ecclesiæ Episcoporum communionem. In Romana verò non erat quòd aliqua offensio ex illa Petri & Pauli societate timenda esset. Præterquam quòd enim duo illi Apostoli gratia divina afflati nihil spirare poterant præter concordiam apostolicam, illud quoque intercedebat mutuæ pacis vinculum, nempe officium communionis cum Petro retinendæ, ut unitas Ecclesiæ in Petri primatu fundata servaretur. Duo ergo in solidum Romanæ Ecclesiæ Episcopi, Petrus, & Paulus, sed ita ut Petrus collegii apostolici caput & princeps suam quoque dignitatem tueretur.

XX. Ex hoc episcopatu Pauli manavit ut Hieronymus Damasum Apostolos honore sequi dixerit, Romani quoque Pontifices inter cetera sedis suæ decora hoc quoque posuerint, se Vicarios esse Pe-

tri & Pauli, eorumque throni ſucceſſores, ut loquitur Hadrianus I. in epiſtola ad Conſtantinum & Irenem Imperatores. Quem imitatus eſt Gregorius VII. qui ſe in Petri & Pauli throno ſedere jactat in formula excommunicationis contra Henricum Imperatorem. Scio non ineptè dici à pleriſque Pontifices Romanos ſuccedere Petro in plenitudine poteſtatis, Paulo verò in plenitudine *legalitatis ſeu ſcientiæ*; ut loquebatur Ioannes de Capiſtrano. Quæ ratio Pontifices quoque movere potuit ut Pauli mentionem non omitterent, cui ab antiquis patribus doctrinæ principatum tributum non ignorabant. Vnde inſignis reverentia conciliabatur Romanæ ſedi: quæ cùm ceterarum Eccleſiarum non ſolùm mater eſſet, ſed magiſtra quoque, in eo magiſterio auctorem ſuum laudare poſſet gentium præcipuum doctorem. Qua ratione octava ſynodus Romanam Eccleſiam commendat quòd eam Petrus & Paulus, ſummi Apoſtolorum apices, præ ceteris Eccleſiis extulerint. Sed nihil vetat, ut monui ſuprà, quin etiam epiſcopalem auctoritatem, qua fungebatur Paulus, in Romanos Pontifices tranſmiſerit. Apoſtolicam quippe communicare non potuit, quæ morte extinguebatur. Petrus quoque epiſcopalem auctoritatem

ad Romanos Episcopos transtulit, & præterea capitis prærogativam, id est, jus universalis regiminis confusum cum episcopali gradu. Alioqui, nisi successio isthæc auctoritatis à Paulo derivatæ admittatur, ægrè ac ne vix quidem explicari potest formula illa quam à temporibus Nicolai I. id est octingentis ferè abhinc annis summi Pontifices usurpant cùm aut excommunicatione reos defigunt, aut à peccatis clementer absolvunt. Vtrumque enim se Petri & Pauli auctoritate decernere testantur. quod nisi ex successione Pauli in episcopatu interpretationem recipiat, frigidiùs dictum videbitur. Labores enim ad erudiendam fundandamque Ecclesiam Romanam à Paulo suscepti, & fusus in urbe Roma cruor, ut ad sedis dignitatem augendam ornandamque maximè conferunt, ita ad auctoritatem impertiendam nihil aut parum pertinere videntur.

XXI. Hanc auctoritatis à Petro & Paulo deductæ communionem impressæ octingentis abhinc annis in bullis plumbeis utriusque Apostoli imagines testantur, Paulo ad dexteram Petri collocato: unde præcipui quoque honoris Paulo impensi argumenta quidam trahunt. Absurdè. Quod enim latus dextrum videtur, si Pauli imago cum Petri imagine compare-

tur, est latus sinistrum, si referatur ad inſ. picientes. Ex qua relatione sæpe metiendus est honoris gradus in conventibus publicis. Hinc profectum ut Episcopus in parte chori sedeat quæ dextra est ingredientibus, & tamen respondet cornu siniſtro altaris. In quo siniſtrum & dextrum latum nuncupamus respectu habito ad divini numinis præsentiam, ac si Dei majestas ibi sederet, veluti super Cherubim, ut in veteri instrumento, vel Christi corpus vultu ad populum obverso ibi consisteret. Olim eadem ratio habita est cùm loca assignarentur in Ecclesia viris & mulieribus. Pars enim dextra viris data, siniſtra mulieribus, inspecta ingressus ad templum positione; ut patet ex antiquis inſcriptionibus. Idem observatur quotidie in Gallia, in solenni magistratuum cœtu, cùm ad Ecclesias conveniunt. Qui enim apud eos eminentiores, locum chori dextrum, qui respondet cornu siniſtro altaris, ut dixi, occupant: reliqui verò siniſtrum latus, quod respondet cornu altaris dextro. Ex hac quoque ratione ingressus tractum ut in auditorio publico senatuum sive Parlamentorum Galliæ, Præsides id latus occupent quod siniſtrum est, si conſeſ. sus ordo à personis sedentium ducatur: quod tamen respondet lateri dextro ad-

ſtantis cœtus. Quod ſplendidiùs eminet Rege in Senatu Pariſienſi ſedente pro tribunali. Ad ejus namque ſiniſtram conſident Pares Franciæ eccleſiaſtici, quibus præcipuus honos defertur; Duces verò dextram occupant: quæ latera vices mutant habita adſtantium ratione, ita ut eorum dexteræ reſpondeat ordo Parium eccleſiaſticorum. Aliud obtinebat in antiquis ſynodis generalibus; ubi propoſita in medio conſeſſu ſacroſancta evangelia vices Chriſti præſentis gerebant; ad cujus dexteram Legati ſummi Pontificis conſidebant, quæ tamen ingredientibus erat ſiniſtra. Poſſet iſthæc obſervatio variis teſtimoniis ex antiquitate petitis in utramque partem illuſtrari, niſi ſatius eſſet ex præſenti uſu confirmaſſe locum imagini Pauli in bullis plumbeis deſtinatum ſecundum eſſe cenſendum, priorem obtinente Petro ratione primatus, ut decebat.

XXII. Ex iis quæ huc uſque propoſuimus apertiſſimè conſequitur aſſertum à recentiore dogma in eo peccare quòd duo capita Petrum & Paulum in Eccleſia Romana *ex æquo* conſtituere videatur. Duo capita ſive duo Epiſcopi ferri poſſunt ex mente veterum & mediæ ætatis auctorum, & ex eo qui hodie viget formularum uſu. Sed additamentum illud, *ex æquo*, ſpon-

gia deleri debet, vel potiùs cauterio inuri; quia primatum, quem in regimine universalis Ecclesiæ solus Petrus obtinuit ex ore ipso Christi, per indebitam comparationem cum primatu Pauli, qui versabatur in solo ecclesiasticæ institutionis magisterio, ut loquitur Maximus Taurinensis, penitùs labefactat.

Quare non solùm à traditione antiquorum patrum alienam, sed etiam juri divino contrariam propositionem illam censeo.

DISSERTATIO

De discrimine clericorum & laicorum ex jure divino, & de forma regiminis à Christo instituta in Ecclesia.

CAPVT PRIMVM.

I. ECCLESIÆ Christianæ corpus in duas præcipuas partes ab antiquis divisum fuit, in clericos scilicet atque laïcos. Nec dubitandum puto quin hæc nomina, Græcæ cùm sint originis, ab ipsis Apostolorum temporibus ex Græcarum scripturarum usu inducta fuerint. Eorum mentio frequens in canonibus apostolicis, quorum vetustas & auctoritas in

oriente commendata est. Germanæ Ignatii Antiocheni epistolæ quas Vossius edidit è codice Florentino, in hoc capite ab aliis editionibus non diversæ, clericorum & laïcorum vocibus utuntur; quemadmodum & Origenes tum alibi, tum in loco qui prolatus est hoc capite. Recepta fuit in occidente Græcanica isthæc appellatio, ut patet ex Tertulliano, cujus testimonia expendentur capite sequenti. Vnde facile fuit Cypriano admissum à decessoribus suis clericorum nomen frequentare, ut facit epist. XXXIII. LXVI. & alibi. Nicænæ synodi auctoritate firmatus deinde harum vocum usus in posteros manavit. Clericos habes in canone secundo, & laïcos in quinto. Quam clericorum appellationem iis passim tributam ætate sua qui ministrorum vicem implebant in Ecclesia catholica adnotavit Constantinus M. apud Eusebium lib. x. hist. cap. VII.

II. Ea Christiani nominis distinctio, verbis originis Græcæ significata, ut levem fortè in laici explicatione difficultatem præferat, sic operosam & non contemnendam in clericorum nomenclatura discutienda. Sed antequam hoc aggrediamur, proponenda est quæ veteribus placuit clericorum definitio. Constantinus Imp. in l. II. Cod. Theodos. De Episc. &

Cler. sic illos explicat: *Qui divino cultui ministeria religionis impendiunt.* In rescripto ejusdem Principis ad Anulinum eadem sententia exprimitur his verbis: *Quare eos qui in provincia tuæ fidei concredita, in Ecclesia catholica cui Cæcilianus præest, huic sanctæ religioni sedulò inserviunt, quos clericos nominare solent, ab omnibus omnino communibus & civilibus reip. ministeriis immunes ac solutos volo.* Veræ nominum istorum origines intelligi poterunt, tum ex antiquorum interpretatione, tum ex nostra. Sed priùs aliqua in antecessum præmittenda sunt.

Apud Euseb. lib. 10. hist. c. 7.

III. Solenne fuit olim agros devictarum gentium inter duces atque milites victoris exercitus sorte jacta partiri. Vnde factum ut agri portio illa quæ cuique sortitò contingebat, κλῆρος sive sors diceretur. Quare quando terræ illius Chananææ à Deo posteris Abrahami promissæ partitio instituta est inter duodecim tribus, ut tota illa divisio κλιρυχία dicta est apud septuaginta interpretes, sic quæ singulis familiis pars agri sorte obtigit, κλῆρος sive sors dicta est. Eadem ratione quæ singulis Lacedæmoniorum civibus agri Laconici portio à Lycurgo assignata est, κλῆρος dictam fuisse Plutarchus adnotavit. Illud idem nomen obtinuit apud Athenienses

quæ unicuique è civibus pars agri mancupii jure possidenda per legem agrariam tributa est, ut observat Aristoteles. Quo exemplo quas à devictis populis ereptas agrorum partes victores Vandali in se transtulerunt, sortes sive κλήρους Vandalorum dictas docuit Procopius.

IV. Verùm ut omissis exterarum gentium moribus, ad Iudæorum instituta redeamus, unde loquendi usus ad Christianos derivatus est, satis nota sunt apud septuaginta interpretes loca illa scripturarum in quibus cleri significatio singulorum civium hereditatem & soli possessionem demonstrat. Inter cetera, Geneseos cap. XLIX. Issachar dicitur *requiescens inter cleros*, id est, tranquillè in patrimonii sui possessione degens. Sic *Iudicum* v. Debbora indignationem suam adversus Rubenitas exprimens quòd à pugna se subducerent, lares suos colendo, neglecta publicæ rei cura, *Quare*, inquit, *habitas inter duos cleros ne audias sibilos gregum?* Ex qua loquendi formula explicandus est vexatus ille variis eruditorum interpretationibus psalmi Davidici LXVII. locus: *Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ, & posteriora dorsi ejus in pallore auri.* Significat enim tam sollicitam fore Dei pro Israëlitici po-

puli tuitione curam ut tranquillè intra patrimonii quisque sui terminos securus conquiescere possit, statu rerum suarum adeo florente ut non cedat splendori candentis columbæ, quæ cum ipso fulgore argenti & auri contendit. Possent plura hujus significationis testimonia adduci, ni satius esset progredi ad ulteriora.

V. Diximus divisam fuisse regionem Chananæam duodecim tribubus, relicta Levitica tribu absque ulla agri assignatione. Verumtamen cùm Deus illam sui cultus ministerio reservasset, se ipsum illius sortem κλῆρον atque hereditatem fore pronuntiavit Numer. XVIII. & Deuteron. XVIII. Quare ut Levitici generis familiæ haberent unde se commodè exhibere possent, decimas frugum à reliquis tribubus Deo pendendas, unà cum victimarum partibus, illis delegavit Deus. Itaque & jura illi ut domino à populo Israëlitico debita fuerunt pro sorte & hereditate Leviticæ tribus. Vnde profectus est ille loquendi modus apud Davidem psal. XV. qui licèt ex alia tribu, eò quòd eximiè & præ ceteris divino cultui se devovisset, Deum agnoscit ut hereditatis suæ partem, *Dominus pars hereditatis meæ*, ac si esset per spiritum ex Levitica tribu. Ad illud exemplum tum Leviticæ tribus, tum pio-

rum hominum, qui apud Christianos divinis ministeriis erant specialiter mancipati, Dominum sibi pro sorte & clero agnoscendum profitebantur. unde clerici dicti. Hæc interpretatio hausta est ex Hieronymo in epistola ad Nepotianum: *Igitur clericus, qui Christi servit Ecclesiæ, interpretur primò vocabulum suum, & nominis definitione prolata, nitatur esse quod dicitur. Si enim κλῆρος Græcè, sors Latinè appellatur, propterea vocantur clerici, vel quia de sorte sunt Domini, vel quia ipse Dominus sors id est pars clericorum est. Qui autem vel ipse pars Domini est, vel Dominum partem habet, talem se exhibere debet ut & ipse possideat Dominum, & possideatur à Domino. Qui Dominum possidet, & cum propheta dicit,* Pars mea Dominus, *nihil extra Dominum habere potest. Quòd si quippiam aliud habuerit præter Dominum, pars ejus non erit Dominus. verbi gratia, si aurum, si argentum, si possessiones, si variam supellectilem, cum istis partibus Dominus pars ejus fieri non dignabitur. Si autem ego pars Domini sum & funiculus hereditatis ejus, nec accipio partem inter ceteras tribus, sed quasi Levita & sacerdos vivo de decimis, & altari serviens, altaris oblatione sustentor, habens victum & vestitum, his contentus ero, &*

nudam crucem nudus sequar. Ex quo Hieronymi loco docemur clericorum Ecclesiæ inde nomen ductum quòd Dominus sit eorum pars, eò quòd se illius cultui manciparunt, ut jam monui. Quod autem inde colligit illos ex eo jus quæsitum habere ex decimis & ex altari vivendi, atque adeo necessum esse ut his sint contenti, confirmatum quoque est canonibus Carthaginensibus & ab Augustino, aliisque à patribus traditum. qua de re alibi.

VI. Isidorus Hispalensis ad originationem ab Hieronymo prolatam aliam adjungit lib. VII. origin. cap. XII. clericos nempe dictos quòd Matthias primus ab Apostolis sorte adlectus sit in ecclesiasticum ordinem. quod ex Augustino mutuatus est in psal. LXVII. *Cleros & clericos hinc appellatos puto qui sunt in ecclesiastici ministerii gradibus ordinati, quia Matthias sorte electus est, quem primum per Apostolos legimus ordinatum.* Id sanè nominis etymon frigidum videri posset, nisi observatione sequenti adjuvetur, quæ docebit ex sortitione Matthiæ non ineleganter trahi posse clericorum originem. Sed alio tramite ducenda est quàm factum fuit hactenus. Certum est *Actor. cap.* 1. jactas sortes ut Deus consilium suum

aperiret quis è duobus Barſaba & Matthia in Iudæ quondam Apoſtoli locum cooptandus eſſet, ſortemque Matthiæ contigiſſe. Dubium non eſt quin ſors iſta peracta fuerit more illo qui uſurpatus fuerat in terræ diviſione. Conjecta ſunt ſcilicet in urnam duorum nomina ſchedis inſcripta, atque in alteram urnam binæ ſchedæ immiſſæ; quarum altera vacua, altera nomine *Apoſtolus* inſcripta. Eductis deinde ex utraque urna binis ſchedis, nomen Matthiæ cum nomine apoſtolatus emerſit. quod his verbis Lucas ſignificat: *Cecidit ſors ſuper Matthiam*, ἔπεσεν ὁ κλῆρος. Ad eum modum David ſacerdotum functiones ſorte diſtribuerat 1. *Paralip.* XXIV. Quare ſacerdotes ſorte illa deſtinatos Ioſephus vocat κληρωτοὺς ἱερεῖς. Quod enim Dei miniſterium adtingebat, illius judicio per ſortes jactas committi congruum eſſe videbatur. Qui ſenſus etiam gentilium animis inſederat, ut patet ex Platone ſexto de legibus; qui docet illa quæ ad ſacra pertinent, Dei ſorti & divinæ fortunæ, θείᾳ τύχῃ, permittenda eſſe. Itaque ſors illa in Matthia pro divini numinis judicio ſumitur. Porrò Dei gratia & judicio clericos ad Chriſtianam Eccleſiam adlegendos pro divini cultus miniſterio docent confertim veteres; atque in eo ſyna-

gogæ & Levitici generis cum Ecclesia catholica & ejus ministris constituunt discrimen. Augustinus : *Deus non ex genere carnis & sanguinis, sicut erat primum secundùm ordinem Aaron, sed sicut oportebat in testamento novo, ubi secundùm ordinem Melchisedech summus sacerdos est Christus, pro cujusque merito quod in eo divina gratia contulerit, Levitas & sacerdotes eligit.* Scriptor sermonis de unctione chrismatis inter opera Cypriani: *Nec sunt hereditariæ successiones Pontificum, vel uni Leviticæ tribui ministeria assignata, sed de omni tribu, gente, & lingua, quos dignos & idoneos divina probat electio, secundùm vitæ, non generis, meritum statuit sacerdotes.* Quod elegantissimis verbis Leo I. significat sermone secundo in die anniversario assumptionis suæ. *Cùm hujus divini sacerdotii sacramentum etiam ad humanas pervenit functiones, non per generationum tramitem currit, nec quod caro & sanguis creavit eligitur, sed cessante privilegio patrum, & familiarum ordine prætermisso, eos rectores Ecclesia accipit quos spiritus sanctus præparavit, ut in populo adoptionis Dei, cujus universitas sacerdotalis atque regalis est, non prærogativa terrenæ originis obtineat unctionem, sed dignatio cælestis gratiæ gignat antistitem.* Quare de clericis exemplo

exemplo Matthiæ dici poterit, eos judicio Dei ad ministerium assumptos, sortem sive κλῆρον super eos cecidisse, atque adeo rectè clericorum nomen illis inditum.

VII. Attamen, ut verum fatear, ex ipsis scripturæ verbis petenda est, absque ullis conjecturarum anfractibus, clerici nominis origo. Κλῆρος non solùm significat res soli hereditarias, ut monuimus, sed quicquid alicui obvenit, sive munus aut functio publica ad quam se aliquis adjungit, in qua à reliquis secernitur. Vnde duo harum sortium genera inveniuntur in scriptura, *sortes sanctorum*, quæ pertinent ad omnes Christianos, qui ex speciali veri Dei cultu à paganis distinguntur, ut cap. 1. epistolæ ad Colossenses: εὐχαριστοῦντες τῷ θεῷ καὶ πατρὶ, τῷ ἱκανώσαντι ἡμᾶς εἰς τὴν μερίδα τοῦ κλήρου τῶν ἁγίων ἐν τῷ φωτί. Pars sortis sanctorum in luce sunt Christiani, qui lucem habent comitem, in quo differre eos à Iudæis insinuat Apostolus: qui quidem pars quoque sortis erant à gentilibus segregati, ut significatur Deuteron. XXXII. Sed immersi erant tenebris post promulgatum evangelium.

VIII. Eodem sensu explicandus est Petri Apostoli locus 1. Pet. v. *non dominantes in cleris*, ὡς μὴ κατακυριεύοντες τῶν κλήρων, ἀλλὰ τύποι γινόμενοι τοῦ ποιμνίου. Μα-

net enim Ecclesiæ rectores ut fidelium gregem placidè regant, nec dominandi fastu in eos turgeant, sed se ipsos in vitæ emendatæ exemplum præbeant. Quare cleri hoc loco gregem universum Christianorum significant, non autem solum clericorum ordinem; quamvis ad eos quoque specialiter accommodari possit, qui sunt pars præcipua gregis sive cleri. Vnde ad clericos hunc locum transtulerunt veteres nonnulli. Oecumenius: Κλῆρον ὁ τὸ ἱερὸν σύστημα καλεῖ ὥσπερ νῦν ἡμεῖς.

IX. Sed alia est *sors ministerii*, quæ solos clericos respicit, & unde illis nomen est datum. Ejus mentio conceptis verbis habetur Actor. cap. 1. ubi de substituendo in Iudæ locum locum aliquo agit Petrus. Ait quippe proditorem illum obtinuisse munus apostolatus, ἔλαχε τὸν κλῆρον τῆς διακονίας ταύτης; quam deinde ex Davidis psalmo juxta LXX. interpretes ἐπισκοπὴν id est episcopatum vocat. Sors ergo sive κλῆρος ministerii pertinet ad pastores eorumque ministros, quemadmodum sors sanctorum omnes Christianos complectitur. Videtur autem Lucas nomen illud κλῆρος ad ministerium Ecclesiæ significandum usurpasse, ductus auctoritate LXX. quos sequitur dum laudat veteris testamenti loca. Etenim Hieremias cap. XII. ubi Iudaicos

pastores ob negligentiam carpit, adjungit minas: οἱ κλῆροι αὐτῆς οὐκ ὠφελήσουσιν αὐτοῖς, *cleri eorum non proderunt illis.* ac si diceret munus illud publicum, quo à ceteris secernuntur, non eis profuturum ut se à pœnis commeritis subducant. Sanè veteres verba illa Hieremiæ, ob munerum similitudinem à Iudæo ministerio translata, corpori & ordini clericorum Ecclesiæ Christianæ accommodant. Origenes homilia septima in Hieremiam: *Hæc ante me alij exposuerunt. Et quia non improbo interpretationem eorum, consentiens eandem profero. Nos qui putamur aliquid esse, id est, qui in clericatus vobis ordine præsidemus, in tantum ut quidam de minori gradu ad hunc locum cupiant pervenire, nosse debetis non statim in eo salvandos quia clerici sumus. Multi enim & Presbyteri pereunt, & laici beatissimi reperiuntur.* Epiphanius in epistola ad Ioannem Hierosolymitarum: *Oportebat nos, dilectissime, clericatus honore non abuti in superbiam, sed custodia mandatorum Dei & observatione diligentissima hoc esse quod dicimur. Si enim sancta scriptura loquitur, cleri eorum non proderunt eis, quæ arrogantia clericatus conducere nobis poterit, qui non solùm cogitatione & sensu, sed etiam sermone peccamus.* Hieronymus quoque in commen-

tario hujus loci : *Dicitur hoc & Ecclesiasticis. Quid enim eos juvare poterit Episcopi nomen & Presbyteri vel reliquus ordo ecclesiasticus, cùm magis graventur dignitatibus suis, & potentes potenter tormenta patientur ?*

X. Occasione hujus loci prætermittendum non est, ab Hieronymo, non solùm isthic, sed in commentarijs quoque ad Oseam & Abdiam, sacerdotes aliosque ministros vocari Ecclesiasticos. Ambrosio quoque tributus commentarius eadem voce utitur, tum in prima ad Timoth. cap. VI. tum in secunda cap. II. *Ecclesiasticus*, inquit, *idcirco Deo se probat ut huic devotus officium impleat quod spopondit, in Dei rebus sollicitus, à seculari negotio alienus.* Cujus appellationis causa non est inquirenda subtiliùs, quòd ipsamet se prodat ex vocabuli prolatione ; nempe quia clerici ministeriis Ecclesiæ sunt addicti, sicut Palatini dicuntur in Codice qui militant in palatio. Si quis tamen aliquid sublimius sapere velit, poterit nomen istud arcessere ex loco Pauli ad Hebræos cap. XII. ubi Apostolorum collegium fide & animo, quamvis non loco, conjunctorum vocat Ecclesiam primitivorum. Conversos enim Iudæos ait per fidem accessisse ad montem Sion

& cœleſtem Hieruſalem, ad conventum angelorum, & ad Eccleſiam primitivorum ſive primogenitorum, qui ſunt deſcripti in cælis. Rectè de Apoſtolis hunc locum explicat Ambroſius: qui quidem cùm primitias ſpiritus habuerint, (ut loquitur idem Paulus *Rom.* VIII.) dicuntur πρωτότοκοι ſive primitivi juxta Latinum interpretem, id eſt, primi per Chriſtum regeniti. Eorum autem nomina, etiam cùm viverent, deſcripta erant in cælo ſive recenſita in albo civium cœleſtium ob jus civitatis illius adipiſcendæ, quemadmodum primogeniti Iſraelitarum ſcripti erant in matricula & libro cenſuali civitatis ſuæ *Num. c.* 1. Quare cùm Epiſcopi ſuccedant Apoſtolis, illorum corpus, adjunctis quoque miniſtris inferioris gradus, Eccleſia dici poterit eleganter ex auctoritate ſcripturarum, ut vulgò quoque vox illa uſurpatur, & viri ipſi poterunt Eccleſiaſtici nuncupari juxta veterem uſum quem ſecuti ſunt Hieronymus & Ambroſius.

XI. Reliqua pars Eccleſiæ à Clericis diſtincta laicorum nomine comprehenditur, ut dixi, honeſto quidem illo, non autem humili & abjecto, ut blaterant hæretici, quò hac quoque in re de faſtu clericorum conquerendi occaſionem cap-

tent. Laici dicuntur ἀπὸ τοῦ λαοῦ. Porrò hac dictione significatur in scripturis ex versione LXX. populus Dei, quem ille sibi peculiarem & hereditarium fecit, segregatum à colluvie gentium, synagogæ temporibus primùm, sed excellentiùs post evangelium promulgatum.

XII. Quare clerici erunt in Ecclesia pars quidem populi illius selecti, sed præcipua, utpote quibus regendæ Ecclesiæ post Episcopos & ministros inferiores cura concredita est. Laici verò constituent alteram populi Christiani partem sub nomine generali τοῦ λαοῦ. Simile discrimen reperies in civitatibus Romanis; quæ duabus partibus constare dicuntur, ordine & plebe. Ordo significat Duumviros alioſque magistratus municipales & Decuriones. Plebis autem nomine reliquus civitatis populus designatur. Quare eleganter istud loquendi genus è foro transtulit in Ecclesiam Tertullianus; qui quos uno in loco clerum & laicos, altero ordinem & plebem vocat. *Differentiam inter ordinem & plebem constituit Ecclesiæ auctoritas, & honor per ordinis consessum sanctificatus.*

Tertull. c. 7. de exhort. cast.

CAPVT SECVNDVM.

I. QVIN discreta sint munia populi & cleri divini juris auctoritate nemini dubium esse potest qui sobria mente scripturas sacras perlegerit. Vetus testamentum sacra omnia & legis interpretationem à Deo Leviticæ tribui reservata docet *Exod.* XIII. & passim, interdicta reliquis tribubus sacrificiorum functione. quod abundè testantur Core, Dathan, & Abiron terræ hiatu absorpti quòd ad hujus communionem functionis cum Aaronidis aspirarent *Numer.* XVI. & Ozias lepra percussus quòd se sacrificijs obeundis immiscuisset. Munus enim sacrorum ut ante legem Mosis ad primogenitos familiarum pertinebat, ita deinceps ad tribum Levi solam ex Dei jussu concessit. Nemo enim sibi honorem assumebat, sed qui vocatus erat à Deo tamquam Aaron; ut loquitur Paulus capite quinto ad Hebræos. Quo exemplo evangelii quoque status id exigebat ut quemadmodum non solvendæ legis sed implendæ causa promulgabatur, sacrorum rituum institutorum à Christo ministros atque eosdem perfectioris novæque doctrinæ magistros in Ecclesia constitueret.

Quod prudenter ille ac divino consilio perfecit, Apostolos seligendo, quibus regendæ Ecclesiæ munus concredidit, ut infrà uberiùs docebimus. Porrò quantopere à reliquis è populo Christiano secreti illi essent, Pauli verba demonstrant in capite primo epistolæ ad Romanos. Statim enim atque se Apostolum nominavit, adjungit, *segregatus in evangelium Dei*, ἀφωρισμένος. Etenim sicut Deus populum Israel dicitur, ἀφωρίσθαι, secrevisse à reliquis populis *Levit.* xx. Paulum quoque apostolatus functioni addictum à reliquo populo Christiano secrevit & segregavit. Eadem locutione utitur Lucas *Actor.* 111. cùm de Paulo & Barnaba solenni more mittendis spiritus sancti mandata refert: *Segregate mihi Saulum & Barnabam in opus ad quod assumpsi eos. Tuncque jejunantes & orantes, imponentesque eis manus, dimiserunt eos.* Mysteria quippe Christianæ religionis specialiter Apostolis, neque verò alijs, à Deo commissa sunt, teste Paulo 1. ad Cor. 1v. *Sic nos existimet homo ut ministros Dei & dispensatores mysteriorum Christi.* Quæ potestas deinde communicata est à spiritu sancto solis Episcopis, quos Apostoli institutis à se Ecclesiis præfecerunt, ut docet Lucas Actor. 20. *Attendite vobis &*

universo gregi in quo vos constituit spiritus sanctus Episcopos regere Ecclesiam Dei.

II. Hoc discrimen Ecclesiæ ministrorum à reliquis Ecclesiæ membris à Deo profectum conceptis verbis docet Paulus in epistola prima ad Corinthios cap. XII. Quamvis enim Ecclesiæ sit unum corpus eodem spiritu vegetatum, varijs tamen ex membris conflatur: quæ licèt mutuum inter se consensum & consortium habeant, singula tamen membra suis quæquæ officijs destinata sunt, ut eleganter demonstrat Paulus. Deinde subjungit, posito illo membrorum discrimine: *Quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia primùm Apostolos, secundò Prophetas, tertiò Doctores &c.* Mox: *Numquid omnes Apostoli, numquid omnes Prophetæ, numquid omnes Doctores?* Eandem doctrinam ponit in epistola ad Ephesios cap. IV. & instituendæ in Ecclesiæ hujus potestatis causam exponit, similitudine corporis humani Ecclesiam significans. Nempe Apostolis & alijs pastoribus atque magistris injunctum docet opus ministerij, ut fideles erudiant, Ecclesiam, quæ Christi corpus est, ædificantes, donec eos in fidei unitate & cognitione filij Dei ut viros firmis viribus instructos perficiant, & ad figuram ejus magnitudinis sive staturæ

quæ plenum & omnino perfectum Christi corpus decet, laboribus suis perducant. ἡλικία, ætas, hic significat magnitudinem sive staturam, ut Matthæi sexto; & de ædificijs usurpatur, ut apud Vitruvium dicitur *ætas ædificiorum*. Pauli ergo verba sunt: *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Evangelistas, alios autem pastores & doctores ad consummationem sanctorum, in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei & agnitionis filij Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.*

III. His addere debemus manifestum, quod discrimen istud demonstrat, argumentum, scilicet ritu quodam sacro Episcopos ab Apostolis Christum imitantibus institutos, collato spiritu sancto per impositionem manuum, qua viri selecti Dei & Ecclesiæ ministerio consecrabantur. Testis Paulus in secunda epistola ad Timotheum cap. 1. *Admoneo te ut resuscites gratiam Dei quæ est in te per impositionem manuum mearum.* Ἐπίθεσις τῶν χειρῶν Pauli, qua Deum solenniter implorabat pro Timothei sacra inauguratione, conjunctam habuit gratiam, ejus nempe generis per quam velut igne divino suscitatam cons-

tanter & abſque timore ullo in fide & dilectione permanere poterat & alios in officio retinere ; ut patet ex ſequentibus verbis epiſtolæ. Meminit quoque ejuſdem gratiæ Timotheo in ordinatione collatæ 1. ad Timoth. cap. 1v. *Noli negligere gratiam quæ in te eſt, quæ tibi data eſt per prophetiam cum impoſitione manuum presbyterij.* Paulus quidem manus impoſuerat, ſed adjuncto Preſbyterorum cœtu, qui ad teſtandum aſſenſum manus ſuas cum Epiſcopo conjungebant. Porrò data fuerat gratia Timotheo, ſpiritu Dei Paulum & alios excitante ut illum in ordinem eccleſiaſticum adlegerent, quemadmodum admonuit Paulus capite primo hujus epiſtolæ. quò reſpiciunt verba *per prophetiam*, quæ habentur hoc capite quarto ; nempe præſignificatum fuiſſe per aliorum prophetiam manus conſecrationis datum iri Timotheo. Etenim cùm divinum, & non humanum, eſſet quod Epiſcopis munus conferebatur, apoſtolicis illis temporibus Dei monitu & ſancti ſpiritus interiori inſtinctu ſacerdotes ordinandi deſignabantur, ut rectè obſervavit Chryſoſtomus ad caput illud primum. Τότε ἦ ἐπεὶ οὐδὲν ἀνθρώπινον ἐγένετο, ἡ ἀπὸ προφητείας ἐγένοντο οἱ ἱερεῖς. Theophylactus : τὸ παλαιὸν ἀπὸ προφητείας ἐγένοντο οἱ

ἱερεῖς, τουτέστιν ἀπὸ πνεύματος ἁγίου. Sive κατὰ πνεύματος ἀποκάλυψιν, ut explicat Oecumenius. Quare veteres ordinationem inter sacramenta recensuerunt æquè ac baptismum. Illam enim comparationem tamquam seculo suo ab omnibus receptam urget Augustinus adversùs Parmenianum, ut doceat semel adeptum sacer-
Lib. 2. c. 13. dotium amitti non posse. *Si enim utrumque sacramentum est, quod nemo dubitat, cur illud* (baptismi) *non amittitur, & illud* (ordinationis) *amittitur? Neutri sacramento injuria facienda est.*

IV. Sed cùm nulla sit Christiani pars dogmatis tam firmiter constituta quin homines profani eam suis insanis novitatibus convellere conati fuerint, in hanc irruerunt Vualdenses hæretici & qui nostra hac ætate eorum se vestigia premere gloriantur: quorum hæc est sententia, nullum esse discrimen inter laicos & clericos ex jure divino profectum, quin potiùs omnia laicis permissa quæ clericis, etiam quoad sacrorum ministerium. Illud autem ex eo præcipuè probant quòd sacerdotium sit penes fideles omnes, cùm Chri-
1. Pet. 2. stianus populus sit non solùm gens sancta, sed etiam *regale sacerdotium*, ut loquitur Petrus. Cui consentit Ioannes, qui cap. xx. Apocalypsis docet fideles à Christo

constitutos *sacerdotes & regnum*. Quæ loca cùm ab antiquis patribus olim pertractata sint, nulla nobis molestia in eorum interpretatione pertimescenda est. Vetustas Christiana duplex cognovit ut sacrificiorum sic sacerdotii genus, alterum commune & laxioris ambitus, alterum speciale & novo testamento proprium. Prioris illius species, orationes nempe, beneficentiæ, & si qua ejusmodi quæ in scripturis novi testamenti victimarum & oblationum vocabulis continentur, cum antiquo legis statu communes Christiano sunt; præter quas, proprium hujus est sacrificium, quod inter ceteras muneris sui functiones sacerdotibus Christianis competit. Si quis laudes Deo fusas & pia fidelium opera sacrificiis accenseri dubitet, legat psalmos qui interpellant sacrificium justitiæ & laudis aut epistolam ad Hebræos cap. XIII. quæ docet per Christum nos offerre Deo sacrificium laudis, θυσίαν αἰνέσεως, scilicet fructum labiorum quæ nomen ejus confitentur. Ea verba cùm desumpta sint ex Oseæ cap. XIV. qui vitulos labiorum eleganter vocat illas gratiarum actiones, ostendunt Iudæis atque Christianis communes fuisse laudum victimas. *His autem sacrificiis promeretur Deus*, ut statim subjungit auctor epistolæ.

V. Horum ratione ſacrificiorum ſacerdotes ſunt Chriſtiani omnes, teſte Origine homil. IX. in caput XVI. Levitici; ubi pluribus verbis ſententiam illam amplificando concludit: *Si membra mea ab omni concupiſcentia carnis mortificavero, ſi mundus mihi crucifixus ſit & ego mundo, holocauſtum obtuli ad altare Dei, & ipſe meæ hoſtiæ ſacerdos efficior.* Quæ ratio fuit inducendi olim ritum unctionis in baptiſmi celebratione, ut intelligerent Chriſtiani eodem ſacramento quo in filio Dei adoptabantur & Chriſtum, qui Rex eſt atque Pontifex, induebant per ſpiritus ſancti unctionem externo ſigno adumbratam, regiæ quoque & ſacerdotalis dignitatis eſſe participes. quæ utraque apud Iudæos chriſmatis unctione conferebatur. Id docuit diſertè, utens ſuperioribus Petri verbis, auctor conſtitutionum apoſtolicarum lib. III. cap. XV. Et Origenes: *Omnes quicunque unguento ſacri chriſmatis delibuti ſunt, ſacerdotes effecti ſunt; ſicut & Petrus ad omnem dicit Eccleſiam.* Cui adjungemus Ambroſium lib. IV. de ſacr. cap. I. qui rem in pauca egregiè contrahit: *Vnuſquiſque ungitur in ſacerdotium, in regnum; ſed ſpirituale regnum eſt & ſacerdotium.* Planè quemadmodum Chriſtiani dicuntur Reges, non propriè, ſed

mysticè, idem judicium ferendum est cum antiquis patribus de sacerdotio fidelium quod adipiscuntur in baptismo. Vnde Hieronymus adversùs Luciferianos eleganter baptismum vocat sacerdotium laici.

VI. Vberiùs Augustinus enarrans locum Apocalypsis lib. xx. de civit. cap. x. *Erunt sacerdotes Dei & Christi, & regnabunt cum eo mille annis, non utique de solis Episcopis & Presbyteris dictum est, qui propriè jam vocantur in Ecclesia sacerdotes; sed sicut omnes Christianos dicimus propter mysticum chrisma, sic omnes sacerdotes, quoniam membra sunt hujus sacerdotis; de quibus Apostolus Petrus, plebs, inquit, sancta, regale sacerdotium.* Elegantiùs eandem explicationem proponit Leo I. in sermone tertio de anniversario: *Omnes in Christo regeneratos crucis signum efficit Reges, sancti verò spiritus unctio consecrat sacerdotes; ut propter specialem nostri ministerii servitutem, universi spirituales & rationales Christiani agnoscant se regij generis & sacerdotalis officij esse consortes.* Rationem verò subjungit cur Reges & Sacerdotes dicantur: *Quid enim tam regium quàm subditum Deo animum corporis sui esse rectorem? Et quid tam sacerdotale quàm vovere Domino conscientiam puram, & immaculatas pietatis hostias de altari cordis offerre?*

VII. Non alienum erit his adjungere, ex ſacerdotij iſtius myſtici & ſpiritualis dignitate fieri ut ſacrificium incruentum mediatoris, quod à ſolis quidem ſacerdotibus propriè dictis conſecratur, ab Eccleſia, id eſt, ab univerſo fidelium cœtu, & Chriſti ſponſa, quæ non habet maculam neque rugam, Deo offerri dicatur; unde ex ſpiritus unitate mira fit rerum connexio, quam obſervavit Auguſtinus, ut tam ipſe Chriſtus per ipſam Eccleſiam quàm ipſa per ipſum offeratur. quod ſinguli qui myſterijs interſunt, pro modulo ſuo quotidie præſtare poſſunt, ut docent verba canonis quæ recitantur in Miſſa. Porrò fideles non tantùm eo ſenſu dicuntur Reges quòd motus animi ſui regere poſſint & debeant, ut docuit Clemens Alexandrinus quinto ſtromateon, quemadmodum de ſapiente jactabant Stoici eum ſolum eſſe Regem, ſed etiam quia ſunt conſortes ejuſdem regni cum Chriſto, quem induerunt in baptiſmo, ſi in vincendis cupiditatibus regios animos in hac vita gerant; ut *ſi compatiuntur, & conglorificentur.* Quare concludendum eſt ſacerdotium illud regale quod Petrus Chriſtianis tribuit non impedire quin aliud ſit verum & proprium in Eccleſia ſacerdotium à myſtico illo diſtinctum; quemadmodum

modum in Deuteronomio cap. XIX. cùm populus dicitur regale ſacerdotium, non ſequitur verum ſacerdotium tribus Leviticæ cum populo communicatum.

VIII. Sed unus præcipuè opponitur Tertullianus, qui in libro de exhortatione cap. VII. laicos propriè ſacerdotes facere videtur cum poteſtate offerendi & tingendi. Hæc ſunt ejus verba: *Nonne & laici ſacerdotes ſumus? Scriptum eſt: Regnum quoque nos & ſacerdotes Deo & patri ſuo fecit. Differentiam inter ordinem & plebem conſtituit Eccleſiæ auctoritas, & honor per ordinis conſeſſum ſanctificatus. Adeo ubi eccleſiaſtici ordinis non eſt conſeſſus, & offers & tinguis & ſacerdos es tibi ſolus. Sed ubi tres, Eccleſia eſt, licèt laici.* Sic conſtituenda eſt lectio hujus loci in editione v. c. Rigaltij ex vetuſto codice Agobardi. Qui Tertullianum nobis intentant, debent ſanum illum ab ægro & in hæreſim lapſo diſtinguere. Priùs adversùs hæreticorum novitates præſcribens, & ordinationes eorum temerarias ſuggillans, ait eos laicis ſacerdotalia munera injungere. Poſtea Montani peſtifero afflatu impulſus, laicis ipſis ſacerdotale munus vindicare videtur. Itaque ſi de ejus ſententia, ut objicitur, diſceptandum ſit, priori admiſſa, ſecundam rejiciendam nullus dubitabit niſi hæ-

Lib. de præſcript. c. 41.

reticus. Quamquam si æquo jure cum illo agere velimus, exaggeratam potiùs in ejus verbis sententiam quàm putidum illud dogma deprehendemus. Rigidæ disciplinæ sectator, eandem laicis quàm sacerdotibus monogamiæ fibulam imponere contendebat. Arripiebat quascunque argumentorum occasiones ad continentiæ illius probandam necessitatem, qualem sacerdotes exercebant. Ideo sacerdotium laicis asserebat cum jure tingendi & offerendi, si abesset consessus ordinis ecclesiastici, nempe in ædibus privatis. Vetitum sanè laicis baptizare, nisi necessitas extrema urgeat; ut docent ipse Tertullianus libro de baptismo cap. XVII. & Augustinus lib. II. adversùs Parmenianum cap. XIII. ea lege tamen ut si nulla cogente necessitate baptismum conferant, quamvis illicitè datus fuerit, valeat tamen, teste Augustino. Offerre verò nusquam licuit laicis. quod tamen ab ijs usurpari contendit Tertullianus. Sed ludit in ambiguo verbi. Offerre significat & corporis Christi consecrationem, quæ à solis sacerdotibus propriè dictis peragi potest. Rei verò consecratæ oblatio ex usu temporis illius fieri poterat à laicis intra ædes privatas. Quippe illis licitum erat ea tempestate corpus Christi, quod

in ſynaxi ab Epiſcopo acceptum reſervaverant, deferre domum, ut ex eo communicarent ipſi cum familia, cui ſumendam quoque buccellam porrigebant. Oblationem priùs corporis dominici conceptis verbis paterfamilias Deo patri ad implorandam ejus opem per ſacrificium mediatoris agebat. In quo partem ſacerdotii exequebatur. Ac proinde cùm offerret & tingeret, inde concludit Tertullianus laico, utpote ſacerdoti, ſecundas nuptias eſſe interdictas. quod fusè perſequitur libro de monogamia cap. VII.

IX. Attamen probationis genus illud repellebatur à pleriſque Montani ſectatoribus, qui ſacerdotij impropriè ſumpti à vero diſcrimen non ignorabant, ut ipſe indicat ejus libri cap. XII. *Cùm extollimur*, inquit, *& inflamur adversùs clerum, tunc unum omnes ſumus, tunc omnes ſacerdotes, quia ſacerdotes nos Deo & patri fecit. Cùm ad peræquationem diſciplinæ ſacerdotalis provocamur, deponimus infulas, & pares ſumus.* Legendum eſt, *impares ſumus*, ut hæc ultima verba prioribus reſpondeant. *Vnum*, inquit, *ſumus, omnes ſacerdotes.* Ergo pares. Sed quando ex illa æqualitate ad ejuſdem diſciplinæ de monogamia peræquationem urgemur,

tunc cedimus infulis ſacerdotalibus, & impares nos agnoſcimus. Tunc ſcilicet differentiam utriuſque ſacerdotij profitebantur.

X. Reſtat ut videamus quid ſignificet cùm differentiam inter ordinem & plebem ait auctoritate Eccleſiæ conſtitutam, & honore per ordinis conſeſſum ſanctificato. In quo certum eſt illum ſervire hypotheſi, ut expugnet & callidè obtineat quod ſibi propoſuit. Enimverò ſi verba in eum ſenſum quem præferunt explicentur, differentiam illam ab Eccleſia manantem in conſeſſus honore ponit; diſſimulata interim, quamvis non negata, alia differentia quæ ex jure divino proficiſcitur. Stabant laici in Eccleſia, ſedebant Epiſcopi & Preſbyteri. Hoc eſt quod inductum ait Eccleſiæ auctoritate, ideoque non eſſe quòd externa illa ſpecie dignitatis moveantur ne ſacerdotium agnoſcant in laïcis. Diſcrimen autem illud quod in conſecrandi poteſtate conſiſtit egregiè diſſimulat ut cauſæ ſuæ contrarium. Ex ſola tingendi & offerendi poteſtate, quæ ab omnibus admittebatur, propoſitam monogamiæ neceſſitatem ſequi putabat. Quod autem ſubjungit Tertullianus, *Vbi tres, Eccleſia eſt, licèt laïci*, deſumptum ex regula juris, quæ tres colle-

gium facere dicit. Exempla autem domesticæ Ecclesiæ habentur apud Paulum, qui Ecclesiam salutat quæ erat in Aquilæ & Priscillæ domo, Nymphæ quoque sive Nymphodori Ecclesiam, & Philemonis, id est, eorum familiam, quæ Christiana erat & Ecclesiam constituebat, quoniam pars erat Ecclesiæ catholicæ. Alioqui conventiculum esset, non Ecclesia.

CAPVT TERTIVM.

De forma regiminis à Christo instituta in Ecclesia.

I. ECCLESIASTICVS ordo in tres præcipuos gradus dividitur; quorum primum & supremum Episcopi obtinent, secundum Presbyteri, tertium Diaconi. quæ discrimina divino & apostolico jure sunt instituta. Etenim cùm Christus Ecclesiæ suæ, quam in terris relinquebat, curam non omitteret, debuit non solùm internis illam beneficiis fovere, quæ à capite in corpus profluerent, sed etiam certa quadam & prudenti regiminis externi specie in perpetuum duratura aspectabile corpus illud administrare. Non defuit huic officio tam necessario. Constituit quippe in Ecclesia ad eam regendam quos ex om-

ni Iudæorum cœtu elegit Apoſtolos, eoſque pleniſſima ad hoc opus arduum auctoritate benigniùs inſtruxit. Ea porrò cùm deſtinata eſſet ad mentes hominum in hoc vitæ ærumnoſæ decurſu ad beatitudinem aliquando adipiſcendam dirigendas, non ſolùm per doctrinæ Chriſtianæ eruditionem, ſed etiam per ſacras expiationes & cenſuram divinam, quæ rebellium animos percelleret; ſpiritualis eſſe debebat. Ejus generis fuit poteſtas illa quam Chriſtus Apoſtolis ſuis tradidit: quæ variis in locis evangelii deſcripta, inde hauriri debet, ut vera ejus cognitione imbui poſſimus. Non diffiteor quin res apertiſſima ſit, ſi à cavillationibus ingenii, quas diverſarum partium factiones peperere, bona fide abſtineretur. Sed in tam abrupta adversùs veritatem animorum contumacia difficile eſt illam à mendaciis obſtrepentibus vindicare. Quæ tamen difficultas cùm non petatur ex re ipſa, propoſitum meum de illa paucis diſſerendi non retardabit. Id autem ut apertiùs fieri poſſit, quæ prolixis diſputationibus implicatur potiùs quàm docetur regiminis iſtius forma, compendio verborum in tres aut quatuor articulos conjicienda eſt & aſtruenda juxta genuinam ſacræ ſcripturæ & veterum patrum traditionem.

II. Christus Dominus noster Apostolis omnibus & singulis in solidum Ecclesiam suam fundandam, docendam, & regendam commisit, ea tamen lege adjecta ut Petrus inter eos primatum gereret & caput esset collegii illius apostolici, eo fine scilicet ut præter communem cum aliis curam, unitatis conservandæ in exercendo regimine sollicitudo præcipuè & specialiter illi competeret. Ideoque ut consilium illud Apostolis significaret, Petrum Christus veluti petram atque fundamentum ad Ecclesiam ædificandam constituit. Præterea sermone ad illum coram ceteris specialiter directo, claves Ecclesiæ postmodum ipsi tradendas spopondit cum potestate ligandi atque solvendi. Quæ pollicitatio Petro facta ad ceteros quoque Apostolos pertinebat & ad Ecclesiam universam ejusque pastores in futurum præficiendos, scilicet ut scirent omnes pontificii potestatem semper cum Petri Ecclesiæ capitis communione & unitate retinendam; ad quod ipse præcipuè cum potestate ligandi contumaces huic unitati cogere posset.

III. Executio quæ hanc pollicitationem secuta est, Apostolis ipsis, atque adeo Petro ex illis uni, potestatem plenam antea promissam contulit. Sed pau-

lò pòst seorsim auctoritas pascendi universi gregis Petro concessa est. Quibus verbis promissa Petro capitis potestas pro tuenda unitate in universalis Ecclesiæ regimine illi præ ceteris indulta est. Aliquid enim specialiter datum necesse est intelligi per sententiam Domini ter repetitam post acceptam communiter eandem cum aliis potestatem.

Ceteri quippe Apostoli sic una potestate instructi sunt in solidum ut ejus inter se divisionem faciendam & verbis Domini & ex operis mandati natura non ignorarent. Præceperat Christus ut irent ipsi, & universi orbis homines personaliter instituerent. Porrò cùm singuli terras omnes peragrare non possent, executio mandati divisione provinciarum inter se facta illis aggredienda erat. quæ tamen partitio non impediebat quin solidum jus administrationis penes unumquemque remaneret. Illo verò jure uti poterant etiam in alienis provinciis, si aut proprii Apostoli absentia aut Ecclesiæ utilitas eam curam exposceret. Quod simile est tutorum potestati quos testator liberis suis plures testamento dedit. Tutelæ jus in solidum singulis competit in caput liberorum, atque adeo in patrimonii administratione. Sed si sparsum sit patrimonium per varias

regiones, vel alias quoque ob causas, administratio dividi potest inter tutores: qui propterea non amittent jus illud solidum & commune quod habent in tutela gerenda, licèt testator quoque uni è tutoribus specialem administrationis curam contulerit. Sanè compertum est Apostolos orbis regiones inter se divisisse, spiritu sancto eos ad partium assignationem excitante, ut postea ostendemus. Petrus quoque partem sibi excolendam assumpsit, quemadmodum & Paulus & reliqui Apostoli præstitere. Sed Petrus, præter specialem sibique assignatam partem, universum gregem à Christo pascendum & in unitate regendum suscepit.

IV. Quare dicendum est, ex Christi instituto regiminis ecclesiastici formam hanc esse ut diversis pastoribus committatur, quorum unus sit caput collegii ad tuendam unitatem; id est, ut politicorum verbis res explicetur, status Ecclesiæ est monarchicus ex aristocratico regimine temperatus.

V. Antequam verò auctoritas illa ad regimen perpetuum Ecclesiæ proponatur, distinguenda sunt privilegia personalia Apostolis concessa, quæ illorum obitu extincta sunt, à potestate reali quæ in successores eorum manavit. Hæc pri-

vilegia in eo verſabantur quòd Apoſtoli à Chriſto ipſo in collegium allecti erant excepto Matthia, quòd teſtes fuerunt eorum quæ docuit & mirabilium rerum quas patravit, quòd à ſpiritu ſancto in veræ fidei profeſſione eruditi, nec fallere nec falli poterant in docendis populis tum verbo tum ſcripto. Quartam quæ adhiberi ſolet notam, de prædicando per univerſum orbem evangelio, inferiùs diſcutiendam remitto.

VI. His demptis, relīqua omnis quæ Apoſtolis collata eſt à Chriſto auctoritas, ut penitùs neceſſaria eſt ad Eccleſiæ continuum regimen, ita in ſucceſſores Apoſtolorum univerſa pertranſiit. Hujus conferendæ pollicitatio Chriſti præceſſit, quam deinde ſuo tempore executio ſubſecuta eſt. Conſilium ſuum de conſtituenda Eccleſiæ & ejus regimine, quandiu Eccleſia perſeveraret, aperuit verbis illis notiſſimis directis ad Petrum: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam. Tibi dabo claves regni cælorum; & quodcunque ligaveris ſuper terram, ligatum erit & in cælis; & quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis.* Oratio iſta ad Petrum directa, qua Eccleſiæ ædificandæ & regendæ con-

silium proponitur, duos continet articulos; alterum de potestate danda, quæ clavium traditione futura significatur; alterum de modo illius tradendæ.

VII. Quod ad primum attinet, in dubium vocari non debet quin potestas conferenda ad omnes pertineret Apostolos: quoniam cùm ad Ecclesiæ administrationem selecti fuissent à Christo, fieri non potest quin de illa quam habituri erant parte eo in munere Dominus cogitaverit; sicut apertè docent Cyprianus, Hieronymus, Optatus, Augustinus, & veteres omnes, qui pollicitationem Petro factam omnes Apostolos respicere asseverant. Quod attinet ad secundum, certum est ex iisdem illis auctoribus magnam hujus pollicitationis partem respicere Petrum præ ceteris Apostolis, ex eo quòd illa quæ reliquis confertur auctoritas promittitur verbis ad Petrum directis, quibus ipse quoque petra, ut fundamentum Ecclesiæ futurum, nuncupatur. In quo singulariter unitatis Ecclesiæ mysterium adnotavit Cyprianus & alii eum secuti, hoc nempe fuisse consilium Christi differentis in adloquendo singulariter Petro eique promittenda quæ communis illi futura erat cum collegis suis auctoritate ut unitatem ab uno incipientem demonstra-

ret, ſcirentque omnes Apoſtoli & eorum ſucceſſores ſic eſſe fundandam per diverſas regiones Eccleſiam ut nihil diſcreparet ab unitate; cujus primus ille unus erat origo, radix, & prima fundamenti petra, quemadmodum rectè obſervavit Optatus Milevitanus.

VIII. Quod promiſerat Chriſtus, apud Matthæum, ſe facturum aliquando, partim perfecit antequam excederet è vivis, data eximia illa euchariſtiæ conficiendæ Apoſtolis omnibus poteſtate. Poſt reſurrectionem verò, plenam apoſtolicam auctoritatem collegio Apoſtolorum contulit, ſervato eodem diſcrimine quod in pollicitatione adnotavimus. Poſtquam in eos inſufflaſſet, formula ſolenni uſus dixit: *Accipite ſpiritum ſanctum. Sicut miſit me vivens pater, ita & ego mitto vos. Euntes in univerſum mundum, prædicate evangelium omni creaturæ. Quorum remiſeritis peccata, remiſſa ſunt; & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Quibus verbis continetur univerſa auctoritas neceſſaria ad regendam Eccleſiam, quæ ad Epiſcopos Apoſtolorum ſucceſſores manavit, jus docendi evangelium, adminiſtrandi baptiſmum, & in eo conſignandi ad dandum ſpiritum ſanctum, (quæ duo conjungi debebant, ut diſcimus ex Actis) jus ligandi

sive retinendi peccata, id est, censuris adversùs reos utendi, potestas quoque solvendi tum à censuris ipsis, tum à peccatis, & postremò auctoritas mittendi alios ad idem ministerium implendum, quemadmodum Christus missus fuerat à patre cum eadem substituendi potestate. in quo consistit jus ordinationis. Attamen noluit Dominus Petrum prætermittere quin eum quoque solum alloqueretur in executione promissi quod ad eum solum directum fuerat. Quare Christus triplici interrogatione Petrum provocatum, an se amaret, ter pascendi oves & agnos suos potestate ornavit. Non dubitant veteres quin hæc pascendi gregem auctoritas, quæ omnia regiminis episcopalis munia uno verbo complectitur, verbis quoque illis cum Apostolis communicata fuerit, sed ita ut mysterium unitatis ab uno profectæ conservaretur, ut superiùs monuimus. Hoc significare voluit Innocentius I. cùm ait episcopatum exordium sumpsisse à Petro, & post eum Leo primus; quoniam ejus institutio promissa fuit Petro, & eo pacto ad ceteros Apostolos manavit. Pari quidem præditi erant consortio honoris & potestatis cum Petro; sed hæc initium sumit à Petro ut unitas Ecclesiæ demonstretur, sicut loquitur Cyprianus, & ut capite constituto,

ſchiſmatis tollatur occaſio, quemadmodum loquitur Hieronymus. Quare ſicut in Apoſtolos nullum cadere poterat erroris aut ſchiſmatis periculum, atque adeo nullæ contra illos cenſuræ locum habere poterant, nulla quoque Petro in illos competebat judiciaria auctoritas. Ad illud ſolum tenebantur, ut quas fundabant Eccleſias ſubjicerent unitati & petræ primariæ adjungerent, ne alioqui ſchiſmaticæ eſſent, ut monuit Optatus.

IX. Hic quæri poteſt an ſaltem in mittendis Apoſtolis jus aliquod ex vi primatus Petro competeret. Quod in eam incidit diſcuſſionem quam nos facturos monuimus, an jus per univerſum orbem prædicandi, quod Apoſtolis collatum fuit, ſit privilegium perſonale, an verò ſit poteſtas realis. Omnibus perſuaſum video hanc poteſtatem in Petro fuiſſe ordinariam, quæ tranſeat in ſucceſſores, in aliis verò Apoſtolis fuiſſe extraordinariam ſive delegatam, quæ morte illorum extincta fuerit. Quæ diſtinctio poteſtatis extraordinariæ & ordinariæ cùm nullo ſcripturæ fundamento nitatur, imò verò diſertis illius verbis repugnet, quæ de omnibus in commune Apoſtolis loquitur, nos, ut puto, veriorem & faciliorem inſiſtemus viam in hac difficultate ſolvenda. Exiſtimamus ergo

potestatem docendi per universum orbem toti Apostolorum collegio concessam & singulis è collegio. Quatenus universitati competit, remansit in Ecclesia penes Episcoporum collegium, & præcipuè penes collegii præsidem. Quatenus autem singulis Apostolis erat data, eorum morte extincta fuit.

X. Ista definitione posita, superest ut respondeatur quæstioni propositæ, an Petro jus competeret mittendi aliquem ex Apostolis, etiam invitum. Quæ inutilis omnino est quæstio; nec dubitari potest quin cui totum competit, partem aliquam sibi eligere possit. Vt autem istæ dissensionum occasiones præciderentur, prudenter provincias inter se partiti sunt Apostoli, præcipuè cùm nullus eorum posset omnes peragrare. Exemplo autem isto missiones in barbaricas regiones, id est, extra Romani imperii terminos sitas, synodus Constantinopolitana reservavit iis Episcopis qui earum curam gerere solebant, scilicet præcipuis thronis erga provincias suis tractibus viciniores. Ea de causa Alexandrinus Episcopus Æthiopiæ consulebat, Antiochenus Indiarum Ecclesiis. Cæsarienſis in Cappadocia majoris Armeniæ Ecclesias ordinabat. quod jus deinde, post subjectam Constantino-

litanæ ſedi Cæſaream, in illam devolutum eſt. Romanus jure patriarchico occidentis quoque provincias in barbarico conſtitutas curabat; quamvis jure primatus omnibus conſulere poſſet, ſaltem negligentibus ſuum officium reliquis Patriarchis.

XI. Sed ut ad primum conſilium Chriſti in Eccleſiæ regimine inſtituendo redeamus, ex ſuperiùs dictis patet collatam collegio Apoſtolorum regendi auctoritatem, ea lege ut Petrus præeſſet Eccleſiæ unitati, eamque cuſtodiret. Defunctis autem Apoſtolis non eſt everſa ſemel conſtituti regiminis forma & nova ſubſtituta; præcipuè cùm prior illa neceſſaria non eſſet temporibus Apoſtolorum, niſi quatenus intererat formam regiminis ſemel conſtituere quæ in perpetuum eſſet obſervanda. Itaque in Epiſcopis quos Apoſtoli in locum ſuum ſubſtituerunt debet vigere idem adminiſtrationis & regiminis ſtatus. Rerum ſumma & infallibilis poteſtas erit in collegio Epiſcoporum conjuncto cum præſide unitatis. Hæc eſt enim ſententia horum verborum, *ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam*, id eſt, adversùs Eccleſiam ædificatam ſupra petram, conjunctam nempe & adhærentem petræ

ſive

ſive præſidi unitatis. Porrò cùm Petrus fuerit conſtitutus à Domino petra & caput unitatis Eccleſiæ, ſine dubio is Epiſcopus qui Petri locum poſſidebit, dignitatem quoque & auctoritatem capitis in ſe ſuſcipiet. Locus autem Petri eſt Eccleſia Romana, ut inter ceteros diſertè docuit Cyprianus. Ex quo ſequitur in Epiſcopo Romano reſidere primatum in Eccleſiæ regimine à Chriſto conſtitutum. Quare poterit ille ex officio & vi poteſtatis ſibi collatæ unitatem tueri, erudiendo ignaros, & contumaces ligando ſive cenſuris per cellendo, cujuſcunque ſint conditionis, ſive Epiſcopi & clerici, ſive laici. Vnitas autem violari poteſt aut hæreſi aut ſchiſmate. Exerere ergo poterit poteſtatem illam in his unitatis ſciſſionibus: quæ tamen ſi à parte Eccleſiæ non contemnenda fiant, ut majori cum fructu remedia adhibeantur, adhibita Epiſcoporum ſynodo, quæ collegium univerſum repræſentat, docendi ſunt qui errant, & corrigendi niſi reſipiſcant, Petri Apoſtoli exemplo, qui eam formam ſecutus eſt in controverſia dirimenda de ſervandis ritibus legalibus. Eadem quoque diſtinctione adhibita Leo primus poſt damnatam à ſe cum ſynodo Romana Eutychianam hæreſim Legatos ſuos in Orientem miſſos mo-

nuit ut communionem negarent iis Episcopis qui suæ sententiæ subscribere nollent; si autem magna pars Episcoporum refragaretur, tum à Marciano Imperatore synodum generalem cogendam peterent, in qua renitentes doceri possent.

Vide lib. 5. De concord. cap. 8. §. 3.

XII. Augustinus ait Petrum Ecclesiæ personam repræsentasse quando illi datæ sunt claves quæ tunc sunt datæ Ecclesiæ. Caietanus & alii aiunt datas Ecclesiæ, id est, in Ecclesiæ utilitatem. quæ explicatio est frigida. Gerson ait datas Ecclesiæ fontaliter, ut Ecclesia eas deinde daret Petro & reliquis. quæ falsa, quia potestas spiritualis data est tantùm ministris principaliter. Coeffeteau ait datas Ecclesiæ, id est, Petro & ejus successoribus. quæ sapit stylum curiæ Romanæ. Mihi videtur datam Petro potestatem, quia repræsentabat Ecclesiam ob primatum inter discipulos, inquit Augustinus, datam ergo Ecclesiæ, id est, corpori mystico Christi, quod constat ex Episcopis & plebe fideli. Ecclesia est plebs sacerdoti adunata, inquit Cyprianus. Data est ergo potestas Petro principaliter, & in eo omnibus Apostolis & Episcopis in perpetuum, ut eam in Ecclesiæ unitate exerceant; extra quam unitatem potestas illa spiritualis esse non potest. Data Ecclesiæ, quæ eligit mini-

ſtros & ordinat, & ſtatim poteſtas hic data à Chriſto communicatur ordinibus. Claves datæ Petro, ceteris deinde communicandæ, ut ait Optatus.

Vide Caſſian. lib. 3. de incarnat. cap. 12.

XIII. Pares honore & poteſtate Apoſtoli. Variè hoc intelligitur. Bellarminus quoad amplitudinem in ſubditos pares, ſed inter ſe impares quoad modum regiminis, quod ſoli Petro commiſſum eſt. Puta pares fuiſſe inter ſe in omnibus, regimen quoque illis commiſſum quoad ſervandam unitatem. Sed in executione paris illius poteſtatis tenebantur Apoſtoli fundare Eccleſias in unitate; cujus caput cùm eſſet Petrus, illius communioni eas ſubjicere tenebantur, ut docet Optatus. Ceterùm ipſi unitatem quoque conſervabant, violatores corrigendo, ut fecit Paulus in epiſtola ad Corinthios. Quod manavit in Epiſcopos, qui jus idem habent, ita tamen ut ſinguli & univerſi ab unitate capitis pendeant.

Statim atque Chriſtus doctrinam ſuam propalare incepit, multos habuit ſectatores, qui diſcipuli vocantur generali nomine in evangelio. Ex eorum numero duodecim ſelegit perpetuos ſibi comites futuros, individuos in comitatu & in convictu, ut loquitur Tertullianus. Eorum nomina recenſent Evangeliſtæ Matth. x.

Marci III. & Lucæ VI. Verba Matthæi: *Duodecim Apostolorum hæc sunt nomina. Primus Simon qui dicitur Petrus, & Andreas frater ejus, Iacob Zebedæi, & Ioannes frater ejus, Philippus, & Bartholomæus, Thomas, & Matthæus publicanus, Iacobus Alphæi, & Lebbæus cognominatus Thaddæus*, (qui Iudas Iacobi dicitur Lucæ VI.) *Simon Cananæus, & Iudas Iscariotes, qui & tradidit illum*, id est, Christum. Illos verò per gradus veluti quosdam ad plenam apostolatus functionem evexit; cujus præcipuæ partes ad tempus susciti è mortuis Christi cùm pertinerent, integram tunc potestatem illis contulit. Interim verò præsens & in hominum convictu degens, in rudimentis & veluti tyrociniis quibusdam apostolatus eos exercuit, augendo illos ipso Apostolorum nomine; cujus origo non aliunde petenda est quàm ex usu Græcanicæ linguæ apud Iudæos Helleniſtas, qui Missos cum mandatis ἀποστόλους vocabant, quos Legatos Latinè dixeris, ut III. Reg. cap. XIV. ex septuaginta interpretum versione redditur *Apostolus*, qui Hebraicè שלוח. Quæ dictio in Thalmudicis libris eos significat qui decimas atque alia percipiebant, & ad Levitas deferebant; qui dicuntur ἀποδεκτὰς sive susceptores in edicto Augusti ad Asiæ civitates, & eorum

Functio ἀποστολὴ apud Iulianum in epistola ad Iudæos & apud Epiphanium. quod nomen mansit post urbis excidium. Nam Patriarcharum in dispersione constitutorum assessores vocabantur ἀπόστολοι, teste Epiphanio. In codice Theodos. tit. De Iudæis, Apostoli vocantur qui summam pecuniæ à Synagogis exactam ad Patriarchas suos reportabant. Christus itaque quos mittere decreverat velut Legatos ad mandata sua in populos perferenda fructumque castigatæ vitæ velut decimas ad se reportandum Apostolos dixit; qui Christi legatione fungebantur, ut loquitur Paulus. Porrò Apostoli dictionem ἀπὸ τοῦ ἀποστέλλειν derivatam non solùm docet Grammatica, sed etiam verba Marci cap. III. Καὶ ἐποίησε δώδεκα, ἵνα ὦσι μετ' αὐτοῦ, καὶ ἵνα ἀποστέλλῃ αὐτοὺς κηρύσσειν.

XIV. Duodecim numero eligit Christus, quoniam spiritale regnum extructurus exprimere voluit reipublicæ Iudaicæ imaginem, quò clariùs appareret regni æterni promissiones in ipso solidè impletas. Sicut enim tribus duodecim, ita duodecim erant phylarchæ eximia dignitate, ad quam alludunt verba Christi Matthæi XIX. & Lucæ XXII. quemadmodum docuit vir eruditissimus Hugo Grotius in adnotatis ad caput decimum Matthæi & alibi. Proceres seu

capita cujuſque tribus (ideo dicti phylarchæ) in veteri ſtatu regni Iſraelitici proximè ad regiam majeſtatem accedebant, & in publicis cœtibus juxta ejus ſolium ſedebant in ſellis curulibus. Vnde Chriſtus in judicando conſeſſuros ſecum Apoſtolos in duodecim ſedibus pollicetur Matthæi xix. Enimverò quoniam in regno Iſraelitico duo primi loci erant τῶν φυλαρχῶν tribuum Iudæ & Ioſephi, hos honores videtur depoſcere Salome filiis ſuis Iacobo & Ioanni, petens ut alter ſedeat à dextris, alter à ſiniſtris in regno Chriſti, Matthæi xx. Quamquam autem ob duplam Ioſephi liberorum portionem factæ erant tribus tredecim, ſolent tamen plerunque nominari duodecim Actor. xx. Iacobi i. quia Levitica nullas habebat ſedes ſeorſim, ac proinde nec proprium μεριδαρχην.

XV. Diximus Apoſtolos initio electos à Chriſto, ſcilicet ut teſtes eſſent vitæ, doctrinæ, & reſurrectionis ejus, Ioannis xv. *Et vos teſtimonium perhibebitis, quia ab initio mecum eſtis.* Adde Actor. i. & x. Vnde Paulus ſe Apoſtolum prædicat quia vidit Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. Rectè igitur Tertullianus in libro de pudicitia ait Apoſtolos aſſumptos à Chriſto ut *teſtes omnium geſtorum eſſent.* Idem de præſ-

1. Cor. 9.

cript. cap. XX. *Quis integræ mentis credere poteſt aliquid eos ignoraſſe quos magiſtros Dominus dedit, individuos habitos in comitatu, in diſcipulatu, in convictu?* Paulinus Nolanus epiſt. XI. *Quia Apoſtoli in orbem terrarum mittendi forent ad omnium gentium informationem, non auribus tantùm ſed & oculis prædicandam fidem capere debebant; ut quod firmiùs didiciſſent, conſtantiùs edocerent.* Primus gradus poteſtatis quam Chriſtus illis contulit ſubſtitit in eo ut intra Palæſtinæ fines Iudæos ad melioris vitæ ſuſceptionem hortarentur & ad Chriſtum audiendum pertraherent, à qua accepturi eſſent cetera quæ ad ſalutem & regnum cœleſte, quod proximum erat, ipſis erant neceſſaria, addita poteſtate miracula patrandi ad obſignationem eorum quæ docebant. Deinde verò guſtum quendam illis dedit pleni quod exercere aliquando debebant magiſterii, verbis illis celebratiſſimis quibus poſt profeſſionem de divinitate Chriſti editam à Petro, hujus fidem eximio præmio rependit, & conſilium ſuum de conſtituendo in futurum Eccleſiæ ſuæ regimine aperuit. Matthæi XVI. *Beatus es Simon Bar-Iona; quia caro & ſanguis non revelavit tibi, ſed pater meus qui in cœlis eſt. Et ego dico tibi quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præ-* *Matth. 10. & Marc. 3.*

valebunt adversùs eam. Et tibi dabo claves regni cœlorum. Et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis; & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cœlis.

XVI. Pro aperta & libera nominis sui confessione à Petro facta voluit Christus illi reponere aliquid sublime quod ad Ecclesiam quoque suam pertineret, quæ fidei illi potissimùm inniti debebat. Quod ut perficiat, orditur à mutatione nominis; adeo ut qui Simon Bar-Ionæ proprio & familiari nomine vocabatur, esset in posterum Cephas sive Petrus; communicato illi nomine appellativo Christi, qui petra dicitur & lapis angularis ædificii spiritalis. Ex illa communione nominis voluit intelligi asciscendum Petrum in societatem illius ædificii construendi, & in eo opere dirigendo proximum à Christo, & auctoritate ab eo derivata principalem administrum futurum. Quod non ex conjecturis ducitur, sed ex ipsis evangelii verbis. Rationem enim redditurus Christus cur novum Petri nomen contulisset his verbis, *Tu es Petrus*, subjungit: *Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, id est, te præcipuum Ecclesiæ ædificandæ fundamentum asciscam, tibi ut præcipuæ post petram Christum petræ Ecclesia innitetur. Quod ab ejus soliditate recedet, corruet

ædificium; nec poterit primariæ & angulari Christi petræ conjungi quod nexum non fuerit cum secunda illa petra quæ toti ædificio velut fundamentum proximum à Christo substernitur.

Sanè proposito mutati nominis conveniebat ut novitatis hujus ratio aperiretur. Ita de Abrahamo dictum quando ex Abram factus est Abraham: *Nomen tuum erit Abraham, quia patrem te multarum gentium constitui.* Gen. 17. Sic de Iacobo: *Israel erit nomen tuum. Nam ut principem te geris apud angelos & homines.* Gen. 32. & 35. Eodem modo Christus ait: Petrus à me nominaris, quia eris quasi petra in ædificio Ecclesiæ. Observandum hic est Christum Syriaca lingua locutum, qua nomen *Cephas* Simoni indidit, ut docet Ioannes cap. 1. ubi statim à vocatione promissa est Simoni nominis mutatio, quæ postea apud Matthæum exhibetur: *Tu es Simon filius Ionæ. Tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.* Eadem illa vox *Cephas* Syriacè & petram significat & hominem Petrum. Hieronymus in caput secundum ad Galatas: *Non quòd aliud significet Petrus, aliud Cephas; sed quòd nos Latinè & Græcè petram vocamus, Hebræi & Syri propter linguæ inter se viciniam Cepham nuncupent.* Quare non est quòd existimemus Petrum esse nomen appellativum à petra ductum,

ut Ciceronem à cicere, Lentulum à lente; quamvis aliter visum fuerit Augustino ob non expensam istam Hieronymi animadversionem; sed est nomen proprium, translatum cum sua significatione in sermonem Græcum. Rectè autem Matthæus vel ejus Græcus interpres, Ioannes quoque, vocis Hebrææ genus mutavere, quia vir petra dici non poterat salva Græci sermonis regula. Ex eadem consideratione factum ut super petram ædificari dicatur Ecclesia, non autem supra Petrum, quia dictio πέτρος usitatè non significabat quod Christus volebat indicatum, nempe saxum tale super quod aliquid ædificari soleat. Quare mutatio generis facta est eleganter & opportunè in lingua Græca, cùm eadem dictio *Cephas* retineatur in Syriaco sermone.

XVII. Quisnam verò sit futurus effectus hujus pollicitationis, explicat Matthæus sequentibus verbis, Petro scilicet tradendas regni cœlestis claves, ut earum ministerio ligare possit & solvere, claudere & recludere, omnemque ministerii apostolici partes pleno jure & speciali, quamvis non solus, exercere. De quo postea agetur; & docebitur Christum impleviſſe quod hic spoponderat, data Apostolis omnibus & Petro auctoritate aposto-

lica, cum eo discrimine quod hic significatur.

XVIII. Hæc quidem interpretatio satis aperta est. Sed in negotio tanti momenti necesse est ut vetusta patrum traditione fulciatur, ne videamur novam doctrinam orbi Christiano invehere, ut contra sui animi sensum novatores conqueri solent. Quod abundè cùm præstitum fuerit à viris eruditis, nos pauca veterum testimonia seligemus, quæ universalis Ecclesiæ mentem manifestiùs aperiunt. Sanè ex isto Matthæi & altero Ioannis loco collegere patres Petrum constitutum fuisse à Christo apostolici cœtus caput, principem, & coryphæum, remanente apud Christum eximia illa & suprema capitis dignitate & auctoritate. de quo copiosè egimus suprà. Petrus autem ea ratione caput dicebatur qua Samuel dicebat Saulem factum fuisse caput in tribubus Israel 1. Reg. xv. Et Esaias cap. VII. Rasin vocat caput Damasci, & filium Romeliæ caput; velut à Pacato Drepanio Præfectus dicitur provinciæ caput, & vir caput mulieris ab Apostolo; ut significetur præcipua quædam auctoritas juxta subjectam materiam in eo qui dicitur caput. *Ephes. 5.*

XIX. Chrysostomus homilia secunda in psalmum quinquagesimum. ὁ φύλος ἡ

ἐκκλησίας, ὁ κρηπὶς τ πίστεως, ἡ κεφαλὴ τ χο-ρ τ ἀποστόλων ὁ Πέτρος. *Columna illa Ecclesiæ, illa fidei basis, illud apostolici chori caput Petrus.* Philippus Cælestini Legatus synodum Ephesinam alloquens, *Non ignorat*, inquit, *vestra beatitudo totius fidei vel etiam Apostolorum caput esse beatum Apostolum Petrum.* οὐκ ἀγνοεῖ ὑμῶν ἡ μακαριότης ὅτι ἡ κεφαλὴ ὅλης τ πίστεως καὶ τ ἀποστόλων ὁ μακάριος Πέτρος ἀπόστολος. quod relatum est in acta synodi absque cujusquam intercessione. Caput Apostolorum dicitur quoque ab Optato Milevitano, Hieronymo, & primatum vel principatum apostolatus gerere ab Augustino.

XX. Optatus Milevitanus Episcopus libro secundo adversùs Parmenianum eo verbo utitur, & rationem ejus appellationis profert, scilicet ut Apostoli scirent Ecclesias in unitate cum Petro fundandas & regendas, eumque schismaticum & à compage corporis alienum qui propriam sibi Ecclesiam & à capitis sive Petri communione alienam vindicaret. *Negare non potes scire te in urbe Roma Petro primo cathedram episcopalem esse collatam, in qua sederit omnium Apostolorum caput Petrus, unde & Cephas appellatus est; in qua una cathedra unitas ab omnibus servaretur, ne ceteri Apostoli singulas sibi quisque defenderent; ut jam schismati-*

eus & peccator esset qui contra generalem cathedram alteram collocaret. In quo loco expendendo amolienda est macula qua solet aspergi à novatoribus Optatus ignorationis linguæ Hebrææ, ac si putasset Cepham deductum esse à dictione Græca κεφαλή. Hoc tantùm voluit, Cepham dictum à Christo, sive petram, cui collegii apostolici moles compaginari deberet. Quamvis nihil quoque vetet quin ad nominum in sono similitudines alluserit, Cephæ cum κεφαλή, quæ in rei significatione congruebant. Quod à Gregorio Nazianzeno & aliis Græcis usurpatur in voce πάσχα; quam licèt ab Hebræo *Phase* ductam non ignorarent, ad passionem Christi significandam retulerunt, ἀπὸ τοῦ πάσχειν, quia & sonus verborum & rei mysticæ significatio in idem congruebant.

XXI. Sed ad sententiam Optati ut redeamus, tria præcipua docet, quæ non à catholicis solùm sed neque à Parmeniano Donatista negari posse contendebat, à Christo unam solam cathedram constitutam in Ecclesia; eamque Petro collatam in urbe Roma, qui hac ratione factus est caput Apostolorum, porrò unitatem ab omnibus Apostolis servandam in illa una cathedra; ne si ab ejus unitate recedentes in Ecclesiis ædificandis aliam ca-

thedram constituerent, schismatici & peccatores haberentur. Nullum erat periculum ne scissa unitate Ecclesiæ Apostoli proprias sibi Ecclesias defenderent sejunctas à communione Petri. Sed regiminis semel constituti forma exposcebat ut sciremus Apostolos quoque ipsos huic regulæ à Christo præscriptæ subditos fuisse. Pares quidem in ceteris erant Petro ; sed in retinenda unitate eum respicere debebant ut totius collegii caput & rectorem unitatis, quemadmodum uberiùs explicabitur.

XXII. Vnitatis itaque retinendæ in corpore universo necessitas cùm à Christo caput instituendum exposceret, id ille pro sua divina sapientia præstitit ; sicut docuit Optatus, & disertè quoque Hieronymus libro primo adversùs Iovinianum : *At dicis, super Petrum fundatur Ecclesia, licèt id ipsum in alio loco super omnes Apostolos fiat, & cunctli claves regni cælorum accipiant, & ex æquo super eos Ecclesiæ fortitudo solidetur, tamen propterea inter duodecim unus eligitur, ut capite constituto schismatis tollatur occasio.* Christus itaque inter duodecim illos Petrum selegit, caputque collegii apostolici constituit, ut schismatum occasionibus sublatis, unitas Ecclesiæ servaretur, tum ab Apostolis, sed præcipuè ab Episcopis

eorum ſucceſſoribus, qui hac ſingulari capitis poteſtate indigebant. Porrò hæc capitis auctoritas non impediebat quin ex æquo ſuper omnes Apoſtolos Eccleſiæ fortitudo ſolidata eſſet, ut obſervat Hieronymus, cùm fideles ſuperædificati dicantur ſuper fundamentum Apoſtolorum, licèt in eo prima eſſet, poſt lapidem angularem, Petri immobilis petra. Egregiè nugas agunt qui ex priore Hieronymiani loci clauſula ſecundum evertunt, vel è contrario, cùm utraque à viro cordato proferatur, qui pugnantia inter ſe eadem periodo non concluderet. Caput Apoſtolorum eſt Petrus cum poteſtate diſſidia & unitatis ſciſſiones amoliendi. in quo ſpecialis illi cura præ ceteris Apoſtolis mandatur. Ex æquo tamen ſuper omnes Apoſtolos Eccleſiæ ſoliditas conſtituitur; quia paris erant conſortio poteſtatis præditi, ut inferiùs dicetur. *Epheſ. 2.*

XXIII. Sed æqualitatem Apoſtolorum & præcipuum jus Petri hujuſque doctrinæ originem ex evangelio petitam docebit nos veſtutior Optato & Hieronymo Cyprianus, cujus hæc ſunt verba: *Loquitur Dominus ad Petrum: Ego tibi dico quia tu es Petrus, & ſuper iſtam petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferorum non vincent eam. Tibi dabo claves regni cælorum;*

& quæ ligaveris super terram, erunt ligata & in cælis. Et eidem post resurrectionem suam dicit: Pasce oves meas. Et quamvis Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat & dicat, Sicut misit me pater, & ego mitto vos, accipite spiritum sanctum, si cui remiseritis peccata, remittentur ei, si cui tenueritis, tenebitur, tamen ut unitatem manifestaret, unitatis ejusdem originem ab uno (Petro) *incipientem sua auctoritate disposuit. Hoc erant utique & ceteri Apostoli quod fuit Petrus, pari consortio præditi & honoris & potestatis. Sed exordium ab unitate proficiscitur, ut Ecclesia una monstretur.* Ex quo loco diserte habetur Christum auctoritate sua disposuisse originem unitatis in Petro, non solùm ut Ecclesiam unam esse demonstraret, sed ut unitatis quoque retinendæ modum instituteret, ædificata supra petram Ecclesia, & data illi specialiter pascendarum ovium cura, ut docent prima hujus loci verba. Quibus consentiunt ista ejusdem auctoris epist. LXXIII. ad Iubaianum: *Petro primùm Dominus, super quem ædificavit Ecclesiam, ut inde unitatis originem instituteret potestatem istam dedit, ut id solveretur in cælis quod ille solvisset in terris.* Horum verborum & sententiæ Cypriani explicationem non aliunde sumere debemus quàm ex Optato & Hieronymo, qui docent ad Apostolos

Apoſtolos quoque pertinuiſſe ut unitatem cum Petro, qui origo illius & caput inſtitutus erat à Chriſto, ſibi neceſſariò retinendam eſſe ſcirent.

XXIV. Sed excipies pari quoque conſortio honoris & poteſtatis præditos fuiſſe Apoſtolos ex mente Cypriani. quod capitis auctoritatem imminuere videtur. Non me latent quas Turrecremata, Caietanus, Bellarminus, & alij in expedienda iſta difficultate diſtinctiones adhibuerunt: quarum præcipua hæc eſt, pares illos fuiſſe quoad amplitudinem rerum gerendarum, ſed non in modo & ordine agendi, id eſt, ut illi explicant, ſingulos Apoſtolos pleniſſimam habuiſſe poteſtatem in omnes Chriſtianos, ſed inter ſe fuiſſe impares, quoniam Petrus erat caput ceterorum. Attamen ſi quid in rebus iſtis video, contraria via ineunda eſt ad mentem Cypriani feliciùs & faciliùs percipiendam. Pares erant in conſortio ejuſdem poteſtatis, tum in fundandis Eccleſiis, tum in iis erudiendis atque regendis. Etenim non ſolùm Eccleſias ſinguli inſtituebant, ſed etiam docebant & regebant, ſchiſmata & diviſiones tollendo, ut fecit Paulus in Eccleſia Corinthiorum, & hæreticos excommunicando, ut Hymenæum & Phygellum. In quo pares erant Petro, qui

ſuas quoque ſpeciales Eccleſias fundaverat, & jure ſibi cum ſingulis Apoſtolis communi regere poterat. Itaque ſuper omnes ex æquo Eccleſiæ fortitudo ſolidata erat, ut docuit Hieronymus. Præterea pares erant in apoſtolatu, etiam inter ſe, cùm neminem illorum Petrus nec ligare poſſet nec ſolvere ob ſpeciale privilegium quo in vera fide fuerant à Spiritu ſancto confirmati. Alioqui ſi ab officio deſciſcere per hæreſes aut ſchiſmata potuiſſent, Petrus eos coëgiſſet ne turbarent unitatem. Id ſolum ſupererat Petro collato cum Apoſtolis, quòd eſſet caput unitatis, adeoque tenerentur Apoſtoli particulares Eccleſias ſubjicere huic unitati, ut docuit Optatus, cujus ſpecialis cuſtodia in univerſa Eccleſia erat penes Petrum. Vno verbo res iſta comprehendi poteſt. Pares Apoſtoli inter ſe & in apoſtolatu; ſed ratione habita ad unitatem Eccleſiarum ſervandam Petrus eximio jure & præcipuo erat caput unitatis, adeoque ſub illo reſpectu erat caput Apoſtolorum.

XXV. Quòd ſi quis præfractè contendat Cyprianum ſignificare Apoſtolos omnino inter ſe pares abſque ullo diſcrimine, neque ratione unitatis retinendæ, neque alia ulla ex cauſa, is agnoſcet ſe refragari Cypriano, qui manifeſtè docet

disposítam fuisse à Christo originem unitatis in Petro, ædificando Ecclesiam super illam petram, & oves pascendas illi committendo. Si respondeat in eo reperiri inæqualitatem quandam, reponam tamen agnitam à Cypriano, qui, excepto illo casu, in ceteris pares facit Apostolos. Vnde quemadmodum Optatus Petrum nuncupavit caput Apostolorum, sic Augustinus, Cypriani in lectione assiduus, dixit Petrum gessisse primatum inter discipulos. Et alibi declarat in eo fuisse apostolatus principatum. Si quis modum loquendi qui est apud Cyprianum disertè conscriptus, pares fuisse, sed cum aliquo discrimine in origine unitatis, concoquere vel conciliare non possit, vel etiam Hieronymi verba, ita super omnes ex æquo solidatam fuisse Ecclesiam ut Petrus fuerit caput pro tollenda schismatum occasione, loquatur ergo ille talis apertiùs cum Leone primo epist. LVIII. qui superiores sententias sic expressit: *Inter beatissimos Apostolos in similitude honoris fuit quædam discretio potestatis, & cùm omnium par esset electio, uni tamen datum est ut omnibus præemineret.*

Enarrat. 1. in Psal. 108. Tract. 124. in Ioan.

XXVI. Porò cum primatus istius originem ducamus à verbis evangelij, necesse est in eorum significationem penitiùs

inſpicere & veterem traditionem in eis interpretandis ſectari. In re quippe tanti momenti, quæ regimen Eccleſiæ perpetuum reſpicit, ingenio indulgere & conjecturis factiones in hac materia ſubortas fovere alienum eſt à pij & ſinceri viri officio. Neque aliquid conſequetur qui hac via graſſabitur, cùm divina Chriſti conſtitutio ad nos pervenire nôn poſſit niſi cum ſcripturarum auctoritate & earum interpretatione, quam vetuſta & inconcuſſa traditio conſervavit, ut docuit Vincentius Lirinenſis.

Primatum itaque veteres ex eo deducunt quòd Chriſtus Petrum conſtituerit petram & fundamentum Eccleſiæ ædificandæ, quòd illi claves regni cœlorum ſe traditurum ſpoponderit, eaſque pollicitationes executus fuerit quando ei paſcendum gregem commiſit.

XXVII. Sanè per petram juxta literalis ſenſus proprietatem univerſa Eccleſia, tum in occidente, tum in oriente, ſemper Petrum intellexit, neque ullus è patribus hanc interpretationem rejecit: imò verò omnes & ſinguli illam ut veram & genuinam amplexi ſunt. Huic quidem receptæ ab omnibus explicationi ſuperſtruere alias quæ huic primæ & univerſali non officerent aliqui tentarunt, ut

Origenes & Ambroſius ; qui ad literalem ſenſum, quem ipſi quoque ponunt, moralem adjunxere, ad omnes fideles ea verba trahendo. Sic Epiphanius & alij, poſt agnitum petræ proprium ſenſum de ipſa Petri perſona, alium quoque non ineleganter invexerunt explicandi & non evertendi primi cauſa, ſcilicet de confeſſione fidei à Petro facta. Qua de re inferiùs agemus, & de Auguſtini ſententia, poſtquam literalem illam interpretationem citatis veterum teſtimoniis adſtruxerimus.

XXXIII. Origenes homilia VI. in caput XII. Exodi : *Vide magno illi Eccleſiæ fundamento & petræ ſolidiſſimæ, ſuper quam Chriſtus fundavit Eccleſiam, quid dicatur à Domino : Modicæ, inquit, fidei, quare dubitaſti ?* Item libro quinto in epiſtolam ad Romanos cap. VI. *Petro cùm ſumma rerum de paſcendis ovibus traderetur, & ſuper ipſum velut ſuper petram fundaretur Eccleſia, nullius confeſſio virtutis ab eo niſi caritas exigitur.* Idem apud Euſebium libro VI. hiſt. eccleſ. cap. XXV. Πέτρος ὃ ἐφ' ᾧ οἰκοδομεῖται ἡ Χριστοῦ ἐκκλησία, ἧς πύλας ᾅδου οὐ κατισχύσουσι. *Petrus, ſuper quem ædificata eſt Chriſti Eccleſia, contra quam inferorum portæ non prævalebunt.*

Baſilius libro ſecundo contra Euno-

mium, ut doceret appellationibus nominum non solas rerum substantias sed præcipuè proprietates designari, hoc exemplo disputationem suam illustrat. ὅταν γοῦν ἀκούσωμεν πέτρου, οὐ τὴν οὐσίαν αὐτῆς νοοῦμεν ἐκ τοῦ ὀνόματος, ἀλλὰ τῶν ἰδιωμάτων ἃ περὶ αὐτὸν θεωρεῖται ἡ ἔννοια ἐντυπούμεθα. εὐθὺς γὰρ ἐκ τῆς φωνῆς ταύτης νοοῦμεν πέτρον τὸν τῆς Ἰωνᾶ, τὸν ἐκ Βηθσαϊδᾶ, τὸν ἀδελφὸν Ἀνδρέου, τὸν ἀπὸ ἁλιέων εἰς τὴν διακονίαν τῆς ἀποστολῆς προσκληθέντα, τὸν διὰ πίστεως ὑπερογὴν ἐφ' ἑαυτὸν τὴν οἰκοδομὴν τῆς ἐκκλησίας δεξάμενον. *Hinc est ut cùm Petrum, nomen videlicet hoc audiamus, non substantiam ejus intelligamus, sed earum, proprietatum quæ circa ipsum inspiciuntur sensum concipimus. Illico enim per hanc vocem intelligimus Ionæ filium, qui fuit ex Bethsaida, Andreæ fratrem, qui ex piscatore in apostolatus ministerium vocatus est; qui quoniam fide præstabat, Ecclesiæ ædificationem in se ipsum recepit.*

To. 1. pag. 869. Idem ad caput secundum Esaiæ ad verba illa, *Erit in novissimis diebus manifestus mons Domini*, postquam ostendisset super Apostolos tamquam supra montem ædificatam Ecclesiam, id peculiariter tribuit Petro. ἐκ τῶν ὄρων εἷς ἦν πέτρος, ἐφ' ἧς ἡ πέτρας ἐπηγγείλατο ὁ κύριος οἰκοδομήσειν αὐτοῦ τὴν ἐκκλησίαν. *Unus ex montibus erat Petrus; super quam petram pollicitus fuerat Dominus suam se ædificaturum Ecclesiam.*

Gregorius Nazianzenus oratione XXVI. Pag. 453.
ὁρᾷς τ̃ Χριστοῦ μαθητῶν πάντων ὄντων ὑψηλῶν
καὶ τ̃ ἐκλογῆς ἀξίων, ὁ μὲ πέτρα καλεῖται, καὶ οὗ
θεμελίους τ̃ ἐκκλησίας πιστεύεται. *Vides quemadmodum ex Christi discipulis, magnis utique omnibus & excelsis, atque electione dignis, hic petra vocetur, atque Ecclesiæ fundamenta in fidem suam accipiat.*

Chrysostomus sæpe Petrum vocat fundamentum Ecclesiæ & primum atque coryphæum apostolici cœtus, ut libro ad eos qui scandalizati sunt. πρῶτον τ̃ ἀποστόλων, τ̃ κρηπίδα τ̃ ἐκκλησίας, τὸν κορυφαῖον τ̃ χοροῦ τ̃ μαθητῶν. *Primum Apostolorum, fundamentum Ecclesiæ, principem cœtus discipulorum.* Pag. 918. Sermone primo de decem millium debitore. πέτρος ὁ τ̃ χοροῦ τ̃ ἀποστόλων κορυφαῖος, τὸ στόμα τ̃ μαθητῶν, ὁ στύλος τ̃ ἐκκλησίας, τὸ στερέωμα τ̃ πίστεως, ὁ τ̃ ὁμολογίας θεμέλιος, ὁ τ̃ οἰκουμένης ἁλιεύς. *Petrus chori Apostolorum princeps, os discipulorum, columna Ecclesiæ, firmamentum fidei, confessionis fundamentum, orbis terrarum piscator.* Pag. 6. Idem homilia quarta de verbis Esaiæ. τί δὲ ὁ πέτρος ἡ κρηπὶς τ̃ ἐκκλησίας. *Quid autem Petrus basis Ecclesiæ?* Pag. 369. Item homilia secunda in psalmum quinquagesimum. ὁ στύλος τ̃ ἐκκλησίας, ἡ κρηπὶς τ̃ πίστεως, ἡ κεφαλὴ τ̃ χοροῦ τ̃ ἀποστόλων, ὁ πέτρος. *Columna illa Ecclesiæ, illa fidei basis, illud apostolici chori caput, Petrus.* Pag. 1004.

Heic Marca admonuit videndum esse locum & emendandum.

Illustris est Epiphanij locus in Ancorato cap. 1x. ἔδει τὸν πρῶτον τῶν ἀποστόλων τὴν πέτραν τὴν στερεὰν, ἐφ' ᾗ ἡ ἐκκλησία τοῦ θεοῦ ᾠκοδόμηται, καὶ πύλαι ᾅδου οὐ κατισχύουσιν αὐτῆς. πύλαι δὲ ᾅδου αἱ αἱρέσεις καὶ οἱ αἱρεσιάρχαι. κατὰ πάντα γὰρ τρόπον ἐν αὐτῷ ἐστερεώθη ἡ πίστις, ἐν τῷ λαβόντι τὰς κλεῖς τοῦ οὐρανοῦ, ἐν τῷ λύοντι ὅπερ ἐστὶ γῆς, καὶ δέοντι ἐν τοῖς οὐρανοῖς. *Sic enim ei qui inter Apostolos primus esset consentaneum erat, solidæ inquam illi petræ supra quam est Ecclesia Dei fundata, & portæ inferi non prævalebunt illi. quarum portarum nomine hæreses & hæreseon conditores intelliguntur. Omnibus quippe modis in eo stabilita fides est qui cœli claves accepit, qui & in terra solvit & ligat in cœlo.*

Cyrillus Alexandrinus libro primo in Ioannem cap. 1. pag. 131. σίμωνα μὲν οὐκέτι καλεῖσθαι συγχωρεῖ. φερωνύμως δὲ ἀπὸ τῆς πέτρας μετωνόμαζε πέτρον. ἐπ' αὐτῷ γὰρ ἔμελλε τὴν αὐτοῦ θεμελιοῦν ἐκκλησίαν. *Simonem eum jam non vocari patitur; sed congrua similitudine Petrum à petra vocari placuit, putà super quem fundaturus erat suam Ecclesiam.*

Asterius Amaseæ Episcopus, cujus uberiorem locum alium inferiùs ponemus, in oratione de Petro & Paulo. αὐτός τε οὐκ ἄμωθος ἀπῆλθε, οὐδὲ ἀγέρωχος. μακάριος δὲ ὀνομασθεὶς τοῖς τοῦ μακαρίου, πέτρα καλεῖται τῆς πίστεως, καὶ θεμέλιος καὶ οἰκο- *Pag. 143.*

ἕδρα ἡ τοῦ θεοῦ ἐκκλησίας. *Ille verò haud indonatus abiit ac ſine præmio; quin potiùs ab eo beatus nuncupatus qui eximiè beatus eſt, fidei petra appellatur, fundamentumque ac baſis Dei Eccleſiæ.*

XXIX. In eandem ſententiam conſpirant patres Latini vetuſtiores. Tertullianus libro de præſcriptionibus cap. XXI. *Latuit aliquid Petrum ædificandæ Eccleſiæ petram dictum, claves regni cælorum conſecutum, & alligandi in cœlis & in terris poteſtatem.*

Cyprianus epiſtola LXXI. *Petrus, quem primum Dominus elegit, & ſuper quem ædificavit Eccleſiam.* Idem epiſtola XL. *Deus unus eſt, & Chriſtus unus, & una Eccleſia, & cathedra una ſuper Petrum Domini voce fundata.* Et alibi.

Hieronymus libro primo adversùs Pelagianos cap. IV. & in caput XVI. Matthæi: *Secundùm metaphoram petræ rectè dicitur ei: Ædificabo Eccleſiam meam ſuper te.*

Zeno Veronenſis Epiſcopus in ſermone de circumciſione: *Non ſine ratione Simoni, ſuper quem ædificavit Eccleſiam Chriſtus, Petrus nomen impoſuit.*

Hilarius Epiſcopus Pictavienſis canone XVI. in Matthæum: *O in nuncupatione novi nominis felix Eccleſiæ fundamentum, dignaque ædificatione illius petra quæ infernas*

leges & tartari portas, & omnia mortis clauſtra diſſolveret. O beatus cœli janitor, cujus arbitrio claves æterni aditus traduntur, cujus terreſtre judicium præjudicata auctoritas ſit in cœlo, ut quæ in terris aut ligata ſint aut ſoluta, ſtatuti ejuſdem conditionem obtineant & in cœlo. Idem in pſalmum CXXXI. *Petrum, cui ſuperiùs claves regni cœlorum dederat, ſuper quem Eccleſiam ædificaturus erat, adversùs quam portæ inferi nihil prævalerent, qui quæ in terris vel ſolviſſet vel ligaſſet, ea in cœlis vel ſoluta perſiſterent vel ligata.* Et in pſalmum CXLI. *Adeo ut & firma ſuperædificandæ in ea Eccleſiæ petra trepidaret.*

Ambroſius in verſibus ab Auguſtino laudatis: *Hoc ipſa petra Eccleſiæ canendo culpam diluit.* Idem ad caput XXII. Lucæ, ad illa verba, *Ego rogavi pro te*, ait: *Eidem autem ſuprà dicenti, Tu es Chriſtus filius Dei vivi, reſpondet: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Et tibi dabo claves regni cœlorum. Ergo cui propria auctoritate regnum dabat, hujus fidem firmare non poterat? quem petram dicit, firmamentum Eccleſiæ judicavit.*

Auguſtinus in pſalmo contra partem Donati, loquens de cathedra Petri in Romana Eccleſia: *Hæc eſt illa petra quam non vincunt ſuperbæ inferorum portæ.* Idem ſermone XV. de ſanctis: *Petrum itaque fun-*

damentum Ecclesiæ Dominus nominavit, & ideo dignè fundamentum Ecclesia colit, supra quod ecclesiastici ædificij altitudo consurgit. Sed de illius sententia statim dicemus.

Leo 1. sermone secundo in anniversario die assumptionis suæ. *Manet ergo dispositio veritatis; & beatus Petrus in accepta fortitudine petræ perseverans, suscepta Ecclesiæ gubernacula non reliquit. Sic enim præ ceteris est ordinatus ut dum petra dicitur, dum fundamentum pronuntiatur, dum regni cœlorum janitor constituitur, dum ligandorum solvendorumque arbiter mansura etiam in cœlis judiciorum suorum definitione præficitur, qualis ipsi cum Christo esset societas, per ipsa appellationum ejus mysteria noscemus.*

Auctor libri de vocatione gentium lib. 11. cap. XXVIII. de Petro ait. *Hanc fortissimam petram, quæ ab illa principali petra communionem & virtutis sumpsit & nominis.*

XXX. Hac interpretatione posita ut vera & genuina & à constanti traditione manante, facile est demonstrare superimpositas alias non nocere veritati. Origenes quippe postquam docuit Petrum esse petram illam cui Ecclesiæ ædificium imponitur locis laudatis, adnotat tractatu primo in caput XVI. Matthæi morali quoque sensu fidelium unumquemque qui rectam fidem à Christo

edoctus profiteatur & pietatis operibus confirmet, Petrum atque petram dici posse, atque in se ædificare Ecclesiam, id est, eam quæ ab Ecclesia docetur vitæ institutionem. Tantum autem abest ut locus iste priori explicationi officiat ut ei potiùs innitatur. En verba Origenis quæ id evincunt, docentque τὸ ῥητὸν pollicitationis Domini Petrum respicere, sed mentem sive διάνοιαν aut, sicut ille loquitur, spiritum Christi, ad unumquemque fidelium pertinere. *Evangelij quidem scriptum habet ad illum Petrum; ut verò docet illius spiritus, ad quemvis qui talis factus fuerit ac Petrus.* Literaliter ergo ista intelligenda sunt de Petro, sed spiritaliter & morali sensu de fidelibus, eodem Origene interprete hoc ipso loco qui objici solet ad evertendam propriam illam interpretationem.

Eundem spiritalem sensum ex Origene mutuatus Ambrosius, licèt assertor quoque literalis, libro VI. in Lucam cap. VI. *Qui carnem vicerit, Ecclesiæ fundamentum est; & si æquari Petro non potest, imitari potest.* Quibus verbis satis indicatur spiritalem sensum literali superadditum, non autem æquatum.

XXXI. Alteram quoque explicationem primæ non contrariam, quin potiùs illam complectentem, addunt plurimi

veterum, nempe per petram intelligi fidei à Petro editæ de Christi divinitate confessionem. Sic loquitur Hilarius libro sexto de trinitate, Epiphanius hæresi LIX. Cyrillus libro quarto in Isaiam, Chrysostomus homilia LV. in Matthæum, idem homilia secunda in psalmum quinquagesimum, Ambrosius libro sexto in Lucam, Gregorius magnus lib. VII. Indict. II. epist. LIII. & libro quinto Moralium cap. VII. Adrianus I. epist. III. Nicolaus I. epist. II. Ioannes VIII. epist. LIV. & plerique mediæ ætatis auctores. Non est quòd tempus teram in refricandis testimonijs Hilarij, Epiphanij, Cyrilli, Chrysostomi, & Ambrosij, aliorumque qui petram de Petro interpretantur; ac proinde sibi ipsis contrarij censendi non sunt, quin potiùs utramque explicationem in idem recidere reipsa eos existimasse dubium non est. Vulgò sic distingunt, formaliter petram dici de Christo, sed causaliter de fide. Rem apertiùs exponemus & mysterium Christi pandemus, ut puto, si dicamus in ea explicatione patres non tantùm respexisse quòd Petrus pro confessionis suæ præmio hanc nominis petræ prærogativam tulerit, quamvis illud passim fateantur, sed rationem indicasse qua fieri possit ut Petrus positus sit pro fun-

damento Ecclesiæ. Nempe ex se infirmus homo id præstare non poterat, nisi quatenus patre cælesti ejus mentem impellente, Christum filium Dei palam professus est: cujus confessionis beneficio ascitus est statim à Christo in nominis & officij participationem quandam; ita ut quemadmodum Christus est verum & principale fundamentum Ecclesiæ, præter quod
1. Cor. 10. nemo aliud ponere potest, sic Petrus ex beneficio Christi sit petra & fundamentum Ecclesiæ opere externo ædificandæ confessione illa cum Christo conjunctum, adeo ut secundum istud fundamentum intelligi non possit nisi quatenus est conjunctum cum primo.

Istius explicationis idoneos auctores proferimus Epiphanium & Augustinum & alios, qui suis verbis sententiam à nobis propositam exprimunt. Epiphanius hæresi LIX. cap. VII. ἡ ὁ δρυμασάμενος τρὶς ὤφελεν ἅγιος πέτρος ὁ ἡ κορυφαιότατος τ̃ ἀποστόλων, ὃς γέγονεν ἡμῖν ἀληθῶς τετρὰ πέτρα θεμελιοῦσα τ̃ πίστιν τ̃ κυρίου, ἐφ' ᾗ ᾠκοδόμητο ἡ ἐκκλησία κ̃ τ̃ πάντα τρόπον. πρῶτον μ̃ ὅτι ὡμολόγησε Χριστὸν τὸν υἱὸν τ̃ θεοῦ τ̃ ζῶντος, & ἤκουσεν ὅτι ἐπὶ ταύτῃ πέτρᾳ τ̃ ἀσφαλοῦς πίστεως ᾠκοδομήσω τ̃ ἐκκλησίαν μου. *Itemque princeps Apostolorum Petrus, qui Dominum aliquando negavit, qui quidem solidæ petræ instar nobis extitit,*

cui velut fundamento Domini fides innititur, ſupra quam Eccleſia modis omnibus extructa eſt. in primis quidem quòd Chriſtum Dei vivi filium eſſe confeſſus eſt, idque viciſſim audiit: Supra hanc ſolidæ fidei petram ædificabo Eccleſiam meam. Petrus dicitur petra θεμελιοῦσα τὴν πίστιν. Quare intelligi non poteſt Petrus ſub ratione petræ & fundamenti niſi quatenus conjungitur cum veræ fidei de Chriſto profeſſione.

Auguſtinus enarratione in pſalmum LXIX. conſiderat Petrum ut petram confeſſioni fidei conjunctam. *Petrus, qui paulò antè Chriſtum confeſſus erat filium Dei, & in illa confeſſione appellatus erat petra ſupra quam fabricaretur Eccleſia &c.*

Itaque eleganter Ambroſius in libro de incarnatione cap. v. promiſſionem illam factam Petro non de carne Petri, id eſt, quatenus homo privatus erat, intelligendam ait, ſed de fide quam monitus à patre publicavit, id eſt, de Petro conjuncto cum confeſſione primæ illius & principalis petræ. *Fides ergo eſt Eccleſiæ fundamentum. Non enim de carne Petri ſed de fide dictum eſt quia portæ mortis ei non prævalebunt; ſed confeſſio vincit infernum. Et hæc confeſſio non unam hæreſim excludit. Nam cùm Eccleſia multis, tamquam bona navis, fluctibus ſæpe tundatur, adversùm omnes hæreſes debet valere Eccleſiæ fundamentum.*

XXXII. Conciliandi ergo patres cum iisdem patribus hæc est ratio, ut dixi, si discernamus Petrum hominem privatum à Petro instinctu numinis loquente. Hoc secundo modo acceptus, evadit beneficio Christi firmamentum fidei & confessionis fundamentum, ut loquitur Chrysostomus, cujus hæc sunt verba in homilia prima de decem millium debitore: πέτρος ὁ τῶν χορῦ τῶν ἀποστόλων κορυφαῖος, τὸ στόμα τῶν μαθητῶν, ὁ στύλος τῆς ἐκκλησίας, τὸ στερέωμα τῆς πίστεως, ὁ τῆς ὁμολογίας θεμέλιος, ὁ τῆς οἰκουμένης ἁλιεύς. *Petrus chori Apostolorum princeps, os discipulorum, columna Ecclesiæ, firmamentum fidei, confessionis fundamentum, orbis terrarum piscator.* Atque eo modo Ecclesia illi superædificabitur, non ut homini, (quemadmodum docet alibi Chrysostomus sermone de Pentecoste) sed super fidei confessionem. *Quid est super petram? hoc est super confessionem.* Qui hos duos loquendi modos alibi una periodo complectitur & reducit ad concordiam, nempe homilia LV. ad caput XVI. Matthæi: *Tu es Petrus, & super hanc ædificabo Ecclesiam meam.* τουτέστι, τῇ πίστει τῆς ὁμολογίας. ἐντεῦθεν δείκνυσι πολλοὺς μέλλοντας ἤδη πιστεύειν, καὶ ἀνίστησιν αὐτῶν τὸ φρόνημα, καὶ ποιμένα ποιεῖ. *id est, fidem atque confessionem. Hic apertè prædixit magnam eorum qui credituri & erant*

&

& sunt multitudinem fore, & sublimiora facere ipsum facit, & Ecclesiæ pastorem constituit. ac si diceret Petrum Christo & fidei à se professæ innixum, illius publicandæ in Ecclesia & pastorali regimine conservandæ principalem Christi ministrum futurum & gregis pastorem.

XXXIII. Quare plerique veterum compendio verborum, non solùm confessionem fidei, sed Christum ipsum, qui petra dicitur, & à quo Petrus petræ nomen habuit, apud Matthæum significari docuerunt; ut Hieronymus libro adversùs Iovinianum, libro 1. in Matthæum cap. 1. & in Isaiam cap. LIV. Augustinus tract. XXIV. in Ioannem, sermone tertio de verbis Domini. Quod non impedit quin sensu literali Petrus dictus fuerit petra; sed ostendit alio modo non esse petram nisi quatenus Christo à se confesso conjungitur, eumque pro primo fundamento supponit, à quo etiam nominis communicationem sumpsit. Petræ nomen utramque petram complectitur, Petrum quidem sensu literali directo, Christum autem excellentiore sensu & necessario. Vnde Petrus dictus est ab illa petra allegorica. Hieronymus libro tertio in Hieremiam cap. XVI. *Non solùm Christus petra, sed & Apostolo Petro donavit ut*

vocaretur petra. In eandem ſententiam paſſim patres, ut Tertullianus libro quarto contra Marcionem, Ambroſius lib. VI. in Lucam cap. IX. Auguſtinus in pſalmum LV. & plures alii quos in re manifeſta omitto.

Quoniam autem opponi ſolet Auguſtinus, ac ſi generaliter receptam illam explicationem de Petro improbaret, adducenda ſunt illius verba ex libro primo retractationum cap. XXI. *Dixi in quodam loco de Apoſtolo Petro quòd in eo tamquam in petra fundata ſit Eccleſia. qui ſenſus etiam cantatur ore multorum in verſibus beatiſſimi Ambroſii, ubi de gallo gallinaceo ait: Hoc ipſa petra Eccleſiæ canente culpam diluit. Sed ſcio me poſtea ſæpiſſime ſic expoſuiſſe quod à Domino dictum eſt, Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, ut ſuper hanc petram intelligeretur quem confeſſus eſt Petrus dicens, Tu es Chriſtus filius Dei vivi, ac ſi Petrus ab hac petra appellatus perſonam Eccleſiæ figuraret, quæ ſuper hanc petram ædificatur, & accepit claves regni cœlorum. Non enim dictum eſt illi, Tu es petra, ſed, Tu es Petrus. Petra autem erat Chriſtus; quem confeſſus Simon, ſicut eum tota Eccleſia confitetur, dictus eſt Petrus. Harum autem duarum ſententiarum quæ ſit probabilior, eligat lector.* Vides ut neutram rejiciat, at-

que in differenda ea quam secundo loco secutus est ratio grammaticæ eum fefellerit, cùm petram aliud esse à Petro ex linguæ Syriacæ ignoratione putaverit. Sed duæ istæ sententiæ re ipsa, ut dixi, in unam concurrunt & conspirant. Petrà sensu literali & ab universali Ecclesia probato Petrum significat; sensu conjuncto & sublimiori Christum ut primam petram, sine quo Petrus non potest intelligi esse petra. Conjunctio ista literalis sensus & excellentioris non est nova in scripturis, tum in psalmis, tum alibi. Eadem verba directè referuntur ad Davidem & ad Salomonem, & sensu sublimiori ad Christum. Sed in quæstione præsenti conjunctus ille sensus est necessarius ex connexione quoque grammatica rerum significatarum cum verbis. Petra enim significat Petrum quatenus recipit communionem nominis à Christo, ob petram illam principalem, promovente patre, fideliter celebratam. Petra ergo prima connectitur cum secunda. Vnde fit ut illa veræ fidei sit origo, ista ex Christi constituto eam ministerio suo fulcire debeat quam confessione promulgavit.

XXXIV. Quæ ut manifestiora fiant, necessum est ut hic explicemus quod veluti sacrilegum nefas objici solet, qua ra-

tione Petro competat ratio fundamenti,
1. Cor. 3. cùm Christus dicatur Apostolo esse solum fundamentum præter quod aliud nemo ponere potest. Sanè cùm Ecclesia templo & ædificio comparetur, illius moles non potest inniti nisi Christo, qui est ejus auctor & conservator; imò verò ut perstemus in eadem comparatione, est caput anguli, ut de se ipse loquitur Matthæi xxi. id est juxta Paulum angularis
Ephes. 2. lapis, ἀκρογωνιαῖος λίθος, id est, lapis in angulo ædificii positus, à quo angulatæ structuræ initium ducunt, in quo est tota vis sustinendi ædificii. Quare religio Christiana ejus personæ, meritis, & doctrinæ superstructa est. Attamen propagari debuit hominum ad hoc à Christo selectorum ministerio. Illi autem aliquando architecti dicuntur, atque adeo ponere Christum pro fundamento, ut Paulus de se testatur ad Corinthios. Aliquando verò ipsi quoque dicuntur fundamenta, quoniam eorum ministerio compago illius ædificii superponitur. Sic Paulus ad
Ephes. 2. Ephesios ait eos superædificatos fuisse supra fundamentum Apostolorum, id est, doctrinæ Christi per Apostolorum ministerium. Itaque cùm voces istæ per translationem usurpentur, aliis aliter aptantur. Christus est fundamentum, sed

verè & propriè, & lapis angularis. Apostoli quoque sunt fundamenta ratione ministerii, dicto loco ad Ephesios & Apocalypsis XXI. Eadem ratione Petrus est fundamentum ratione ministerii, cum hoc tamen discrimine quòd ipsius ore Christi hoc nomine fuerit ornatus, adscituſque in petræ communionem, adeoque sit specialiùs & principaliùs fundamentum in ratione ministerii quàm sint reliqui Apostoli.

XXXV. Comparationem fundamenti, quatenus Christo conveniat & Petro, satis superque explicuimus in enarratione locorum quos è patribus protulimus. Illis tamen adjungemus testimonium illustre antiqui illius Asterii Amaseæ Episcopi oratione in Petrum & Paulum. Ησαΐας μὲν οὖν φησὶ τοῦ φυτεύων, ὅτι λίθον ἀκρογωνιαῖον ὁ πατὴρ ἔθηκε τὸν υἱόν. ἐνδεικνύμενος ὡς ἡ πᾶσα τοῦ κόσμου σύγκρασις, ἐκεῖνον ἔχει τὸν ἔδραν, ἐπὶ τὸν κρηπῖδα. ὁ δὲ μονογενὴς πάλιν, καθὼς ἐν εὐαγγελίοις φησὶ, θεμέλιον τὸν Πέτρον, ὀνομάζει τῆς ἐκκλησίας. σὺ εἶ Πέτρος, καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν. πρῶτος γὰρ ἀληθῶς οὗτος, ὥσπερ τις λίθος μέγας καὶ καρπερὸς ἐνερρίφη τῇ τοῦ κόσμου τούτου κοιλότητι, καὶ τῇ κοιλάδι τοῦ κλαυθμῶνος, ὡς φησιν ὁ Δαβίδ· ἵνα πάντας Χριστιανοὺς ἐποικοδομουμένους βαθάσας, ἀναγάγῃ τοὺς ὕψος, ὃ τῆς ἐλπίδος ἡμῶν ἐστιν οἰκητήριον. θεμέλιον ἄλ-

Pag. 127. Isai. 28. v. 16.

Matth. 16. v. 12.

Psal. 83. v. 7.

1. Cor. 3. v. 11.

λον οὐδεὶς δύναται θεῖναι, παρὰ τὸν κείμενον, ὃς ἐστὶν Ἰησοῦς Χριστός. τῇ ὁμοίᾳ οὖν κλήσει ὁ σωτὴρ ἡμῶν καὶ τὸν πρῶτον αὐτοῦ μαθητὴν κατεκόσμησε, πέτραν ὀνομάσας τὸ τῆς πίστεως. διὰ Πέτρου τοίνυν, ἄνωθεν, καὶ ἀκλινὲς τὸ τῆς ἐκκλησιῶν ἕδραμα σώζεται· γνήσιον, καὶ πιστὸν γιγόμενον τῆς εὐσεβείας μυσταγωγόν. διὰ τῆ οἰκοδομὴν ἣ δὴ δικαίως ἐφικάμεν ἐρριζωμένοι, οἱ ἀπὸ ἀνίσχοντος ἡλίου, μέχρι καὶ δυομένου, Χριστιανοί. πολλῶν μὲν πειρασμῶν κινηθέντων, ἀφ' οὗ κατηγγέλη τὸ εὐαγγέλιον, καὶ μυρίων τυράννων· καὶ τῶν ἐκείνων, τοῦ διαβόλου καταπέσωμα θελήσαντος εἰς ἔδαφος, καὶ καθελεῖν ἡμᾶς αὐτοῖς κρημνώδεσιν· οὐδὲν ἰσχύσεσεν ὄφθη τῆς τοῦ Θεοῦ ὀχυρώματος· ἐπειδὴ τῆς ἁγίως παλαίμαις τοῦ πρώτου τῶν ἀποστόλων κατεσκευάσθη τὸ τῆς πίστεως οἰκοδόμημα. *Sanè verò Isaias vaticinio ait posuisse patrem filium lapidem angularem, nimirum significans mundi totam concretionem illo fundamento ac basi nixam esse. Quin & rursum unigenitus, uti sacris evangelii libris conscriptum est, Petrum Ecclesiæ fundamentum dicit: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Primus enim re vera hic, ceu grandis quidam ac durus lapis, in mundi hujus cava demissus est, sive in convallem plorationis, quemadmodum David ait, ut Christianos omnes superædificatos portans, in sublime, nempe ad spei nostræ domicilium, subvehat. Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Iesus.*

Sed & simili quoque Salvator noster appellatione primum suum discipulum honestandum duxit, nominans fidei petram. Per Petrum ergo, verum ac fidelem pietatis doctorem effectum, Ecclesiarum stabilis inflexaque firmitas consistit. Iusti porrò ædificatione radicati stamus, qui ab ortu solis ad usque occasum sumus Christiani. Planè cùm à tempore annuntiationis evangelicæ multæ increverint tentationes tyrannique nos innumerabiles, ac illis prior, diabolus, funditus destruere atque à fundamentis evertere conati sint, decurrerunt flumina velut torrentes, inquit salubris ac sacra scriptura, vehementes diabolicorum spirituum venti irruerunt, copiosi ac immensi persequentium Christianos imbres impetu defluxerunt, nec quicquam tamen divino potentius visum est munimine, quòd nimirum fidei ædificatio sacris primi Apostolorum manibus extructa esset.

XXXVI. De hac interpretatione, quæ Petrum petræ dictione significari ostendit, hæc sunt verba Antonii de Dominis: *Hanc itaque interpretationem petræ pro ipsomet Petro, ut fortasse literæ congruentem, admitto nunc & probo, ita tamen ut duæ illæ sanctorum pâtrum interpretationes, quæ petræ vocabulo vel Christum intelligunt vel fidem & fidei divinitatis Christi confessionem, adhuc ut probabiles maneant, & nihil catholicæ Ecclesiæ contrariæ, licèt hanc de Petri* Lib. 1. c. 6. §. 25.

persona illis probabiliorem esse concederemus: Nos verò jam ostendimus duas istas explicandi rationes connecti & necessariò cohærere cum prima.

XXXVII. Antequam discedam à disceptatione hujus loci, opportunum videtur his quæ jam adnotata sunt subjungere genuinam hujus periochæ explicationem: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam.* Certum quidem est primis verbis significari evangelii ministerium sive cathedram principaliter in Petro collocandam, & ultimis Ecclesiam non esse vincendam ab hæresibus & schismatibus; quæ sunt præcipuæ inferorum portæ, sive aditus ad certam damnationem, cùm hæretici sint αὐτοκατάκριτοι, ut loquitur Apostolus. Vnde sequitur infallibilem esse Ecclesiam in oppugnandis hæresibus earumque sacrilegis erroribus refellendis & cum auctoritate plenissima atque certissima damnandis. Alioqui vinceretur ab hæresibus contra diserta verba Christi; quorum explanationem videtur suscepisse Paulus in epistola prima ad Timotheum cap. III. *Quomodo oporteat te conversari in domo Dei, quæ est Ecclesia Dei viventis, columna & firmamentum veritatis,* σύλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας. Vt singuli fideles sunt

templum ſive domus Dei, ſic templum quoque erit cœtus fidelium, qui dicitur Eccleſia Dei viventis: quæ quidem Eccleſia vice columnæ & baſis ſuſtentat veritatem ut partem ſuperam ædificii. Etenim ab Eccleſia Chriſti veritas abeſſe non poteſt, nec à fidelium cordibus, nec ab ore paſtorum, qui ſoli jus habent à Chriſto gentes docendi. Vniverſi ergo primarii paſtores verbis & re conjuncti, qui Eccleſiam univerſalem repræſentant in auctoritate magiſterii, ab hæreſibus expugnari non poſſunt, ea conditione adjecta quam exhibet hic locus evangelii, ſi ſint ædificati ſupra petram, ſupra cathedram Petri. Portæ itaque infeti non prævalebunt adversùs Eccleſiam Chriſti, ædificatam nempe ſupra petram. In communione ergo iſtius cathedræ & cum præcipua illius auctoritate & firmitate tractanda ſunt illa omnia quæ Eccleſiæ unitatem aut retinere aut infringere poſſunt; tuncque certæ atque omnino indubitatæ erunt rerum controverſarum deciſiones. Cujus rei exemplum habemus illuſtre in diſputatione illa de ritibus legalibus, an ſcilicet gentiles recenter ad fidem converſi, eorum obſervationi ſubjiciendi eſſent. Quæ controverſia Antiochiæ nata, à Chriſtianis per Paulum &

Barnabam Hierosolyma delata est ad Petrum & Iacobum Apostolos ea in urbe degentes. Quid verò Petrus loci sui & officii memor tunc egerit docent Acta. Act. 15. Conventum Apostolorum & Presbyterorum id est Episcoporum cogit, de negotio controverso relationem facit, primam sententiam dicit rem definiendo, ut solebat Imperator in senatu; quam Iacobus sequitur, exceptione aliqua addita; & de omnium suffragio decretum conditur ex sententia spiritus sancti mentes suffragatorum illustrantis. Illius quippe auxilia pastores non destituunt qui à petræ soliditate non recedunt, ut loquitur Leo primus.

XXXVIII. Ex hac quam explicuimus definitione manat alia non minùs certa, nempe penes illas Ecclesias non esse indubitata spiritus sancti præsidia in dirimendis de fide controversiis quæ alienæ sunt à communione Petri. Propterea sequitur plurium Ecclesiarum infaustam scissionem, quæ lugendo schismate vel impia hæresi corpus Ecclesiæ universalis dividit, non impedire quin illæ quæ supersunt, conjunctæ cum petra, corpus universum repræsentent, & absque suspicione erroris fidem tueri decretis suis unà cum Petri cathedra firmiter & infallibi-

liter possint, cùm Ecclesia supra Petrum ædificata promissionibus Christi nitatur ad vincendas portas inferi.

DIATRIBA DE TEMPORE synodi Sirmiensis plenariæ, & de Valentis & Vrsacij venia.

I. DISSIDIUM sententiarum in constituendo Sirmiensis synodi tempore videtur aliquo pacto componi posse, si recta Hilarij verbis interpretatio adhibeatur. Socrates ait disertè synodum illam coactam fuisse post consulatum Sergii & Nigriniani, quod anno CCCLI. competit. Ejus testimonio fidem habet V. C. Petavius in suis animadversionibus ad Epiphanium, & in dissertatione de damnatione Photini. Sed quia idem Socrates Osij lapsum in hanc synodum Sirmiensem conjicit, lapsus autem ille & consensus in Arianam impietatem ab eo sene post ipsius ad civitatem Sirmiensem relegationem, quæ anno CCCLVI. competit, expressus est Constantij artibus & minis, Baronius, Socrati hac in parte adhærendo, à Socrate ipso discedendum putavit in constitutione temporis hujus synodi. Eam ergo collocat ad annum qui sequitur Osij

Socrates lib. 1. c. 24.

relegationem, id est, ad annum trecentesimum quinquagesimum septimum. Vir clarissimus Sirmundus diatriba prima & secunda Sirmitana Baronij partes tuetur, quas juvari putat manifesto testimonio Hilarij in fragmentis, qui biennio anteriorem facit synodum Mediolanensem ipsa synodo Sirmiensi. Aliunde verò constare ait synodum illam Mediolani habitam incidere in annum CCCLV.

II. Auctor dissertationis, ut se his nodis eximat, Hilarij verba interpretatur, & exiis probare nititur Mediolanensem synodum, quæ biennio Sirmiensem præcessit, è catholicis Episcopis fuisse conflatam, & assignandam anno CCCXLVII. aliquot mensibus post Sardicense Concilium, non autem ex Episcopis Arianis fuisse compositam; cujusmodi erant illi qui Mediolanensem alteram synodum constituebant, quæ à Constantio indicta est anno trecentesimo quinquagesimo quinto. Porrò non in eo hæret; sed ex Hilarij loco novam synodum profert Sirmiensem, quæ Mediolanensi nunc recens detecta sit biennio posterior, & ideo collocanda sub annum CCCLIX. quam secuta fuerit altera synodus Sirmiensis; de qua est controversia an competat anno CCCLI. an verò CCCLVII. Quod attinet ad formu-

Iam Osij, existimat ille quidem in synodo quadam Sirmiensi fuisse conscriptam post effœti illius senis relegationem, circa annum CCCLVII. Sed negat id factum in Sirmiensi illa plenaria de cujus tempore controvertitur. Et in hoc articulo fatetur Socratem hallucinatum fuisse, duosque conventus in eadem civitate varijs temporibus habitos permiscuisse.

III. Vapulat itaque Socrates, & incuriæ suæ dat pœnas callentissimis harum rerum & gravissimis censoribus. Non est nostrum tantorum virorum lites componere; præsertim cùm nec ipsi nobis hujus causæ arbitrium detulerint, nec nos, præ tenuitate virium, illud recipere in animum induxerimus. Videtur tamen, auxilio Hilarij, veritas aliquo pacto in lucem promi posse, modò ejus vestigia premamus. Proferam, non ipsa verba Hilarij, de quibus nulla est controversia, sed eorum sententiam, quantum quidem ego illam assequi possum. Et si qua in parte ab interpretatione quæ jam est asserta discessero, opinionem meam fulciam, & quid inde sequatur ad præsentem quæstionem, sincerè colligam.

IV. Photinus Episcopus Sirmij, quæ Illyrici occidentalis metropolis erat, Pauli Samosateni virus à Marcello Episcopo

Ancyræ, quæ est provinciæ Galatiæ metropolis, hauserat. Ad damnandum Photinum cogitur Concilium Mediolani, cui Romanæ Ecclesiæ Legati interfuerunt. Damnatur hæreseos Photinus. Valens & Vrsacius Pannoniæ & Mœsiæ Episcopi, Arianæ factionis signiferi, qui sententia synodi Sardicensis (quæ ad discutiendam Athanasij & Marcelli & aliquot Episcoporum causam jussu Principum Sardicam convenerat) à communione Ecclesiæ catholicæ abscissi fuerant, ab hac Mediolanensi synodo pacem & veniam exorant. Biennio elapso post conventum Mediolanensem, iterum altera synodus cogitur ad pellendum episcopatu Photinum. Conventus habitus est Romæ, ut nos quidem existimamus, non autem Sirmij. Conventus hujus & loci opportunitatem nacti Valens & Vrsacius communionem quam Mediolani obtinuerant, quamque Iulius Episcopus Romanus approbaverat ea conditione ut Athanasii communionem amplecterentur & conflatas in eum calumnias detegerent, professione data ratam haberi libello supplici rogant, Athanasium suscipiunt, & præterea Arianos damnant; prout altero libello, quem Mediolani porrexerant, se fecisse profitentur. Damnati Photini à Romanis, id est,

à synodo Romana, decretum ab occidentalibus, *sicut mos poscebat*, ad orientales mittitur, *non injuria extorquendi, ut nunc agitur, adsensum*, inquit Hilarius, *sed instruendæ universorum scientiæ consuetudine*. Libellus autem Valentis & Vrsacij oblatus Iulio non statim ad orientem est delatus, sed biennio post damnationem Photini à Romanis decretam, ut testatur Hilarius; licèt post aliquantum temporis *postea quàm superiorem epistolam Romæ emiserant* Valens & Vrsacius, ut loquitur Hilarius, *ab Aquileia ad Athanasium*, epistolam alteram miserint, qua locum cum illo & ecclesiasticam communionem se habere significarint. Enimverò epistola Iulio data missa non est nisi post biennium.

V. Itaque *superioribus literis* Iulio Episcopo oblatis, *venia indulgetur, orantibus reditus ad catholicam fidem cum communione donatur*; *maximè cùm Sardicensis synodi veritatem ipsæ orantium veniam literæ continerent. Verùm inter hæc Sirmium convenitur*, inquit disertè Hilarius, scilicet post Romanam synodum, interim dum libellus supplex Valentis & Vrsacij ad orientem mittitur. Ita enim hunc locum accipiendum ipsa narrationis series omnino cogit, ut patebit ista seriò perpendenti. Quid autem Sirmij gestum fuerit, docet

Hilarius, nempe Photinum olim reum pronuntiatum, & à communione unitatis abscissum, ne tum quidem per factionem populi episcopatu amoveri potuisse.

VI. Porrò orientales, ad quos relatio missa fuerat à Romana synodo de damnatione Photini, rescriptis suis inde occasionem arripiunt judicium quod de Athanasio & Marcello latum fuerat in synodo Sardicensi, callidè subvertendi: quod tandem obtinuerunt in synodis Arelatensi anno CCCLIII. & Mediolanensi anno CCCLV. coactis. Color inde quæsitus fuit quòd Marcelli magisterio Photinus perfidiam suam didicisset, in ea autem causa Marcellum nunc esse, post ipsum Sardicense judicium, ut Athanasius ab ejus communione sibi temperandum esse duxerit. Itaque locum esse, etiam ipsius Athanasij exemplo, rem Sardicæ judicatam retractandi. Excipit tamen Hilarius rectissimè Athanasij factum reprobari nullo pacto posse, neque cùm Marcelli communioni adhæsit, synodi Sardicensis auctoritatem secutus, quæ calumniam creatam Marcello ob libri cujusdam sinceri editionem discusserat, neque cùm ab ejus communione recessit ob novas suspiciones post synodum exortas, maximè cùm Marcellus ipse abstinuerit Ecclesiæ ingressu

greſſu & ſe ipſum abdicarit ſine ſynodi auctoritate. Quòd ultimum adjectum puto ne Athanaſius in alienæ diœceſeos limites irrupiſſe videretur, Marcellum Ancyranum Galatiæ Metropolitem, quæ provincia erat Aſianæ diœceſeos, non autem Ægyptiacæ, non ſolùm communione ſua excludendo, quod ubique fieri poterat, ſed Eccleſiæ Ancyranæ ingreſſu prohibendo, etiam abſque ulla ſynodalis conventus auctoritate.

VII. Supereſt ut eum articulum, qui diſputationis erit cardo, liquidò explicem, ſcilicet Photinum ſecunda vice in Romana ſynodo, non verò in Sirmienſi nunc recens excogitata, poſt Mediolanenſem fuiſſe damnatum; vel ſi cautiùs loqui velimus, in priore quidem ſynodo, jam damnato Photino, in Romana de primæ ſententiæ executione diſceptatum. Id ſanè ex ipſis Hilarij verbis mihi videor conficere, duplici argumento. Vnum eſt quòd Vrſacius & Valens referantur ab Hilario *hujus ſynodi opportunitatem* nacti, Romanæ plebis Epiſcopum adiviſſe, & deprecatos eſſe ut per veniam in communionem admitterentur, Iulium ex Concilio veniam, quam orabant, impertiviſſe. Nempe fruſtra commendaretur captata ſynodi opportunitas, ut Iulius adiretur,

nisi Romæ coactam interpretemur ; maximè si tanto intervallo à Roma coacta fuisset, videlicet Sirmij in Pannonia, ut asseritur. Iulius verò illos communioni restituit ex Concilio, inquit Hilarius, id est, de Concilij sententia. Ita enim scribendum & intelligendum puto. Secundum argumentum desumitur ex istis Hilarij verbis, Photini hæresim à Romanis damnatam fuisse, id est, à synodo Romana, de qua agebat ; præsertim cùm ad synodum Mediolanensem nisi per vim apertam referri non possint. Quod tamen vir clarissimus sibi persuasit, eo prætextu quòd Legati Ecclesiæ Romanæ ei synodo Mediolanensi interfuissent ; quia sola Legatorum præsentia id obtinere non potest ut damnatio Photini profecta à Romanis esse videatur.

VIII. Vidit annte nos V. C. Sirmondus hoc loco de Romana synodo sub Iulio habita tractari : sed quos nos perpensis verbis auctoris probavimus, id ille secundo superiori argumento & præterea conjectura quadam tuetur, quam trahit ex expistola Liberij Papæ relata ab Hilario in fragmentis ; qua Episcopis orientalibus rescribit se literas eorum accepisse ad Iulium decessorem suum scriptas, *de nomine Athanasij & cæterorum factas*, in-

quit ille. Et subdit se Presbyteros urbis Romæ Lucium, Paulum, & Helianum è latere suo Alexandriam ad Athanasium Romam evocandum direxisse; ut quod Ecclesiæ disciplina exigit, in eum statueretur. Porrò renuentem Athanasium alienum fecisse à communione sua & Ecclesiæ Romanæ & à consortio literarum ecclesiasticarum. Hæc est sententia Liberij. Vnde colligit vir clarissimus orientalium Episcoporum literas, Iulio directas, eas videri quarum mentio injecta est ab Hilario cùm astutiam illorum in rescribendo occidentalium relationi de Photini damnatione planissimè detegit, & Athanasium iterum in judicium trahendi, sub colore communionis Marcello denegatæ, propositum insectatur. Tamen ut liberè promam quod sentio, literæ istæ orientalium non pertinent ad rescriptionem cujus meminit Hilarius; tum quòd in his apertè accusatur Athanasius & γυμνῇ κεφαλῇ, ut patet ex verbis Liberij, cùm tamen apud Hilarium clanculùm & per insidias sub nomine Marcelli rescripto orientalium peteretur; tum quòd temporis ratio non patitur ut tot annis dilata fuerit responsio, scilicet ab anno CCCXLIX. qui est annus synodi Romanæ, usque ad annum CCCLIII. qui est primus sedis

Liberij. Nolim autem hanc epistolam Liberij alio tempore ab eo scriptam censeri quàm cùm vi & minis Constantij cessit & Athanasij repetitæ damnationi consensit: ad quam rem cùm sibi viam pararet, totam illam tragœdiam à capite arcessivit, orientalium querelas ad Iulium commemorans & legationem quam ipse Liberius longo pòst intervallo ad Athanasium miserit, qui contumacia sua negationem communionis videatur provocasse. Narratione hoc modo instituta solvetur nodus quem Nicolaus Faber in præfatione ad Hilarij fragmenta dignum ornatissimo annalium ecclesiasticorum conditore putat, & facilè componentur ista quæ sunt in speciem pugnantia; nempe Liberium professum esse epistola luculenta apud Hilarium se damnationi Athanasii assensum præbere nolle, & tamen ei communionem suam denegare epistola ista quam tractamus.

IX. Inspiciendum nunc est ad quem annum referenda sit Romana synodus. Sub Iulio habitam testatur libellus ab Vrsacio & Valente illi oblatus. Porrò cùm V. C. Petavius apertissimè probet, ex Athanasio, reconciliationem Vrsacij & Valentis contigisse superstite Constante Imperatore, qui XV. Kalendas Februarij

anni CCCL. interremptus est, sanè dicendum est Romanam synodum sub finem anni CCCXLIX. collocandam ante obitum Constantis, ubi reponit ille suam novam synodum Sirmiensem. Planè de illo capite dubitari non potest, cùm restitutio Vrsacij & Valentis, non solùm illa quæ decreta est in Mediolanensi synodo, sed plena & integra communionis cum Ecclesia Romana restauratio, peracta sit ante obitum Constantis. Quod evincitur, non solùm ex Athanasij loco à viro clarissimo prolato, sed etiam ex epistola Osij ad Constantium Imperatorem. *Cur toleras*, inquit, *Valentis & Vrsacij criminationes, cùm professi fuerint scripto se calumniam feciſſe? Id enim confessi sunt, non per vim, ut ipsi causantur, cùm nulli milites adessent, & frater tuus nesciret*, οὐκ εἰδότος σου τὰ ἀδελφοῦ σου. *Nihil enim tale sub ipso agebatur qualia nunc fiunt; sed illi ultrò Romam venerunt, & coram Episcopo Presbyterisque ibi præsentibus scriptum dederunt, quum priùs pacificam epistolam ad Athanasium dedissent.* γράψαντες τόμον τῆς Ἀθανασίῳ φιλικὴν καὶ εἰρηνικὴν ἐπιστολήν. *Epistola Osij apud Athanasium in epist. ad Solitarios pag. 639.*

X. Biennio præcessit Romanam synodus Mediolani habita ut in Photini causam inquireretur, quemadmodum disertè docet Hilarius. Numerosiorem esse synodum oportebat, cùm de statu metro-

politani Episcopi & de causa fidei ageretur. Itaque & Italicæ diœcesis, cujus caput erat Mediolanum, & Illyricianæ, ex qua erat Photinus, & Vrbicariæ seu Romanæ diœceseos affuisse Episcopos non est dubium; cùm Ecclesiæ Romanæ Legatos huic synodo Mediolanensi astitisse testetur Hilarius, & celebratam fuisse præsentibus Romanæ Ecclesiæ Presbyteris doceat epistola synodi Ariminensis. Præsentibus inquam Romanæ Ecclesiæ Legatis, non autem Constantino præsente, ut se habet lectio epistolæ Concilij Ariminensis apud Hilarium, quæ laborat interpunctione. Itaque sensus restituetur, ut idem cum eadem epistola ab Athanasio & Socrate relata significet, si interpunctio ponatur post hæc verba, *Ecclesiæ Romanæ. Constantino præsente in hoc, cùm magno examine fuisset conscriptum, quod tenens, baptizatus ad quietem Dei commigravit, nefas putamus inde aliquid mutilare.* In hoc, id est, in Nicæno tractatu, cujus meminit superiùs. Sanè conventum istum Mediolanensem catholicorum Episcoporum fuisse rectè probat V. C. Petavius, tum ex Legatorum Romanæ Ecclesiæ præsentia, tum ex verbis Hilarii, qui docet satis liquidò in ea synodo Arianam hæresim proscriptam fuisse; tum præcipuè quòd Vrsa-

cius & Valens, qui à Sardicensi synodo abstenti fuerant, rogata venia in gratiam recepti sunt; ut docet epistola synodi Ariminensis, & ipse libellus oblatus Iulio ab Vrsacio & Valente apud Hilarium. Itaque cùm apertissimè constet Mediolanensem hanc synodum & Romanam habitas esse post synodum Sardicensem & ante obitum Constantis, id est, ab anno CCCXLVII. ad initium anni CCCL. & Mediolanensis biennio Romanam præcedat, necessariò sequitur primam cadere sub finem anni CCCXLVII. aut exordium CCCXLVIII. Romanam verò in annum CCCXLIX. desinentem.

XI. Hic gravis quæstio, quæ viros doctissimos exercuit, non est dissimulanda. Auctor enim diatribæ, fultus Hilarii testimonio & ipso libelli supplicis ab Vrsacio & Valente porrecti exemplo, veniam & Ecclesiæ pacem à Iulio Papa impetrasse ambos illos hæreticorum duces ab errore resipiscentes docet. Vnde robustè colligere se putat eos non fuisse restitutos in synodo Mediolanensi quæ biennio præcesserit pacem illis à Iulio datam. Quare sibi persuadet per errorem hujus reconciliationis Mediolani peractæ mentionem factam in epistola synodica Concilii Ariminentis. Auctor dissertatio-

nis excipit fruſtra injici ſuſpicionem mendi in ea epiſtola, quæ totidem verbis deſcripta ſit ab Athanaſio, Socrate, Theodoreto, Sozomeno, & cujus ſynopſis referatur in fragmentis Hilarii; ubi patres teſtantur Vrſacium & Valentem veniam ſcripto petiviſſe & impetraſſe, ea verò geſta fuiſſe cùm Mediolani conventus ſynodi haberetur præſentibus Romanæ Eccleſiæ Preſbyteris. Idem omnino teſtari ait Liberium Papam in colloquio quod illi cum Imperatore Conſtantio interceſ-
Lib. 2. c. 16. ſit, quod refert Theodoretus. Cur autem repetita fuerit illa reconciliatio, rationes à ſcriptoribus non eſſe memoriæ proditas, ut nec multorum eventuum de quibus dubitare ſit nefas.

XII. Mihi autem videtur nihil novum aut inſolens in reſtitutione communionis Vrſacii & Valentis accidiſſe, ſed omnia rite & ſecundùm canones peracta. Duo iſti adoleſcentes imperiti, ut loquitur Concilium Sardicenſe, degebant in occidentis imperio, ſub principatu Conſtantis Principis. Occidentalium Epiſcoporum ſententia dejecti erant, non ſolùm à communione Eccleſiæ, ſed etiam à ſedibus ſuis. Relatio ſynodi ad Conſtantem facta fuerat, ut executioni mandanda curaret quæ decreta fuerant Sardicæ. Quid age-

rent Vrſacius & Valens, ut periculo ſedium amittendarum defungerentur, quàm ut ſtatim reſtitui in communionem poſtularent, depoſita hæreſi? Id verò conſequi non poterant alibi quàm in numeroſa Epiſcoporum ſynodo, ex præſcripto canonum. Ideoque ſynodi Mediolanenſis oportunitatem nacti, libello ſuo Arianam hæreſim ejurant, Ariumque & ejus ſatellites anathematizant; ut ipſimet fatentur in libello quem deinde obtulerunt Iulio. Synodus eis pacem Eccleſiæ indulſit, & ſententiæ adversùs eos in Sardicenſi Concilio latæ gratiam fecit; ut docet epiſtola ſynodica Concilii Ariminenſis. Reſtitutio illa communionis accepta fuit Iulio Papæ: qui hac de re certior factus, juxta ſynodi Mediolanenſis decretum communionem ſuam illis impertivit. Quod fatentur his verbis in libello oblato Iulio: *Maximè cum ſanctitas tua, pro inſita ſibi benevolentia, errori noſtro veniam fuerit dare dignata.*

XIII. Veruntamen id unum videtur Iulius ab iis exegiſſe, ut Athanaſii communionem amplecterentur, de quo judicium tuliſſet Sardicenſis ſynodus, & ut omnibus ſcripto teſtarentur ſe per calumniam accuſationes in Athanaſium intendiſſe. Ægrum illis erat ſcripto ſibi calum-

niæ notam inurere. Itaque literis ſuis eos convenit Iulius ut ſtarent promiſſis. quod illi ſe proxima quaque die impleturos epiſtola ſua ſignificarunt. Cùm autem tempus traherent, & in eas anguſtias ſe redactos viderent ut à communione Eccleſiæ projiciendi forent ſi longiores moras necterent, occaſione ſynodi Romanæ uſi, Iulium adeunt, & ſcripto profitentur ſibi falsò ſuggeſta fuiſſe eà crimina quorum reum Athanaſium fuiſſe docuerant. Itaque ſe Athanaſiii communionem amplecti. Hæc eſt libelli Iulio oblati ſententia, ut patebit ſi quis verba rectè perpenderit. *Quoniam conſtat nos antehac multa gravia de nomine Athanaſii Epiſcopi literis noſtris inſinuaſſe, atque literis ſanctitatis tuæ conventi, (* lege *conventos) ejus rei, de qua ſignificavimus, non præſtitiſſe rationem, profitemur apud ſanctitatem tuam cunctis præſentibus Preſsbyteris fratribus noſtris omnia quæ antehac ad aures noſtras pervenerunt de nomine prædicti, falſa nobis eſſe inſinuata, atque omnibus viribus carere, atque ideo nos libentiſſimè amplecti communionem prædicti Athanaſii, maximè cùm ſanctitas tua, pro inſita ſibi benevolentia, errori noſtro veniam fuerit dare dignata.*

Athanaſ. Apol. 2. XIV. Tamen non eſt prætermittendum, è verſione Athanaſii, apud quem

libellus iſte Græcè perſcriptus habetur, alium ſenſum educi poſſe, ſcilicet Valentem & Vrſacium pacem quidem adeptos Mediolani, Ario anathematizato, ſed ab Athanaſij communione ſe ſuſpendiſſe intra certum tempus, quo fidem facerent eorum criminum quæ Athanaſio objecta fuerant; conventos autem à Iulio, non potuiſſe implere probationem cui ſe aſtrinxerant; ideoque cùm viderent aut cadendum à communione Eccleſiæ aut communicandum Athanaſio, profeſſionem ſuam obtuliſſe Iulio; qua teſtantur falsò ſibi ſuggeſtum fuiſſe contra Athanaſium, & ejus ſe communioni adhærere velle. Ἐφ' ᾧ παράσματος χάριν τοῦτο οὐ ἐδηλώσαμεν ὅτι οὐ δυνήθημεν λόγον ἀποδοῦναι.

XV. Sed parum intereſt quo pacto iſta explicentur, cùm ex utraque interpretatione id liquidò conſtet, veniam illis fuiſſe conceſſam Mediolani ea conditione ut aut Athanaſium reum peragerent, aut calumniam paſſum eſſe faterentur, & hoc caſu communionem ejus amplecterentur delatores. Quod ultimum cùm feciſſent ſcripto, calumniæ ſuæ pœnitentes, plena illis, pura, & integra reſtitutio abſque conditione eſt indulta. Hoc eſt quod urget Hilarius, dum ſcribit in fragmentis eis reditum ad catholicam fidem cum com-

munione donatum. Si enim hæc verba rigidè acciperentur, quasi tunc primùm in Ecclesiam recepti fuissent, pugnarent non solùm cum epistola synodi Ariminensis, quæ veniam & pacem concessam Mediolani fatetur, sed etiam cum hoc libello, quo nulla venia nunc de novo petitur, sed jam fuisse ante hunc libellum concessa ostenditur. Quod etiam versio Græca liquidò exprimit: ἡ προσέυχή σου καὶ ἡ ἔμφυτον αὐτὴ καλοκαγαθία τῇ πλάνῃ ἡμῶν κατηξίωσε συγχώρησιν δοῦναι. Itaque non est quòd viri docti non liquere dicant cur venia semel indulta Valenti & Vrsacio in synodo Mediolanensi, iterum indulgeatur in synodo Romana; cùm ea quæ sub conditione concessa sunt, eveniente conditione possint & debeant iterum purè concedi, vel, si mavis, confirmari.

Lib. 2. c. 16. XVI. Porrò Liberius in colloquio apud Theodoretum docens Valentem & Vrsacium libellos in synodo dedisse quibus veniam rogabant ob ea quæ in Mareote provincia per calumniam eremodicio judicio seu ex una parte ἐκ μονομερείας confecta fuerant, non debet accipi de synodo Mediolanensi, sed de synodo Romana, ubi calumniam criminum Athanasio objectorum nunc primùm profitentur, cùm in synodo Mediolanensi solùm Arianæ hæ-

resi renuntiassent, ut patet ex lectione libelli Iulio oblati sub finem. Liberius autem falsitatem accusationis delatæ adversùs Athanasium explicat, non iis verbis generalibus quæ concepta sunt libello, sed ἐξηγητικῶς, potiori capite illius accusationis indicato, nempe fabula Mareotica. Hic, per occasionem, veram lectionem restituo in libello Vrsacij & Valentis : *Profitemur etiam quòd sit aliquando nos orientales voluerint vel idem Athanasius malo animo ad causam vocare, citra conscientiam tuam non adfuturos.* Legendum enim, *vel idem Eusebius*, è versione Græca Athanasij. Vis autem professionis in eo consistit, quòd his verbis renuntiant synodis orientalium, & se cœtibus occidentalium adjungunt, licèt Illyriciana diœcesis, in confinio orientis & occidentis posita, sibi liberum existimaret eligendi quas vellet partes, ut docemus alibi accuratè.

Athanas. apol. 2. pag. 776.

Eusebius jam tum obierat. Itaque Εὐσέβιος *ibi sumitur pro eo quod Græcis dicitur,* οἱ περὶ τὸν Εὐσέβιον.

XVII. Si cui autem hæreat scrupulus cur non longo tempore à synodo Sardicensi altera synodus Mediolani indicatur, poterit eximi facili negotio, si perpendamus tribus de causis eum conventum necessarium fuisse. Prima est ut decreta synodi plenariæ nota fierent synodis particularibus cura & studio Metropolitarum & Exarchorum, præcipuèque Ro-

mani Episcopi diligentia. In eum itaque finem statim post Concilium œcumenicum provinciales synodi cogebantur. Secunda causa quæ nunc copiosiorem solito synodum requirebat fuit dissidium illud orientalium Episcoporum qui Sardica discessserunt, & Sardicensis synodi nomine ad Imperatores Constantium & Constantem & ad universas Ecclesias literas dederunt. Itaque ut huic vulneri mederentur Episcopi occidentales, opus illis fuit auctoritate Constantis Imperatoris, qui Mediolani residebat, quò nostri se transtulerunt, & synodum habuerunt in eadem urbe, ut turbis excitatis ad impediendum reditum Athanasii præstò esset auxilium & consilium occidentalium. Tertia causa, eaque gravissima, fuit damnatio Photini; quæ non poterat peragi nisi in majore & numerosiore Episcoporum synodo. Hæc est enim prima Photini damnatio, ut disertè docet Hilarius in fragmentis, dum ait Marcellum communione Athanasij privatum post synodum Sardicensem *anteriore tempore quàm Photinus arguitur.* Vt hinc pateat & paulò post synodum Sardicensem Athanasium (qui caput istud, admissi in communionem Marcelli, valde urgeri videbat ab orientalibus qui Sardica discessserant) à

sua communione separasse Marcellum ante reditum in orientem, & in synodo Mediolanensi damnatum primò fuisse Photinum; etsi, repetito judicio, in Romana synodo, & postea in Sirmiensi, sit confectus Photinus. Et sic Athanasius, exemplo communionis à se denegatæ Marcello, præbuit auctoritatem iis quæ gerenda erant in Photinum, ut loquitur Hilarius, cujus mentem breviter expressimus. Itaque menses aliquot necesse est intercessisse inter Sardicense & Mediolanense Concilium. Neque enim biennium illud Hilarii per momenta est computandum, sed benigniùs, ut partem utriusque anni, primi & secundi, complectatur.

XVIII. Ad Photini damnationem quod attinet, discedere non possum ab Hilario quin existimem in Mediolanensi synodo primò fuisse decretam; maximè cùm epistola synodica Concilii Sardicensis orientalium, etsi debacchetur contra Marcellum ob novam hæresim ab eo promulgatam, recenseatque ejus condemnationem in synodo Constantinopolitana sub Constantino Principe, Photini Episcopi à præceptore Marcello seducti vel etiam damnati ne verbum quidem faciat. Itaque Severo non est fides adhibenda, qui damnatum cum Marcello Photinum

scribit ; nisi quatenus per consequentiam in auctore damnata hæresis , præjudicio quodam damnata est in discipulo. Quod attinet ad secundam Antiochenam synodum , cujus confessio refertur ab Athanasio , in ea perstringitur ambiguè Photinus sub nomine Scotini , quasi eadem cum Marcello sentiret , & severè anathema profertur in impietatem illam cujus suspicione jam tunc laborabat Photinus. Sed prima Photini damnatio directis verbis in eum ut manifestum hæreticum concepta tribuenda est synodo Mediolanensi. Nisi malimus faciliùs ita Hilarium cum synodo Antiochena componere ut prima damnatio , quæ Photino sit inflicta in occidente , pertineat ad synodum Mediolanensem , qui jam fuerat damnatus in oriente à synodo Antiochena sub Constantio. Vt recta sit Epiphanii correctio quam vir clarissimus in suis animadversionibus protulit ; nec est quòd ejus emendationis eum pœniteat.

Athanas. in lib. de synod. p. 896.

XIX. Sed ut redeamus ad synodum Mediolanensem, laudanda est V. C. Sirmondi observatio : qua posita, dejicitur è præsidio alter vir doctissimus quod ad synodi istius assertionem validum existimabat. Petitum illud erat ex epistola Liberii Papæ ad Constantium , qua Pontifex testatur

teſtatur Demophilum, Macedonium, Eudoxium, & Martyrium Epiſcopos ante annos octo Mediolani ſententiam Arii noluiſſe damnare & iratis animis è Concilio exiviſſe. Etenim ſi ſcripta ponatur epiſtola anno CCCLIV. ut cenſuit Baronius, non autem CCCLV. ut putabat vir doctus, demptis annis octo incidet conventus ille Mediolanenſis in annum CCCXLVI. qui ſynodum Sardicenſem anteceſſit; cujus Concilij epiſtolæ ſynodicæ ab Arianis editæ Demophilus ille, Macedonius, & Eudoxius ſubſcripſerunt poſt diſceſſum à Mediolano, quò ſe contulerant ab orientalibus Epiſcopis ad Conſtantem miſſi ut Athanaſii damnationem tuerentur. Tamen non eſt omittendum, eundem virum clariſſimum in ſua diatriba alienam ſententiam affingere Hilario, cùm exiſtimat damnationem Photini in Concilio Mediolanenſi, ab Hilario commemoratam, trahendam ad Concilium illud Mediolanenſe quod coactum fuit anno trecenteſimo quinquageſimo quinto. Certum quidem eſt ex epiſtola illius ſynodi prolata à Baronio damnatos ibi fuiſſe Marcellum, Photinum, & Athanaſium. Sed hic conventus Arianorum fuit; ut omnes fatentur, & docet ipſa Athanaſii damnatio. At verò conventus

Mediolanensis, de quo Hilarius, conflatus erat ex Episcopis catholicis, & habitus fuit anno CCCXLVII. ut superiùs est demonstratum. Itaque duplex synodus Mediolanensis statuenda est in qua Photinus damnationem exceperit. Prima est Hilario dicta, ex Episcopis catholicis composita, & coacta anno trecentesimo quadragesimo septimo. Altera est Arianorum synodus anno CCCLV. qui damnationem Athanasii cum Photino conjungunt. Quod Hilarius sine exprobratione non prætermisisset, si ejus feciisset mentionem.

XX. His positis, restat ut inquiramus in tempus synodi Sirmiensis quæ coacta est ad damnandum Photinum. Vir iste & facundiæ nomine commendabatur, & flagrantissima gratia valebat apud Principem. Itaque magno conatu opus erat ut à sede pelleretur. Imò verò ut regulis quæ tunc obtinebant adhæreamus, cùm fidei causa ageretur, necesse erat orientis Episcopos in unam sententiam conspirare cum occidente ut hæresis profligata censeretur. Itaque relatione decreti adversùs Photinum missa ab occidentalibus in orientem ex more, ut docuit Hilarius, quid erat reliquum nisi ut jussu Constantii Imper. orientales Sirmium se confer-

rent, ut damnatione Photini ſuffragiis tot Epiſcoporum confirmata, hæreſis confoderetur? Sanè Concilium illud Sirmienſe ex orientalibus Epiſcopis conflatum fuit, ut ſcripſit Hilarius, ſeu, ſi mavis loqui cum Vigilio, ex toto oriente. Ex ea ſanè ſatis eleganti conjectura ſequitur non longo intervallo temporis abfuiſſe ſynodum Sirmienſem à ſynodo Romana, unde profecta fuerat relatio ad orientales. Hoc etiam apertè docet Hilarius, dum ait: *Verùm inter hæc Sirmium convenitur.* Quænam autem eſſet horum verborum ſententia ſuperiùs diximus. *Inter hæc*, id eſt: Dum libellus Vrſacii & Valentis mittitur in orientem, & orientales literis ſuis res Sardicæ judicatas per inſidias refricare conantur ſub prætextu damnationis Photini & communionis Marcello denegatæ ab Athanaſio.

XXI. Conſtituatur ergo Romana ſynodus, ut antea dixi, in anno trecenteſimo quadrageſimo nono. Poterit haberi ſynodus Sirmienſis, ex mente Hilarii, anno CCCLI. quæ eſt Socratis & viri clariſſimi aſſertio. Reclamat ille tamen, & ſynodum Sirmienſem Hilarii aliam à Sirmienſi Concilio orientalium omnino eſſe pertendit, hac præcipuè ratione quòd in iſto Photinus exauctoratus eſt, ut docent

Sozomenus & ceteri hiſtorici, in illa verò teſtatur Hilarius populi tumultu id effectum ut epiſcopatu amoveri non poſſet. Hoc argumento tantum abeſt ut dimovear à mea ſententia, quin potiùs inde illi fulciendæ ſubſidium petam. Etenim certum eſt, ex Epiphanio & Socrate, damnatum Photinum, ex more illius ſeculi à ſynodo ad Imperatorem provocaſſe. Conſtantius dedit judices ex aula. In eo autem magiſtratuum conſeſſu Baſilius Ancyramus à ſynodo delectus ut cauſam communem ageret, poſtquàm diù cum Photino verbis conflixiſſet, hominem diſputatione oppugnavit; qui victus, in exilium eſt actus. Itaque ſupereſt locus conciliandi Hilarii cum Sozomeno, hac ratione. Photinus damnatus eſt in ſynodo Sirmienſi; ſed populo per ſeditionem intercedente, & Epiſcopo damnato ad Principem provocante, judicium non eſt executioni demandatum. Tamen judicum à Principe datorum ſententia Photinus meritas hæreſeos & impudentiæ pœnas dedit, in exilium actus.

XXII. Hoc jacto fundamento, profligata eſt altera quæſtio de fidei formula ab Oſio ſubſcripta terrore, minis, & verberibus coacto, ut ipſe moriens profeſſus eſt, teſte Athanaſio; qua ut

concordiæ inter dissidentes Episcopos ratio iniretur, οὐσία, ὁμοούσιον, & ὁμοιούσιον reticentur, tamquam vocabula à scripturis non deprompta. Tempus hujus formulæ cadit in annum CCCLVII. ut consentiunt omnes. Ergo non fuit edita in synodo Sirmiensi quæ coacta fuit contra Photinum anno trecentesimo quinquagesimo primo. Et hic Socratem hallucinatum fuisse, qui contrarium scribat, sanè fatendum est.

XXIII. Equidem Sirmii conceptam fuisse illam formulam in altera Episcoporum Illyricianæ diœceseos & aliorum qui aderant in comitatu Principis synodo docet ipsum formulæ exordium. *Quoniam de fide deliberationem aliquam fieri placuit, diligenter omnia tractata sunt, & inquisita Sirmii, præsentibus Valente & Vrsacio ac Geminio ac ceteris.* Valens erat Mursæ in Mœsia Episcopus, Vrsacius Singiduni in Pannonia, Germinius Sirmii. quæ civitates sunt in Illyriciana diœceseſi. Ergo in synodo Sirmiensi editam fuisse blasphemam Osij formulam dicendum erit cum Hilario, Phœbadio, & Vigilio. Frequentes erant illa ætate synodi; ut in eo hærendum non sit quòd plures in eadem civitate intra breve tempus synodos coactas fuisse legamus. Itaque in conventu

Sirmienſi, non illo plenario totius orientis, ſed Illyricianæ diœceſeos, expreſſa fuit Oſii formula. Quod adeo apertè docet Hilarius ut ejus teſtimonium nulla cavillatione poſſit eludi. Etenim recitata fidei formula edita in ſynodo Sirmienſi coacta contra Photinum, recenſet alteram formulam blaſphemiæ apud Sirmium per Oſium & Potamium conſcriptæ. De hac ſecunda formula ait diſertè eam *non olim tunc cùm Photinus epiſcopatu dejectus eſt conſcriptam eſſe.* Quo quid apertius ad hanc rem dici poteſt?

Hilar. in lib. de Synod.

XXIV. Nobilis autem & elegans eſt illa viri clariſſimi obſervatio, qua evincit in ſynodo Sirmienſi plenaria orientalium Epiſcoporum non fuiſſe conceptam Oſij formulam, ex eo quòd Baſilius Ancyranus ejus ſynodi ferè princeps non paſſus fuiſſet ejus formulæ interpolationem, (quæ illum latere non potuiſſet, utpote quæ Principis Conſtantij minis ſit exorta) cùm tantis animis eam formulam à Conſtantio revocari, coacta in eam rem ſynodo Ancyrana, petiverit ſtatim atque in orientem ectheſeos illius Oſianæ cognitio penetravit. Imò verò non adeo obnixè poſtulaſſet ea quæ Sirmij decreta fuiſſent confirmari, nulla habita exceptione, ſi eodem tempore perfidiæ

Osianæ formula Sirmij fuisset ab Episcopis concepta.

SYNOPSIS CHRONOLOGICA.

SYNODUS Mediolanensis, cujus meminit Liberius. *An.* 346.

Synodus Mediolanensis conflata ex Episcopis catholicis, in qua damnatur Photinus, & Valens & Vrsacius in communionem recipiuntur. *Ex Hilario in fragmentis & epistola Synodica Concilij Ariminensis.* 347. *aut* 348.

Synodus Romana sub Iulio, in qua Valens & Vrsacius communionem Athanasii amplectuntur, & de Photini expulsione tractatur. *Apud Hilarium in fragmentis.* 349.

Synodus Sirmiensis plenaria, ubi Photinus ab orientalibus condemnatur; cujus meminit Hilarius in fragmentis, qui eam constituit biennio post synodum habitam sub Iulio, è Socrate. 351.

Synodus Mediolanensis Arianorum, in qua Photinus, Marcellus, & Athanasius damnantur. 355.

Synodus Sirmiensis Illyricianæ diœceseos, in qua Osius subscribit formulæ ab Vrsacio & Valente prolatæ. 357.

DIATRIBA DE SYNODICA epistola Synodi Illyricianæ habitæ decreto Valentiniani senioris anno Christi CCCLXV.

IN synodo Illyriciana quæ habita fuit decreto Valentiniani senioris, confirmata est antiqua fides de trinitate consubstantiali, eaque de re conscripta est synodica epistola ad Episcopos diœceseos Asianæ, ubi hæreses contrariæ vigebant. Integram epistolam recitat Theodoretus lib. IV. hist. eccles. cap. IX. in qua, post constitutam fidei rationem, commonentur Episcopi de studio quod impendi debet ut sinceræ sanæque fidei constituantur Episcopi, Presbyteri, & Diaconi. At enim quia locus ille variè acceptus est ab interpretibus, qui sententiam non sunt assecuti ob vetus mendum quod in ejus lectione latet, operæ pretium me facturum esse duxi si veram synodi mentem eruere conarer, quæ quanta sit magistratibus civilibus cum episcopatu in tuenda fide communio manifestum faciet. Hæc sunt synodi verba: περὶ τούτου γράφοντες ὑπόμνησιν ἔχοντες ἐχαράξαμεν τοῦτο ἡμῖν τὸ γράμμα, ὑπὲρ τῶν καθιερωμένων ἐπισκόπων, ἢ καταστάντων συλλειτουργῶν, ἐὰν μὴ εἶεν ὑπὲρ τὸν τέλει χρησαμένων ἐπισκόπων ὑγιεῖς.

εἰδὲ μὴ, ἐξ αὐτῶ τῦ πρεσβυτερίου. ὁμοίως τε ἐ πρεσβυτέρους καὶ διακόνους ἐξ αὐτῶ τῦ ἱερατικοῦ τάγματος, ἵνα ὧσιν ἀνεπίληπτοι πανταχόθεν, ἐ μὴ ἀπὸ τῦ βουλευτηρίου ἐ στρατιωτικῆς ἀρχῆς. Ea sic reddidit Christophorsonus. *Dum hac de re scriberemus ad vos, commonefacti fumus ut in his nostris literis scriberemus etiam de Episcoporum, collegarum scilicet nostrorum, institutione, ut si quoquo modo fieri queat, è magistratibus qui episcopatu functi, probata spectataque vita fuerunt, cooptentur; sin autem tales non reperiantur, è sacerdotum collegio. Ad eundem modum tum Presbyteri tum Diaconi de ordine sacerdotali sumantur, ut omni ex parte inculpati fiant; minimè verò de curia aut militum ductoribus.*

Ioannis verò Langi versio à Frontone Ducæo eruditissimo viro recensita in libro XI. Nicephori cap. XXX. ubi hæc synodica refertur, hunc locum sic expressit. *Hac de re quum ad vos hasce literas scriberemus, commonefacere etiam vos voluimus de creandis vel etiam creatis Episcopis, eorumque administris, ut scilicet legantur ex sanæ mentis & doctrinæ qui magistratum episcopalem gesserint præfectis, siquidem extent; sin minùs, ex ipsis Presbyteris. Consimiliter Presbyteri & Diaconi ex ipso sacro clericorum ordine, ut omni ex parte irreprehensibiles sint, qui non ex curia vel ex militari magistratu sint lecti.*

Interpres uterque, ne versio hiaret si Græca verba prout scripta sunt sequeretur, verbum necessariò supplevit in contextu; ille *cooptentur*, hic *legantur*. quod sanè verbum deest in Græcis. Vnde ut plena sit sententia, & præterea ut vitetur solœcismus, in accusativis illis ὁμοίως καὶ πρεσβυτέρους ἐξ ἀμφοτέρων, quæ à nullo verbo pendent, & regi debent à verbo communi quod Episcopos quoque complectatur, verbum illud in versione quisque sua addiderunt. Quod sanè demonstrabat illis locum esse corruptum & supplendum in contextu verbum, quod necessariò inserendum erat in versione ut aliquis sensus eliceretur. Quod erit apertius si plenam & sinceram synodicæ sententiam exponamus.

Laborabat in Asiana diœcesi hæreticorum tumultibus vexata Nicæna fides: quorum impetus ut faciliùs retundi possent, Ecclesiæ intererat, non solùm ut probatæ fidei Episcopi deligerentur, sed etiam qui in usu & actu rerum versati, prudentia civili & animi decocti constantia veteratorum artes eludere & comprimere possent. Itaque ut hoc adjumentum patres consequerentur, existimarunt non scrupulosè servandam veterem regulam, quæ ex solo presbyterio Episco-

pos adlegendos præscribebat, quinimò si fidei sanæ & integræ invenirentur aliqui viri qui magistratu civili functi essent, hos potiùs Episcopos deligendos, deinde, si tales non reperirentur, petendos juxta ordinem antiquum ex corpore presbyterii. Deinde agit epistola de ministris jam constitutis & eorum promotione. Quare Presbyteros & Diaconos ex solo clericorum corpore cooptandos docet; ne scilicet exemplo ejus quod de magistratibus in episcopatum asciscendis singulari jure decernebat, putaret aliquis Presbyteros quoque & Diaconos è laicis probatis adlegendos. Ceterùm adjungit, ne fiant ex iis qui sunt curialium conditionis aut militaris. Hi quidem ab omni clericorum gradu & canonibus & legibus arcebantur; aliquando tamen in cleri gradus inferiores cooptabantur. Severiùs tamen interdictum erat ne hujus conditionis homines, etsi fortè clero ascripti essent, in presbyteratus & diaconatus, multò minùs in episcopatus gradum proveherentur; ne scilicet ab altarium obsequio ipsius Principis jussu in curiam aut in militiam retraherentur cum Ecclesiæ injuria. quod suo tempore accidisse refert Innocentius primus, qui prohibitionem istam decreto suo renovavit.

Quare non dubitamus quin lectio contextus Græci, quæ de constituendis Episcopis, tum etiam de comministris jam constitutis loquitur, sit emendanda & supplenda hoc pacto. δεῖ τ̃ καθιςαμένων ἐπισκόπων, κ̃ συλλειτουργῶν καταςαθέντων, εἰ μ̃ ἦεν ἐκ τ̃ ἐν τέλει χρησαμένων ὑγιεῖς, ἐπισκόπους καθιςάναι, εἰ δ̃ μὴ ἐξ αὐτ̃ δ̃ πρεσβυτερίου &c. Delendum quippe τὸ ἐπισκόπων, quod interjectum erat inter dictiones χρησαμένων & ὑγιεῖς, & confictum ex ἐπισκόπους, quod sequi debet dictionem ὑγιεῖς. Trajectio illa & casus permutatio perturbabat omnino hujus loci apertam alioqui sententiam. Ex ea quippe corrupta lectione emergebat absurdus hic sensus quem interpretes amplexi sunt, eligendos nempe probatæ fidei Episcopos *è magistratibus qui episcopatu functi sunt*, ut vertit Christophorsonus, vel *è præfectis qui magistratum episcopalem gesserint*, ut Langus. Quinam sunt illi è magistratuum numero qui episcopatu functi, revocandi sunt ad eandem functionem? Refragatur huic sententiæ mos antiquus & canonum ordo, qui renuntiationem aut desertionem episcopatus non admittebat. Si quis verò suspicetur de illis Episcopis agi qui sedibus pulsi essent ab hæreticis, tunc de restituendis Episcopis, non autem de eligendis, monerent patres. De tuenda fide

laborabant; adeoque de industria Episcoporum constituendorum satagentes, eos priore loco ex iis qui magistratu publico functi essent deligendos monent, tum si tales desint, ex cœtu presbyterii juxta morem antiquum. Vt hæc sententia constaret, delevimus dictionem ἐπισκόπων. Quæ nostra emendatio juvatur lectione illa quam vir eruditissimus Iacobus Sirmondus expressit in editione Theodoreti juxta fidem manuscriptorum codicum à se adornata. Hunc locum sic legit. ἐὰν μὴ εἶεν ἐκ τῶν ἐν τέλει χρησαμένων ὑγιεῖ. εἰ δὲ μή, &c. Sic autem vertit integrum. *Hæc de re dum scribimus, subiit animum ut iisdem literis admoneremus etiam de comministris Episcopis creatis vel creandis; siquidem fuerint ex sano probatoque magistratu functis; sin minùs, ex cœtu ipso Presbyterorum. similiter autem & Presbyteros & Diaconos ex ipso sumi ordine clericorum, ut omni ex parte sint irreprehensibiles, minimè verò ex curia vel ex imperio militari.* Ex qua interpretatione patet contextum Græcum Sirmondi, etsi emendatum ex parte, nempe in ejecta dictione ἐπισκόπων, corruptum esse dupliciter; primùm in voce ὑγιεῖ, quæ dativo casu expressa nullum habet commodum sensum. quare retinenda est lectio ceterorum codicum, nempe ὑγιεῖς in plurali. Deinde

abeſt à contextu verbum quo doceamur eligendos Epiſcopos priore loco è magiſtratu functis, vel illis deficientibus, ex preſbyterio. Quod verbum ſuppleri quoque debet ut regat accuſativos illos in contextu ſtatim poſitos de Preſbyteris & Diaconis. Hoc ultimo loco verbum *ſumi* ſupplevit Sirmondus in verſione ſua. quod abeſt à Græco, & reſtituendum ſuperiore loco, ut monuimus. Sanè locum illum de magiſtratibus civilibus intelligi etiam rectè poſſe obſervat Fronto Ducæus, qui nomine Epiſcoporum deſignentur. quo ſenſu cicero ſe à Pompeio oræ Campanæ Epiſcopum delectum ſcribit. Quæ tamen Epiſcopi ſignificatio ſcriptoribus eccleſiaſticis eſt inuſitata; & locus ille de magiſtratibus civilibus intelligi non tantùm poteſt, ut ille notat, ſed intelligi omnino debet.

Non diſſimulandus eſt etiam error in quem interpretes inciderunt: qui quod ſeparatim dicitur in contextu de conſtituendis Epiſcopis & de comminiſtris conſtitutis, in verſione miſcent, & *collegas* vel etiam *comminiſtros Epiſcopos* interpretantur, ut Chriſtophorſonus & Sirmondus. Langus quidem diſtinguit Epiſcopos ab eorum adminiſtris, ſed creandos vel creatos ad utroſque refert, quamvis

in contextu hæc distinguantur. Sanè quin dictio συλλειτουργῶν hoc loco ad Presbyteros referri debeat, dubitare non sinit hæc epistola, in qua bis Elpidius Presbyter συλλειτουργὸς nuncupatur. Ad cujus nominis dignitatem Diaconi quoque trahuntur; quoniam, ut loquitur Lex Theodosiana, *Ecclesia est in Episcopis, & Presbyteris, & Diaconis.*

Hoc discrimen de constituendis Episcopis & de comministris constitutis expressit antiqua Epiphanii scholastici versio in Tripertita historia, qui synodicam istam refert libro octavo. Qua ex versione docebimur quoque vetus esse mendum hujus loci, atque præterea interpretem illum à synodicæ mente longè abesse, verbaque adjecisse quæ desunt in contextu & sententiæ patrum sunt contraria. Hæc sunt illius verba. *Ob hoc scribentes & commemorantes has literas destinavimus. De Episcopis autem constituendis vel comministris jam constitutis, si permanserint usque ad finem sani, bene; alioqui ex ipso presbyterio repellantur. Similiter Presbyteros atque Diaconos in sacerdotali ordine definivimus, ut sint irreprehensibiles undique, & à curia & ab officio militari.* Non intellexit verba ista, οἱ ἐν τέλει χρησάμενοι. Vertit enim, *si permanserint usque ad finem*, cùm apertè significent, *qui*

magistratu functi sunt. Addit autem è suo *bene*, mox verbum *repellantur* contra mentem patrum, dein *definivimus.*

Hunc autem locum ex nostra emendatione sic reddendum putamus. *Hac de re ad vos scribentes quæ monenda habemus, hisce quoque literis nostris expressimus de constituendis Episcopis & de comministris quoque jam constitutis; nempe ut ex iis qui sunt functi magistratu, si sani sint, constituantur Episcopi; sin minùs, ex ipso presbyterio. Similiter & Presbyteri & Diaconi è sacro clericorum collegio, ut sint omni ex parte inculpati; minimè verò de curia vel ex officio militari.*

EXPLICATIO CANONIS quinti synodi Constantinopoli habitæ anno Christi CCCLXXXI.

TORQUETUR vir eruditissimus Samuel Petitus variarum lectionum lib. III. cap. II. in explicando & emendando canone quinto Concilii Constantinopolitani, cujus hæc sunt verba. ὡς ἐπὶ τόμου τῶν δυτικῶν, ᾧ σὺν ἐν ἀνοχείᾳ ἀπεδεξάμεθα τοὺς μίαν ὁμολογοῦντας παρὸς καὶ υἱοῦ καὶ ἁγίου πνεύματος θεότητα. In controversiam adducitur iste tomus occidentalium. Repudiata etenim Zonaræ & Balsamonis interpretatione, qui de canone fidei in Sardicensi

Sardicenſi Concilio promulgata verba illa accipiunt, ſupereſt explicatio illuſtriſſimi Cardinalis Baronii, qui de Damaſi epiſtola ſynodica ſcripta ad Paulinum Antiochenum, quæ contra hæreſes tunc temporis vigentes totidem continet anathematiſmos, hunc canonem accipiendum exiſtimat, ita ut illo Conſtantinopolitana ſynodus ſynodicam epiſtolam Damaſi ad Antiochenos approbarit.

Verùm Petitus diſcedendum ſibi putat ab hac ſententia, ob duas potiſſimùm rationes. Prima eſt ducta à tempore ſynodicæ Damaſi epiſtolæ, quam ille conjicit ſcriptam fuiſſe anno CCCLXXXII. ſcilicet integro anno poſt editum canonem quintum. Altera petitur è verbis canonis, quæ huic interpretationi refragentur. Ad primam rationem quod attinet, videtur dubitandum an rectè Petitus temporis calculum iniverit. Etenim Conſtantinopoli coacta eſt ſynodus œcumenica anno trecenteſimo octuageſimo primo. Anno ſequenti imperiales literæ ſynodum orientis & occidentis ob eccleſiaſticas diſſenſiones Romam contraxerunt, ut loquitur Hieronymus in epiſtola ad Euſtochium. Itaque orientales qui ſecunda vice Conſtantinopolim ſe contulerant, à ſynodo Romana invitati ſunt ut Romam ſe trans-

ferrent. quod illi propter itineris longinquitatem, Ecclesiarum suarum dispendia, & promulgatam à se anno superiore fidei formulam facere recusarunt. Synodicam ergo epistolam ad occidentalium Concilium miserunt, qua illis & formulæ fidei ab œcumenica synodo Constantinopolitana anno superiore perscriptæ & tomi seu mavis epistolæ ab Antiochena synodo editæ exemplorum copiam faciunt, ut testatur Theodoretus. Existimat ergo Petitus tunc scriptam fuisse synodicam à Damaso ad Paulinum, cùm de adventu orientalium jam desperassent occidentales, quia verò Paulinus unà cum Epiphanio Episcopo se in viam dederat, Thessalonicæ in Macedonia has literas accepisse, ut constat ex titulo synodicæ Damasi apud Theodoretum. qui titulus Thessalonicæ à Paulino acceptam testatur. Certè quamvis hæc conjectura non sit improbanda, tamen non evincit omnino quod Petitus pertendit. Quid enim vetat quin superiore anno in eas partes ob Concilium Constantinopolitanum Paulinus evocatus Thessalonicam se conferre potuerit, & ibi synodicam Damasi acceperit? Planè ut dicam quod sentio, narratio Theodoreti, rei gestæ series, & ipse cognitionum synodicarum ordo videtur

Theodoret. lib. 5. hist. eccles. c. 9.

exigere ut dicamus editum fuisse libellum fidei ab Antiochena synodo quæ coacta fuit anno CCCLXXVIII. & Constantinopolim ad orientis Concilium missam, antequam de illo recipiendo à Constantinopolitanis aliquid statuatur in synodo anni trecentesimi octuagesimi primi. Quod ex se patet satis, & docet epistola synodica Constantinopolitana apud Theodoretum, qua testantur patres qui secundò in urbe regia convenerunt, anno scilicet trecentesimo octuagesimo secundo, se libellum illum Antiochenum præ manibus habere eumque à synodo Constantinopolitana priore jam fuisse confirmatum: ἐντυχεῖν τῷ ἐν ἀντιοχείᾳ τόμῳ πρὸς τῇ ἐκεῖ συνελθούσῃ συνόδου γεγυμνένῳ. Porrò hanc fidei formulam missam fuisse, non solùm ad illud orientis Concilium, sed etiam ad occidentis & Romanum Concilium, nemo dubitare poterit nisi qui relationes decretorum fidei ab oriente in occidentem & vicissim mitti solitas ignoret. Missa ergo ab Antiochenis ad Romanos & ceteros occidentales fidei formula, ut in eadem communionis societate se conjunctos esse profiterentur, quid aliud expectamus quàm ut synodus Romana Antiochensium formulam amplecti profiteatur epistola data ad orientales

Episcopos qui synodum Constantinopoli habebant anno trecentesimo octuagesimo primo. Nihil etiam vetat quin vicissim Romæ perscripta fuerit eodem tempore Damasi epistola synodica ad Paulinum Antiochenum, quæ fuerit etiam ab occidentalibus ad orientale Concilium transmissa; ut nullo pacto necesse sit hanc Damasi synodicam ad Paulinum anno sequenti adscribere.

Expendamus ergo secundam rationem Petiti, qui rectum sensum horum verborum, *De tomo occidentalium*, capere non potest, adeo ut antiquam lectionem moveat & Antiochenos substituat occidentalibus, id est, διθικούς, ut ille quidem legit, διθικοῖς. In quo dupliciter peccatur, tum in sententia detorta & inconcinna quam antiquæ lectioni hujus canonis affingit, tum in nova omnino voce & omnibus scriptoribus incognita quam ille comminiscitur, cùm asserit Antiochenses voce hybrida & ab Aramæa lingua deducta Dithicos vocatos. Ait Petitus verba ista, *De tomo occidentalium*, quæ tituli vicem præstant, significare canonem agere de nescio quo occidentalium libello. At verò canon nihil minùs exequitur; sed tantùm approbat ea quæ definierant Antiocheni, unam confitentes

patris & filii & ſpiritus ſancti divinitatem. Sed, inquit Baronius, quia approbabant Conſtantinopolitani patres ſynodicam epiſtolam Damaſi ad Paulinum Antiochenum, approbarunt quoque Paulinum & ſuos Antiochenos. Atqui non approbatur hoc canone, ſubjungit Petitus, etiamſi τὸν τόμον τ̃ δυτικῶν cum Baronio interpreteris de epiſtola illa Damaſi ſynodica.

Sanè Petitus malè negat tomum occidentalium, quiſquis ille tandem ſit, à Concilio Conſtantinopolitano non approbari, cùm diſertis verbis contrarium profiteantur illius Concilii patres. περὶ τόμου τ̃ δυτικῶν, καὶ τοὺς ἐν ἀντιοχείᾳ ἀπεδεξάμεθα. *De tomo occidentalium, nos etiam ſuſcepimus Antiochenos*, inquiunt. Quid manifeſtius dici poteſt ut ſe ejuſdem cum occidentalibus teſtentur eſſe ſententiæ? Robuſtiùs verò egiſſet adversùs Baronium ſi ex eo negaſſet ſequi approbatos fuiſſe Antiochenos á Conſtantinopolitanis quòd ſynodicam Damaſi ad Paulinum approbaſſent. Adhuc enim quærendum reſtaret an Paulinus & Antiocheni formulam Damaſi ſequerentur, ſi aliunde de hoc non conſtitiſſet Conſtantinopolitanis.

Genuimus ergo ſenſus canonis hic eſt. Epiſtola ſua ſignificaverat Concilium

occidentis Episcopis orientalibus Constantinopoli congregatis, etsi dissidium esset inter Episcopos Antiochenos Meletium & Paulinum, tamen eos rectam de una patris, filii, & spiritus sancti divinitate sententiam profiteri, atque ideo se non alienos ducere Antiochenos à communione Ecclesiæ ob schisma quod illa in Ecclesia inoleverat inter duos Episcopos de sede contendentes. His literis in eum sensum acceptis, Concilium Constantinopolitanum decreto suo eandem communionem Antiochenorum amplectitur hoc canone quinto, quia illis æquè ac ocidentalibus constabat ex epistola synodi Antiochenæ eos unam divinitatem patris & filii & spiritus sancti profiteri. Vbi velim expendi Constantinopolitanos non profiteri se nunc primùm Antiochenos recipere quia moniti sint à synodo Romana, sed eos jam suscepisse in communionem, nempe quia rectam eorum sententiam de fide ex epistola synodi Antiochenæ didicerant. Vel ut in pauca verba sententiam synodi contraham & σαφεστικῶς enarrem. Quod attinet ad epistolam occidentalium, qua docent se communionem Antiochenorum amplecti quia rectam fidem profitentur, nos etiam eosdem Antiochenos jam antea

ſuſcepiſſe teſtamur, quia nobis conſtitit eos unam patris & filij & ſpiritus ſancti confiteri divinitatem.

Planè ex iſta interpretatione, quæ genuina eſt, ſequitur alium fuiſſe tomum occidentalium qui commemoratur in hoc canone ab epiſtola ſynodica Damaſi ad Paulinum Antiochenum, vel ſaltem cum illa epiſtola Damaſi ad Paulinum aliam adjunctam fuiſſe ad orientales Conſtantinopoli congregatos. Nihil enim vetat quin eodem tempore perſcripta & miſſa fuerit ad Paulinum & ad ipſos orientales.

Reſtat ut de canonis emendatione à viro erudito tentata unum addamus, nempe veterem omnium codicum lectionem non eſſe ſollicitandam, cùm nihil perſuadeat cur Dytici in Dithicos ſint immutandi, maximè cùm nullibi ea vox reperiatur. Fallitur enim vehementer quum putat eam vocem latere in libello oblato adversùs Ibam Edeſſenum in ſynodo Berytenſis, ubi ſit mentio ἀνατολικῆς συνόδου & δυτικῆς, quas alias eſſe non poſſe cenſet quàm Tyriam & Antiochenam, quæ ambæ ſolæ in cauſa Ibæ ſunt coactæ, unde ſequatur orientalem ſynodum commemoratam in libello eandem eſſe cum Tyria, & δυτικὴν, qua neceſſariò ſignificetur Antiochena, mutandam in διθικὴν

deducto nomine à voce Syriaca quæ lucum significet, unde inflexione Græcanica Antiochenses δἀφνικοὶ dicti fuerint à luco Daphnensi, & synodus Antiochena δἀφνική. Sanè alia mens est libelli, ubi synodus Antiochena vocatur ἀνατολική sive orientalis ab urbe Antiochia, quæ est metropolis diœceseos orientis, Tyria autem occidentalis seu δυτική dicitur ratione habita situs quem obtinet in diœcesi orientis. Phœnicia enim, ubi sita est colonia Tyri, porrigitur ad partes occidentales diœceseos orientis, ut alibi hunc locum expendimus.

DISSERTATIO DE VETERIBVS COLLECTIONIBVS CANONVM.

CAPVT PRIMVM.

De vetuſtiſſima collectione canonum Eccleſiæ Romanæ ante Concilium Chalcedonenſe.

I. DVÆ ſunt, quæ huc uſque latuerunt, canonum collectiones, quibus uſa eſt variis temporibus Eccleſia Romana: quarum altera poſt Concilium Nicænum emerſit, altera poſt Chalcedonenſe.

De prima acturis obſervandum eſt, ante Concilii Chalcedonenſis definitionem canone primo comprehenſam, qua regulis patrum robur & auctoritas additur ut per

universam Ecclesiam vigeant, canones Ancyranos, Neocæsarienses, Gangrenses, Antiochenos, & Laodicenos in occidentem non penetrasse. Solis Ecclesia Romana canonibus Nicænis regebatur, ut disertè docet Innocentius in epistola ad clerum Constantinopolitanum. Quo nomine Sardicenses continebantur; ut patet ex Zosimi commonitorio quod Faustino Legato suo dedit ad firmandum in Africa usum appellationum in causis Episcoporum: ubi canon in Sardicensi synodo ea de re editus, sub titulo Concilii Nicæni profertur. Refragati sunt quidem Africani Episcopi, & canonem illum in veris exemplaribus synodi Nicænæ non haberi contenderunt, contra nitentibus Legatis Zosimi. Qui quidem adeo ab omni fraudis & doli suspicione aberat, quemadmodum & Bonifacius illius successor, ut passus sit Legatos à Carthaginensi synodo Constantinopolim & Alexandriam mitti ad earum civitatum Episcopos ut exempla canonum Nicænorum ex authenticis codicibus descripta mitterent. Illi verò testati sunt canones illos numero viginti esse tantùm; quales Africana Ecclesia penes se habebat. Vnde factum ut constiterit Romanis, æquè ac Africanis, canones illos Sardicenses alios esse à Nicæ-

nis. Quod tamen non obſtitit quò minùs Leo I. in epiſtola ad Pulcheriam, conquerens de Flaviani Epiſcopi Conſtantinopolitani & ceterorum ſacerdotum depoſitione à ſynodo Epheſina ſub Dioſcoro decreta, eoſdem Sardicenſes canones, ſub nomine Nicænorum, orientalibus objiciat, contendens ex eorum præſcripto omnia in priſtino ſtatu retinenda donec ad Apoſtolicam ſedem referatur.

II. Innocentius quoque primus in epiſtola ad Victricium, poſt commemoratam Nicænam ſynodum, ait majores cauſas ad ſedem apoſtolicam referendas, *ſicut ſynodus ſtatuit, & vetus conſuetudo exigit.* Vnde ſequi videtur eum ad Nicænam ſynodum reſpexiſſe, cui acceptos ferebat canones, ad Sardicenſe licèt Concilium pertinerent, quos poſtea Zoſimus quoque Nicænos eſſe jactabat; præcipuè cùm Innocentius ſolos, ut monebam, canones Nicænos obtinuiſſe apud Romanam Eccleſiam doceat.

III. Occaſio iſtius hallucinationis alia non eſt præter collectionem canonum quam ſolam ea tempeſtate in ſcriniis ſuis habebat Eccleſia Romana; cujus nos exemplar in vetuſtiſſimo codice MS. vidimus beneficio Chriſtophori Iuſtelli claræ memoriæ viri & antiquitatum eccle-

siasticarum curiosi exploratoris: qui licèt communionis Calvinianæ partes sequeretur, sincerè se gerebat in eruendis è situ veterum monumentis ad rem canonicam exornandam.

In ea collectione hoc erat lemma: CANONES NICÆNI. Deinde sequebatur series quadraginta canonum numeris suis distinctorum: quorum priores viginti erant veri & genuini canones Nicænæ synodi, reliqui autem viginti continebant canones unum & viginti Concilii Sardicensis, duobus capitibus in unum compactis; nulla interim mentione facta hujus Concilii Sardicensis. Non dubitandum, quin statim post editionem adjecti fuerint canones illi Sardicenses priori collectioni, consequentibus numeris, sub antiquo titulo. Illud autem an fato acciderit, vel per incuriam, an verò data opera, ut major esset horum canonum auctoritas, prudentis esto judicium. Sanè in veteribus codicibus reperiri canones Nicænos numero quadraginta adnotatum est in editione Moguntina Dionysii Exigui. quæ collectio similis est antiquæ illi quam nos vidimus. Nec alia erat collectio quadraginta canonum Nicænorum, cujus meminit præfatio Isidori: unde auctor ille occasionem arripuit augendi numerum us-

que ad LXXII. ex suppositiis Iulii epistolis.

IV. Quare Innocentius, Zosimus, & Leo alieni sunt ab omni dolo in proferendis canonibus Sardicensibus ac si ad Nicænam synodum pertinerent, cùm auctoritate scriniorum suorum & veteris collectionis freti essent. Viri amplissimi eruditione & dignitate Cardinales Perronius & Baronius, ut horum Pontificum bonam fidem tuerentur, ex ingenio conjecerant ea illos collectione canonum usos esse quam nos olim in Ecclesia Romana extitisse testimoniis comprobavimus.

CAPVT II.

De collectione canonum post Concilium Chalcedonense.

I. DECRETI Chalcedonensis ea fuit auctoritas ut canones orientalium synodorum, qui vigebant in oriente, susceperit Ecclesia Romana, eosque adhibuerit in causarum & negotiorum ecclesiasticorum disceptatione; demptis iis quos juribus suis officere existimabat. Quare codicem illum canonum ex quo recitati sunt canones aliquot in Concilio Chalcedonensi Romam Legati cùm de-

tuliſſent, auctoritate Leonis Papæ confecta eſt & compoſita nova canonum collectio, quæ viguit ſola in occidente per ſexaginta & amplius annos, donec altera quoque acceſſit Dionyſii Exiqui, quæ in quibuſdam à priore diſcrepat, ut mox obſervabimus.

II. Priorem illam, hactenus ignotam, ex codicibus duobus manuſcriptis monaſterii Rivipullenſis in Catalonia favente numine erutam hic explicamus: quæ majoris ponderis apud nos eſſe debet quòd ea uſi ſint Gallicani Epiſcopi uſque ad tempora Hadriani Pontificis & Caroli Magni, & unà cum Gallicanis canonibus ab Eccleſia Hiſpanica uſurpata fuerit uſque ad Sarracenorum adventum; quemadmodum etiam in Africa.

Ejus autem collectionis hæc eſt methodus. Incipiunt canones Nicæni. Sequuntur Ancyrani, Neocæſarienſes, & Gangrenſes. Deinde Sardicenſes canones. Poſtea Antiocheni, & Laodiceni. Subjunguntur ſtatim viginti ſeptem canones Concilii Chalcedonenſis. Deinde Carthaginenſes; de quibus mox dicemus.

III. Huic collectioni præfigitur præfatio, cujus hæc ſunt verba. *Canones generalium Conciliorum à temporibus Conſtantini cœperunt. In præcedentibus annis namque,*

perſecutione ferveute, docendarum plebium minimè dabatur facultas. Inde Chriſtianitas in diverſas hæreſes ſciſſa eſt : quia non erat licentia Epiſcopis in unum convenire, niſi tempore ſupradicti Imperatoris. Ipſe enim dedit facultatem Chriſtianis liberè congregari. Sub hoc etiam ſancti patres in Concilio Nicæno de omni orbe terrarum convenientes, juxta fidem evangelicam & apoſtolicam ſecundum poſt apoſtolos ſymbolum tradiderunt. Quatuor autem principalia eſſe Concilia, ex quibus pleniſſimam fidei doctrinam tenet Eccleſia tam de patris & filii & ſpiritus ſancti divinitate quàm de prædicti filii & ſalvatoris noſtri incarnatione. Prior harum Nicæna ſynodus eſt CCCXVIII. *Epiſcoporum Conſtantino Auguſto imperante peracta : in qua Arrianæ perfidiæ blaſphemiæ condemnata, quam de inæqualitate ſanctæ trinitatis idem Arrius aſſerebat. Conſubſtantialem Deo patri Deum filium eadem ſancta ſynodus per ſymbolum definivit. Secunda ſynodus eſt* CL. *patrum ſub Theodoſio ſeniore Conſtantinopolim congregata ; quæ Macedonium ſanctum ſpiritum Deum eſſe negantem condemnans, conſubſtantialem patri & filio eundem paraclitum demonſtravit, dans latiùs ſymboli formam quam tota Græcia & Latinitas in Eccleſiis prædicat. Tertia ſynodus Epheſina* CC. *Epiſcoporum ſub juniore Theodoſio Auguſto edita ; quæ Neſtorium duas perſonas in Chriſto aſſerentem juſto*

anathemate condemnavit, ostendens manere in duas naturas unam Domini Iesu Christi personam. Quarta est synodus Chalcedonensis sexcentorum XXX. *sacerdotum sub Martiano Principe habita; in qua Eutychem Constantinopolitanum Abbatem, verbi Dei & carnis unam naturam pronuntiantem, & ejus defensorem Dioscorum quondam Alexandrinum Episcopum, & ipsum rursum Nestorium, cum reliquis hæreticis, una patrum sententia prædamnavit, prædicans eadem synodus Christum Deum sic natum de virgine ut unam personam & divinæ & humanæ confiteamur naturæ. Hæc sunt, ut prædiximus, quatuor principales & venerabiles synodi totam fidem catholicam complectentes. Sed & si qua sunt Concilia quæ sancti patres spiritu Dei pleni sanxerunt, post istorum quatuor auctoritatem omni manent stabilita vigore. quorum etiam gesta in hoc corpore condita continentur. In principio autem hujus voluminis Nicænam synodum constituimus pro auctoritate ejusdem magni Concilii. Deinceps diversorum Conciliorum Græcorum ac Latinorum, sive quæ antea, sive quæ postinodum facta sunt, sub ordine numerorum ac temporum, capitulis suis distincta, sub hujus voluminis aspectu locavimus. Subjicientes etiam decreta Præsulum Romanorum, in quibus, pro culmine sedis apostolicæ, non impar Conciliorum extat auctoritas: quatenus ecclesiastici ordinis disciplina*

disciplina in unum à nobis coacta atque digesta & sancti præsules paternis constringantur regulis, & obedientes Ecclesiæ ministri vel populi spiritualibus imbuantur exemplis. Canones autem qui dicuntur Apostolorum, seu quia eosdem nec sedes apostolica recipit, nec sancti patres illis consensum præbuerunt, pro eo quòd ab hæreticis sub nomine Apostolorum compositi dinoscuntur, quamvis in eis quædam inveniantur utilia, auctoritate tamen canonica atque apostolica eorum gesta constant esse remota, & inter apocrypha deputata.

IV. Priorem hujus præfationis partem Isidorus Hispalensis retulit in librum sextum originum cap. XV. Etenim cùm sibi proposuisset eo capite de canonibus Conciliorum agere, solenneque illi sit laudabiles locos, qui suo instituto conducunt, tacitis auctoribus in opus illud congerere, (quo nomine ab eruditis majorem consecutus est laudem) more illo suo hunc quoque centonem aliis addidit, & iisdem verbis præfationem illam ex parte transcripsit. Si quis autem pervicaciter contendere velit ex Isidoro potiùs depromptam hanc præfationem, omnino se victum fatebitur si sepositò dimicandi studio perpendat præfationis corpus esse integrum, aliquot periodos complectens uno spiritu cum prioribus conjunctas;

quæ tamen desunt apud Isidorum, qui ex loco laudato decerpsit quod sibi commodum videbatur. Deinde ultima verba excerpti quod est apud Isidorum, ista nempe, *Quorum etiam gesta in hoc opere condita continentur*, nullius operæ sunt in libris originum; imò verò apertè falsa, cùm in eo volumine nec canonum nec Conciliorum acta contineantur. Quare prudenter observavit vir eruditus in scholiis hujus loci: *Hæc omissa oportuit.* Quæ sanè verba in præfatione leguntur opportunè, quia præfixa est collectioni canonum. Vnde exscriptor qui jussu Isidori in origines hunc locum transtulit, manifestè hallucinatus est non omittendo verba hæc, quæ in volumine canonum sunt aptissima, sed ab originibus prorsùs aliena. Pars ultima præfationis, quæ reprobat canones Apostolorum, transcripta est à Gratiano ex Isidoro. qua de re capite sequenti dicemus.

Dist. 16. c. 1. Canones.

V. Ex hac collectione Symmachus Papa in sexta synodo Romana habita anno DIV. citat duos canones synodi Gangrensis ex versione antiqua quæ est in hac collectione. Vnde *apostolica auctoritate hos canones conditos* ait; quoniam etsi provincialis esset synodus Gangrensis, tamen cùm auctoritate sedis apostolicæ jam esset in occi-

dente recepta, perinde erat ac si ab initio eadem auctoritate canones suos constituisset. Neque enim confugiendum est ad conjecturas quas adhibet Baronius, qui putat Osium Cordubensem legatione Romana functum huic synodo interfuisse. Recensetur quidem ille in epistola synodica, sed permistus aliis Episcopis, & inter ultimos. quod non congruit dignitati sedis apostolicæ.

CAPVT III.

De discrimine collectionis istius & Dionysianæ.

I. IN eo primùm differunt hæ duæ collectiones, vetus & Dionysiana, quòd diversis canonum Græcorum translationibus utantur. In vetere quippe interpretatio canonum Græcorum eadem est omnino cum illa quam Isidori collectio præfert, quæque usurpatur in libris Capitularium; ut ex studiosa earum inter se collatione didicimus. Planè Dionysiana versio videtur esse accuratior & verbis magis affixa. Sed altera est elegantior; & verba quædam si alicubi dissimulet, alibi sententiam veram canonis, alioquin obscuri, feliciter patefacit. Hæcque est illa translatio cujus obscuritate adductum se

Dionysius fatetur ad novam condendam. Quamquam & alia quoque in manuscriptis codicibus reperiatur paulò obscurior hac nostra.

II. Alia sunt discrimina inter utramque collectionem quæ sunt majoris ponderis, & meram antiquitatem redolent. Secunda ergo differentia hæc erit, quòd canones apostolici absunt ab ista collectione, eo titulo quòd nullius essent auctoritatis, ut docet disertè superior præfatio. In quo illi egregiè convenit cum decreto Gelasii in synodo Romana, quo liber canonum Apostolorum inter apocrypha numeratur. Inde quoque præstans argumentum trahitur hanc esse collectionem canonum qua Gallicana Ecclesia utebatur; quippe quæ his canonibus Apostolorum careret, ut ex Gregorio Turonensi docuimus libro III. de concordia sacerdotii & imperii cap. IV. §. III.

III. At Dionysiana collectio canones istos, saltem priores numero quinquaginta, in occidentem invexit. Et ejus exemplo auctor Isidorianæ collectionis eodem numero & iisdem verbis cum Dionysio canones illos transtulit in suam, licèt in canonibus Græcis versionem antiquam sequatur: quæ cùm istis canoni-

bus apostolicis careret, necessariò ex Dionysii versione & collectione petendi fuerunt. Rationem facti sui hanc proponit Isidorus : *Denique propter eorum auctoritatem ceteris Conciliis præposuimus canones qui dicuntur Apostolorum, licèt à quibusdam apocryphi dicantur : quoniam plures eos recipiunt, & sancti patres eorum sententias synodali auctoritate roboraverunt, & inter canonicas posuerunt constitutiones.* Quòd synodalem patrum auctoritatem laudat, de synodo Trullensi intelligendum est ; cujus decreto canones apostolici numero LXXXIV. recepti sunt in oriente. Priores autem quinquaginta, qui soli erant in occidente noti, nullum robur obtinuerunt, saltem in Galliis & Hispaniis, usque ad tempora Caroli Magni ; quando Dionysiana collectio, monente Hadriano Papa, vigere incepit in his regionibus.

IV. Tertium discrimen versatur in canonibus Sardicensis Concilii, qui loco quinto positi sunt in hac collectione post Nicænos, Ancyranos, Neocæsarienses, & Gangrenses, & Antiochenos atque Laodicenses ordine antecedunt. Ancyrana, Neocæsarienses, & Gangrensis synodi vetustiores sunt Nicæna synodo ; sed istius reverentia factum est ut in capite collocetur. His quatuor succedit Sardi-

censis anno CCCXLVII. quæ licèt posterior Antiochena, (quæ coacta fuit anno CCCXLI.) illi tamen in hac serie prælata est ob dignitatem. Dionysius verò collectionis Græcæ interpretationem aggressus, in qua Sardicenses canones non habentur, eis post universos canones orientalium Conciliorum, licèt tempore posteriorum, locum in sua collectione dedit.

V. Memoriæ lectoris occurret quod superiùs adnotavimus de Leone primo, qui canones Sardicenses sub nomine Nicænorum orientalibus objiciebat. Ex quo sequi videtur ut aut de bona fide periclitetur ille, cùm ex hac collectione, quam ejus auctoritati tribuimus, illi constaret liquidò alios esse Sardicenses canones, quinto loco positos, à Nicænis, qui frontem codicis occupabant; vel dicendum erit hanc collectionem posteriorem esse Leonis temporibus.

VI. Sed ex temporum discrimine pendet hujus difficultatis explicatio. Ante Concilium Chalcedonense data est epistola Leonis ad Pulcheriam anno CCCCXLIX. ubi Nicænos canones cum Sardicensibus permisset, adeo ut querelæ literis illis comprehensæ, de fide violata, Flaviano oppresso, & restituto Eutychete, Mar-

cianum auctore Leone ad convocandum Chalcedonense Concilium adegerint. Post illud verò Concilium (quod habitum est anno CCCCLI.) & ex ejus præscripto aggredienda fuit nova collectio, in quam canones orientalium synodorum impingerentur. Tunc discutienda fuit ratio temporum, & suis quique Conciliis canones vindicandi. Quod egregiè factum est in hac collectione; in qua Sardicenses à Nicænis secreti sunt, & suis locis positi.

VII. Vnde quoque illud addiscimus, eos graviter falli qui Sardicenses canones universo orbi Christiano, etiam ipsi Romanæ Ecclesiæ, vel ignotos vel apocryphos fuisse docent usque ad tempora Dionysii Exigui, qui eos è tenebris in lucem primus protulerit. Etenim ista collectione, quæ antiquior est Dionysiana, in canonum auctoritatem recepti sunt per universas Ecclesias. Planè illorum usus receptus erat Damasi Papæ temporibus; ut patet ex synodo Romana & edicto Gratiani à Sirmondo publicatis, ubi causæ Episcoporum datis à Romano Pontifice judicibus definiendæ constituuntur.

VIII. In Galliis invaluerant, licèt tacito nomine, ante Leonis tempora; cùm ex ejus epistola ad Episcopos pro-

vinciæ Viennenſis conſtet Gallicanorum Epiſcoporum judicia per varias appellationes & relationes à Romanis Pontificibus retractata fuiſſe. quod initium aut robur habuit à Concilio Sardicenſi. Idem juris obtinuit in Hiſpaniis ; ut patet ex epiſtola ejuſdem Leonis ad Turibium Aſturicenſem, qua ſynodum à quatuor provinciis Hiſpaniarum adversùs redivivam hæreſim Priſcillianiſtarum habendam indicit, nempe à Tarraconenſibus, Carthaginenſibus, Luſitanis, & Gallæcis ; adjecto quòd ſi quid obſtiterit quò minùs poſſit celebrari generale Concilium, Gallæciæ ſaltem in unum conveniant ſacerdotes : *Quibus congregatis*, inquit, *fratres noſtri Idacius & Ceponius imminebunt, conjuncta cum eis inſtantia tua, quatenus de provinciali conventu remedium tantis vulneribus afferatur.* Indictio ſynodi & delegatio Idacii & Ceponii Epiſcoporum ut ſynodo imminent, canonum Sardicenſium auctoritate fulta eſt.

IX. Idem Pontifex per Mauritaniam Sardicenſium canonum vigorem pleniſſimè exercuit, non ſolùm relationes ſynodi recipiendo, & reſponſis ſuis de relatis negotiis decernendo, quod jus eſt antiquius ipſa ſynodo Sardicenſi, ſed cognitione de cauſa Lupicini Epiſcopi ſuſcepta, qui ad

eum provocaverat ; quam definiendam ſynodo provinciali Mauritaniæ reliquit, eamque habendam indicit juxta ordinem præſcriptum in Sardicenſi ſynodo. Vnde quoque deſumptum eſt quod adjungit, contra eccleſiaſticam diſciplinam ſuperordinatum fuiſſe Epiſcopum Lupicino, pendente appellatione ad Romanam ſedem.

X. Sed quid hæremus in temporibus Leonis ? Ipſa Zoſimi, Bonifacii, & Cæleſtini tantò vetuſtior diſputatio cum Africanis Epiſcopis pro recipiendis appellationibus Epiſcoporum, prolatis quoque ipſis verbis canonum Sardicenſium, nonne apertè docent eorum apud Romanos auctoritatem ; imò verò & apud Africanos, qui tandem provocantibus conſenſerunt ; id unum deprecantes, ne faciliùs admitterentur, & cauſæ in provinciis judicarentur ; ut patet ex epiſtola ad Cæleſtinum.

Ceterùm poſtquàm collectio iſta in lucem emerſit auctoritate Leonis publicata, Africana Eccleſia illius uſum admiſit, & canonum Sardicenſium ut executionem, ſic etiam & nomen : quamquam ignoti non eſſent olim in Africa canones Sardicenſes, quorum unum Gratus Epiſcopus Carthaginenſis laudavit in Concilio ſuo Carthaginenſi.

XI. Collectionis ab Africanis usurpatæ breviarium sive compendium per varios titulos digestum composuit Ferrandus Diaconus Ecclesiæ Carthaginensis ; & post illum breviationem alteram canonum Ecclesiæ Africanæ concinnavit Cresconius.

XII. Duæ illæ collectiones in eo differunt quòd posterior usa est collectione Dionysiana , laudatis tum Apostolorum tum Africanis canonibus juxta seriem numerorum qui extant apud Dionysium. Sed Ferrandus, Dionysio vetustior, antiquam collectionem secutus est, quæ canonibus apostolicis carebat, quos auctor ille nunquam laudat ; licèt Ancyranos, Neocæsarienses, Gangrenses, Antiochenos, & Laodicenos titulis suis distinctos adhibeat ; omissis quoque canonibus Constantinopolitanis. Quæ omnia collectioni nostræ congruunt, & manifestè probant illam à Romanis in Africam transmissam fuisse : cui Africani suos canones, alio longè ordine quàm habeantur in Dionysiana collectione, suis usibus profuturos adjunxerunt.

XIII. Porrò in breviario Ferrandi canones Sardicenses, illique præcipuè qui de provocationibus Episcoporum ad Romanam sedem decernunt, disertè laudan-

tur; quos ille non potuit unà cum canonibus orientalibus publicare aliunde depromptos quàm ex collectione recepta, cujus ipse compendium exhibet; quæ prorsùs eadem est cum hac nostra.

Ex ista quoque vetere collectione Theodoretus Episcopus Cyri hausit canones Sardicenses, quos laudat numero XXI. in compendio canonum per quinquaginta titulos digestorum. Quæ collectio Theodoreti exstat MS. in bibliotheca Regis Christianissimi: de qua diximus in capite III. §. VIII. libri III. de concordia sacerdotii & imperii.

XIV. Quartum discrimen est, illudque maximi momenti, quòd Dionysii codex tres canones synodi Constantinopolitanæ secundæ ex codice Græco transcriptos exhibet; in quibus Thracicæ, Ponticæ, & Asianæ diœceseon privilegia sic confirmantur ut primatus tribuatur Ecclesiæ Constantinopolitanæ, fiatque secunda post Romanam, ea ratione adjecta, quoniam Constantinopolis est nova Roma. Sed canones isti in hac vetere collectione penitùs desiderantur. Ex quo solo capite illius veritatem colligere & genuinam Romanæ Ecclesiæ collectionem hanc esse demonstrare licet.

XV. Quippe nota est vehemens illa

dimicatio quæ in Concilio Chalcedonensi inter Aëtium Archidiaconum Ecclesiæ Constantinopolitanæ & Legatos Romanos exarsit ob canonem XXVIII. quo præter Metropolitarum ordinationes in tribus illis diœcesibus ascriptas sedi Constantinopolitanæ, exæquata erant privilegia utriusque sedis, etiam in rebus ecclesiasticis, eò quòd nova Roma senatu & imperio, æquè ac senior Roma, potiretur, hoc solo excepto quòd Ecclesia Constantinopolitana secunda esset post Romanam. Legatis illa se absentibus clanculum gesta & per vim ab Episcopis extorta conclamantibus, magistratus Principis interlocuti sunt, ut quibus se canonibus tueretur Aëtius, proferret in medium: qui synodicum synodi Constantinopolitanæ exhibuit, & ex eo relegi fecit tres canones qui extant apud Dionysium, omissis aliis quos ultima collectio Græcorum continet.

XVI. Legati, post prolatum canonem sextum Nicænum, cùm judicum cognitorum sententia irritam vidissent intercessionem suam, se ad sedem apostolicam omnia relaturos contestati sunt. Leo totius rei certior factus, Anatolii Patriarchæ superbos conatus seria oratione compressit, & inter cetera asseruit canones il-

los Constantinopolitanos nunquam ad decessores suos relatos fuisse aut ab iis probatos. Aiebat quidem Eusebius Episcopus Dorylæi, in actione ultima Concilii Chalcedonensis, canonem istum Constantinopolitanum Leoni gratum fuisse. *Hanc regulam*, scilicet synodi Constantinopolitanæ, *sanctissimo Papæ in urbe Roma ego relegi*, inquit, *præsentibus clericis Constantinopolitanis*, *eamque suscepit*. Sed insinuatio ista privata, quando agebatur de causa Flaviani Constantinopolitani per summum scelus à Dioscoro Alexandrino damnati, ut faciebat ad augendam hominis audaciam, qui dignioris Ecclesiæ Episcopum oppresserat, quæ dignitas canone Constantinopolitano probabatur, sic obtinere non poterat ut canon ille publica auctoritate Romanæ Ecclesiæ receptus dici posset.

XVII. Successit tandem collectio Dionysii, quæ occidenti canones illos tres Constantinopolitanos à corpore Græcorum desumptos publicavit, Id tamen non fuit impedimento quin Gregorius Magnus Ioannis Patriarchæ Constantinopolitani temeritatem comprimens, professus sit canones synodi Constantinopolitanæ, quibus ille nitebatur, nunquam ab Ecclesia Romana receptos. Quod

ſanctus ille vir aſſerere potuit & debuit, quoniam collectio illa vetus, quæ publici juris facta fuerat, canones illos ut repudiatos & ab apoſtolica ſede rejectos non continebat. Alioqui ſi ſola Dionyſii collectione, quæ tunc manibus omnium terebatur, uſa fuiſſet Eccleſia Romana, retorqueri potuiſſet in Gregorium tres illos canones, ut pote non expunctos, juris publici factos. Quam exceptionem elidere poterat prolatis contrariis inſtrumentis vetuſtioribus, nempe collectione iſthac à Leone approbata, quæ illis omnino caret.

XVIII. Quod attinet ad canones Concilii Chalcedonenſis; utraque collectio, tum vetus, tum Dionyſiana, ſolos viginti ſeptem continet, omiſſo XXVIII. qui ob Leonis reprobationem nunquam in canonum cenſum adſcriptus eſt; neque etiam apud orientales, ut patet ex Dionyſio, qui collectionem illorum in Latinam linguam vertit. Vnde Theodoretus in ſua ſynagoge & Theodorus lector viginti ſeptem numero canones Chalcedonenſes concludunt. Synodus deinde habita in Trullo vigeſimum octavum in auctoritatem recepit; cùm antea ejus mente & ſententia tantùm Conſtantinopolitani uterentur, fulti poteſtate Imperatoris, ut

adnotavit Liberatus in breviario, & nos uberiùs diximus libro III. de concordia ſacerdotii & imperii cap. III. §. V.

XIX. In neutra verò collectionum, Epheſini Concilii fit mentio : quoniam cùm nullos ad diſciplinam pertinentes canones ediderit, ſed tantùm fidem rectam adſtruerit adversùs inſaniam Neſtorii, non erat cur anathemata contra hæreſim ejuſque fautores corpori canonum adjicerentur.

CAPVT IV.

De Canonibus Africanis.

I. IN canonibus Africanis enumerandis immenſum eſt diſcrimen. Collectio vetus eos canones exhibet quos Eccleſia Romana recepit, eadem ſerie & ordine quo ſunt in Conciliis Africanis editi ; omiſſis canonibus ceteris, quibus edendis defuit auctoritas Eccleſiæ Romanæ.

II. Quod ut liquidiùs intelligatur, ſciendum eſt præſente Fauſtino Legato Romanæ ſedis habitam fuiſſe ſynodum univerſalem totius Africæ, quæ ſexta dicitur, ſub Aurelio Carthaginis Epiſcopo : in qua relecti ſunt canones illi omnes qui

diverſis in Conciliis editi fuerant tempore Aurelii, & nova definitione, conſentiente Fauſtino, approbati ſunt. Horum Conciliorum geſta & canones Fauſtinus Romam cùm retuliſſet, apoſtolicæ ſedis conſenſu adeo probata ſunt ut partem deinde fecerint collectionis noſtræ veteris, quæ incipit à tertio Carthaginenſi Concilio, & cetera ex ordine complectitur quæ habita ſunt ſub Aurelio uſque ad ſeptimum Carthaginenſe, & præterea Milevitanum ſub Aurelio.

III. Primum Carthaginenſe Concilium ſub Grato, & ſecundum ſub Genetlio, licèt canones aliquot conſtituerint, non deſcribuntur in hac collectione: quæ propria Romanæ Eccleſiæ cùm eſſet, nefas erat ut aliis iſta legibus uteretur quàm iis de quibus ad eam relatio facta fuerat, aut quas præſentia Legatorum ſuorum probando, ſuas fecerat. Concilia ſub Grato & Genetlio, quemadmodum & Telenſe, Septimunicenſe, & Macrianenſe, quorum meminit Ferrandus in breviario, Eccleſiæ Africanæ ordinandæ deſtinata erant, ejuſque erant decreta ſpecialia. Sed Concilia habita ſub Aurelio, ad Romana ſcrinia delata primùm, publicæ legis vim tandem obtinuerunt in occidente univerſo in conſequentiam hujus collectionis.

nis. In ea canones ſingulorum Conciliorum deſcribuntur, & ſpecialiter canones Concilii Carthaginenſis quarti, quibus forma celebrandarum ordinationum in ſingulis gradibus præſcribitur. quæ ſingulare eſt antiquitatis ſacræ & veteris eccleſiaſticæ diſciplinæ venerandum monumentum; cui auctoritas & robur generalis legis ab hac collectione cùm ſit impenſum, vel eo nomine nobis cara eſſe debet. Proferimus ſæpe in controverſis fidei capitibus, præcipuè cùm de ſacramento ordinis agitur, canones ex iſto Carthaginenſi Concilio quarto petitos: quos ſectarii elevare ſolent eo nomine quòd rejecti videantur ab Eccleſia Romana, quoniam abſunt à collectione Dionyſii. Imò verò quidam malè ſani non ſolùm dubios canones illos, ſed etiam falſos, & ab otioſis hominibus conſarcinatos jactant, ejuſdemque eſſe farinæ cum ſubditiis epiſtolis quibus Iſidorus Mercator collectionem ſuam infericit. quorum injuſtas querelas hac veteris collectionis exceptione repellimus.

IV. Dionyſius quidem alium ordinem ſecutus eſt in deſcribendis canonibus Africanis ab eo qui jam receptus erat. Etenim præmiſſo univerſali totius Africæ Concilio, quod habitum fuit ſub Aure-

lio, & positis XXXIII. canonibus in eo editis, statim subjungit collectionem à se confectam canonum in variis Conciliis Africanis editorum: in qua selectis iis qui ad disciplinam ecclesiasticam pertinebant, ceteros omisit. Præterea cùm canones aliqui in superiore Concilio editi poliantur aut explicentur in sequenti, Dionysius, ut compendium laboris legenti faceret, unica editione contentus fuit; & ipse alicubi verba quædam ex prioribus addit aut demit.

V. Dubitandum enim non puto quin collectio illa Africana auctorem habeat Dionysium; quippe quæ ante illius ætatem incognita esset etiam ipsis Africanis, ne dicam Latinis ceteris. Etenim Ferrandus Diaconus, Dionysio vetustior, Carthaginensia sub Grato & sub Genetlio, universale primum, secundum, tertium, & quartum laudat, quoniam nondum erat in compendium redacta canonum Africanorum rhapsodia. Sanè post publicatum Dionysii codicem Cresconius Africanus ordinem & seriem canonum, prout exstant apud Dionysium, secutus est. Diffitendum tamen non est quin plurimùm Dionysio debeat Ecclesia ob collectionem illam Africanam. Etenim vetus collectio ut plurimùm omissis Con-

ciliorum geſtis, à canonibus auſpicatur. Præterea conventus illos omittit in quibus de variis Africanarum provinciarum negotiis diſceptatum eſt: quorum tamen Dionyſius brevem ſummam, aliquando verba ipſa repræſentat.

VI. Eccleſia Africana canonibus Nicænis, quos ſolos noverat, ſuas deinde regulas adjunxit in Conciliis Africanis decretas, quibus negotia eccleſiaſtica componerentur. Nomina Conciliis indita à civitatibus ubi cogebantur; à Carthagine ut plurimùm, quoniam frequentiùs illò conveniebant Epiſcopi, tamquam ad caput & metropolim Africanarum provinciarum. quod ceteras civitates, iſtius dignitati ferè invidas, urebat. Vnde & propter faciliorem cauſarum communium ordinationem expreſſus ille canon Hipponenſis, quo Concilium univerſale totius Africæ nunc in hac, poſtea verò in illa provincia cogendum eſſe definitur. Quare Concilium Hipponenſe & Milevitanum inter plenaria recenſentur; præter Macrianenſe, Septimunicenſe, Tuſduritanum, Thenitanum, laudata unà cum aliis à Ferrando Diacono; quorum canones in auctoritatem recepti erant pro regimine univerſæ Eccleſiæ Africanæ.

VII. Sanè plurimos conventus Car-

thagine habitos constat ob negotia emergentia, seu adversùs paganos & Donatistas, quorum causa legatio ad comitatum Principis vel etiam ad sedem apostolicam suscipienda erat, seu ob Episcoporum inter se controversias & inferioris gradus clericorum judicio canonico finiendas. In singulis illis Conciliis non sunt editi canones, sed in quibusdam. Quæ observatio ut certa, ita ad discussionem eorum quæ sequuntur valde conducibilis.

VIII. Quæ disceptatio ut ordine procedat, brevem summam proponemus Conciliorum à catholicis Carthagine habitorum. Donatistarum enim conventicula hac nos in parte non tangunt. Deinde quæ canones Concilia ediderint, à reliquis secernemus. Vnde patebit ratio quam vetus collectio secuta est in Conciliis Carthaginensibus ex ordine digerendis.

Cypr. in epist. ad Quirinum. August. lib. 4 de baptis. c. 5.

Vetustissima synodus Carthaginensis est illa quam habuit Agrippinus ejus urbis Episcopus, de baptismo hæreticorum, anno CCXVII. cujus meminere Cyprianus & Augustinus.

Temporibus Cypriani, in Labesitana colonia, Privatus hæreticus, nonaginta Episcoporum sententia condemnatus, fa-

cit ut Labesitanum Concilium hic adscribamus, ex Cypriano in epistola ad Cornelium, anno CCXLII.

Sed facultate conveniendi data, frequentes Carthagine & alibi, sed illic præcipuè, habuit synodos Cyprianus, ut docet in suis epistolis. quas synodos hic tantùm indicamus.

I. De pace lapsis pœnitentibus danda anno CCLIV. *Cyprianus lib. 4. epist. 21.*

II. Ob quæstionem eandem, in causa Felicissimi & Novatiani, anno CCLV. Extat apud Cyprianum epistola synodica ad Cornelium Papam.

III. De baptizandis infantibus ante octavum diem anno CCLVII. *Epistola synodica ad Fidum, apud Cyprianum.*

IV. De admittendis ad pœnitentiam libellaticis anno CCLVIII. *Cyprianus lib. 1. epist. 4.*

V. VI. VII. De baptismo hæreticorum non admittendo, Concilium primum, & secundum; dein tertium universale ex provincia Africa, Numidia, & Mauritania anno CCLVIII. cujus acta habentur apud Cyprianum & Augustinum.

Post tempora Cypriani, primum quod deprehenditur Concilium Carthaginense est illud quod Gratus Episcopus, è Con-

norii IV. & Eutychiani, v. Kal. Maias, anno CCCXCIX.

Carthaginense, post consulatum Flavii Stiliconis, XVI. Kalend. Iulias, anno CCCCI. ubi novem capitula definita sunt.

Carthaginense, Vincentio & Flavito Coss. Idibus Septembris, anno CCCCI. cum viginti capitulis.

Milevitanum I. Arcadio & Honorio V. Coss. VI. Kal. Septembr. anno CCCCII. cum quinque capitulis.

Carthaginense, Theodosio Augusto & Rumorido Coss. VIII. Kal. Septembris, anno CCCCIII. cum octo capitulis.

Carthaginense, Honorio Augusto VI. Cos. VI. Kalend. Iulias, anno CCCCIV.

Carthaginense, Stilicone II. & Anthemio Coss. X. Kal. Septembr. anno CCCCV.

Carthaginense, Honorio VII. & Theodosio III. Coss. Idibus Iunii anno CCCCVII. cum sedecim capitulis.

Carthaginense, Basso & Philippo Coss. XVI. Kalend. Iulias.

Carthaginense, iisdem Consulibus, III. Idus Octobris.

Carthaginense, Honorio VIII. & Theodosio III. Coss. XVII. Kal. Iulii, anno CCCCIX.

Carthaginense, post consulatum Honorii VIII. & Theodosii III. XVIII.

Kalendas Iulias anno cccccx.

Carthaginenſe, Honorio XII. & Theodoſio VIII. Coſſ. Kal. Maii, anno cccc-xviii. ubi conſtituti ſunt canones xix.

Carthaginenſe, poſt conſulatum Honorii XII. & Theodoſii VIII. v. Kal. Iunias, anno ccccxix. quod canones xxxiii. conſtituit.

Carthaginenſe, poſt conſulatum Honorii XII. & Theodoſii VIII. III. Kal. Iunias; ubi editi ſunt ſex canones.

Concilia iſthæc & canones ab eis promulgati ſine dubio nos laterent niſi veterum collectorum diligentia factum eſſet ut iis Eccleſia non careret. Duo ſunt qui olim ſtudiosè in eam curam cogendi hos canones in unum corpus incubuerunt. Alter eſt antiquus ille collector, qui ex mandato Leonis priori collectioni operam dedit. Alter verò Dionyſius; qui privato labore, amicorum precibus excitatus, ſuum codicem dedit Africanis canonibus auctum. Vetus ille aliqua in parte eſt accuratior Dionyſio, in aliis verò ab iſto ſuperatur. Etenim antiquus exhibet canones Conciliorum ſub Grato & ſub Genetlio, qui deſunt in collectione Dionyſii. Habet præterea canones omnium Conciliorum quæ coacta ſunt ſub Aurelio; etſi in Conciliis illis abinvicem

ſecernendis non pari induſtria laboraverit ac fecit Dionyſius: quamvis huic quoque ſuæ non deſint hallucinationes. Ex utriuſque auctoris collatione plenam & integram veterum Carthaginenſium Conciliorum cognitionem adipiſcetur lector; quæ ſincera ex omnibus partibus à ſingulis hauriri non poteſt. quod manifeſtiùs patebit ex utriuſque diſcrimine quod ſtatim adnotabimus.

X. Vterque ſanè Africanos canones deprompſit ex actis Concilii Carthaginenſis habiti ſub Aurelio anno CCCCXIX. quod vocant ſextum, ubi interfuit legatio Eccleſiæ Romanæ. Fauſtinus quippe Potentinus Epiſcopus in Italia, miſſus in Africam à Zoſimo Papa unà cum Aſello & Philippo Preſbyteris Eccleſiæ Romanæ collegis ſuis, ut componeret controverſiam motam de appellationibus Epiſcoporum ad Romanam ſedem admittendis juxta Nicænos canones, quos proferebat, (Africanis Epiſcopis cauſantibus canones illos dubios eſſe, nec haberi in exemplaribus ejus ſynodi quæ ſecum Cæcilianus Epiſcopus Carthaginenſis detulerat) occaſionem dedit ut in plenaria illa ſynodo canones Nicæni juxta fidem exemplaris illius recitarentur, & canones omnes poſtillà in Africanis Conciliis editi.

quæ omnia geſtis illius Concilii inſerta ſunt. Vbi obſervandum eſt, non ſolos canones editos in Conciliis habitis ſub Aurelio tunc recitatos & relatos in acta, ſed præterea illos omnes qui à deceſſoribus Aurelii promulgati erant. Quod apertiſſimè oſtendunt Aurelii verba in actis illius Concilii: *Nunc patimini exemplaria ſtatutorum Nicæni Concilii, ſed & quæ hic ſalubriter à noſtris deceſſoribus ſecundùm ejuſdem Concilii formam, vel quæ nunc à nobis ordinata ſunt, recitari & geſtis inſeri. Omne Concilium dixit. Exemplaria fidei & ſtatuta Nicænæ ſynodi, quæ ad noſtrum Concilium per beatæ recordationis olim prædeceſſorem tuæ ſanctitatis, qui interfuit, Cæcilianum Epiſcopum adlata ſunt, ſed & quæ patres exemplaria ſequentes hic conſtituerunt, vel nunc communi tractatu ſtatuimus, his geſtis eccleſiaſticis inſerta manebunt.*

XI. Itaque oportuit ex iſta definitione ut ſtatuta præcedentium Conciliorum, non ſolùm quæ ſub Aurelio, ſed etiam quæ ſub deceſſoribus ejus coacta erant, recitata primùm, in hujus acta Concilii deinde referrentur poſt canones Nicænos. Sanè exemplaria Nicæni Concilii à Cæciliano allata, id eſt, fidei profeſſio, & viginti canones ex verſione Teilonis & Thariſti Conſtantinopolitani inſerta

ſunt actis Concilii ſexti ; ut patet ex veteri noſtra collectione. Dionyſius quoque id obſervavit in ſuo codice: *Statuta quoque Nicæni Concilii in* XX. *capitulis ſimiliter recitata ſunt, ſicut in ſuperioribus inveniuntur adſcripta.* Intelligit Dionyſius canones Nicænos locatos in capite ſuæ collectionis : qui tamen aliis verbis ſunt concepti, id eſt, ſuis à Dionyſio novo interprete, non autem Teilonis & Thariſti verbis expreſſi ; qua interpretatione careremus niſi conſervata fuiſſet in veteri collectione ; quæ aliam quoque præ ſe fert in capite collectionis, nempe antiquam quæ in uſu erat in Eccleſia Romana.

XII. Poſt Nicænos canones actis inſerta ſunt quæ ab Aurelii deceſſoribus ſtatuta fuerant, id eſt, à Grato & à Genetlio Carthaginenſibus Epiſcopis, dejnde quæ Aurelius in variis Conciliis Africanis definierat, & in illo ultimo quod tunc gerebatur.

XIII. Quare Dionyſii adnotatio quæ inſerta eſt poſt XXXIII. canonem Concilii Carthaginenſis ante ceteros Africanos, cautè accipienda eſt. *Recitata ſunt*, inquit, *etiam in iſta ſynodo diverſa Concilia univerſæ provinciæ Africæ tranſactis temporibus Aurelii Carthaginenſis Epiſcopi celebrata.* Sunt illa quidem recitata ; ſed præterea

relecta sunt & gestis inserta quæ celebrata sunt sub decessoribus Aurelii, ut superiùs ostendimus.

XIV. Is autem ordo servatus est ut statim post recitata capitula synodi Nicænæ, sextum Concilium Carthaginense suos canones ediderit, quos Dionysius exhibet numero XXXIII. quorum primus quod asserimus ostendit manifestè. *Aurelius Episcopus dixit. Hæc ita apud nos habentur exemplaria statutorum quæ tunc patres nostri de Concilio Nicæno secum detulerunt; cujus formam servantes, hæc quæ sequuntur constituta, firmata à nobis custodientur.* Canones isti Concilii sexti Carthaginensis absunt à veteri collectione; quoniam ex Conciliis sub Grato, sub Genetlio, & ex Hipponensi, quibusdam aliquando recisis & mutatis, conflati sunt. Eos autem debemus diligentiæ Dionysii.

XV. Enimverò cùm Africanorum canonum corpus gestis Carthaginensis sexti insertum esset, & gesta illa integra à Legatis Romam delata fuissent ad Bonifacium Papam, ut docet disertè epistola Concilii ad illum data, hinc factum ut quo tempore receptæ & publicatæ sunt auctoritate apostolica synodi diœceseon orientalium, eadem auctoritate adjuncti illis fuerint canones Conciliorum Afri-

cæ, quæ una erat ex diœceſibus occidentis. Quæ quidem Concilia ad Romanum Pontificem tranſmiſſa, poſt cauſæ cognitionem, retenta ſedis dignitate, firmari poterant; omiſſis & mutatis quibuſdam, quæ collector ex auctoritate ſibi delegata Eccleſiæ univerſæ commoda judicavit, ut ſtatim patebit.

XVI. Ceterùm cùm ſint Concilia duodecim, in quibus conſtituta ſunt capitula, ſive canones, eorum numerum ad octo Concilia redegit collector vetus; cujus inſtituti ratio reddetur inter recenſendum Concilia illa ex quibus canones ſuos hauſit.

XVII. Aliam rationem ſecutus eſt Dionyſius; quippe qui ſola ſub Aurelio habita Concilia in collectione ſua retinuerit, commemoratis illis quoque Conciliis ubi canones editi non fuerant; adſcriptis canonibus ſuæ quibuſque ſynodo ut plurimùm. Aliquando enim ab eo peccatum hac in parte docebimus, tum etiam in eo quòd ſynodi quartæ canones integros omiſerit, quemadmodum etiam Concilia ſub Grato & ſub Genetlio, eorumque canones.

XVIII. Vnde patet graviter falli virum eruditum Chriſtophorum Iuſtellum; qui in præfatione ſua ad codicem cano-

ſua interpretatione ſignificat.

XX. Quò etiam alludit hæc ejuſdem collectoris adnotatio, poſt relatas Cyrilli Alexandrini & Attici Conſtantinopolitani ad Africanos epiſtolas, unà cum exemplaribus Concilii Nicæni è Græco verſis per Innocentium Preſbyterum & ad Bonifacium Papam miſſis à Carthaginenſi ſynodo: *Huic ſymbolo fidei etiam exemplaria ſtatutorum ejuſdem Concilii Nicæni à memoratis Pontificibus annexa ſunt, ſicut ſuperiùs per omnia continentur; quæ nos hic iterum conſcribi neceſſarium non eſſe credidimus.* Ex quo etiam patet hunc ſcriptorem hominem eſſe privatum, qui geſta à Pontificibus refert. Sanè privatum eſſe & nulla publica auctoritate fultum qui hoc compendium digeſſit in ordinem ex eo etiam patet quòd de ſe veluti ſtudioſorum anteceſſore loquatur in Concilio habito anno CCCCV. Stilicone II. & Anthemio Coſſ. *Hujus concilii geſta ideo non ex integro deſcripſi quoniam magis ea quæ in tempore neceſſaria fuerunt quàm aliqua generalia conſtituta ſunt, ſed ad inſtructionem ſtudioſorum, ejuſdem Concilii brevem digeſſi.*

XXI. Fulgentius Ferrandus Diaconus Eccleſiæ Carthaginenſis, qui vixit Iuſtino imperante, breviationem canonum inſtituit ante Dionyſium, ubi ſyno-

dos orientales auctoritate Leonis Papæ jam in occidente receptas, Nicænam, Ancyritanam, Novocæsarienſem, Gangrenſem, Antiochenam, & Laodicenam laudat, & Sardicenſem, dein Carthaginenſes ſub Grato & ſub Genetlio, ceteras quoque ſuis titulis diſtinctas; quæ ſine dubio charactere quodam temporis apud eum auctorem abinvicem erant diſcretæ; ſed incuria librariorum, Conſulum notæ perierunt. Attamen expenſis cum cura quos citat titulis Conciliorum, cognitionem adepti ſumus eorum ad quæ ſinguli pertinent: quamvis in quibuſdam numerorum fides vacillet, ut mox oſtendemus. Præter eas verò ſynodos Carthaginenſes quas exhibent quoque vetus collectio & Dionyſiana, alias profert quarum auctoritas recepta erat in Africa, ut Zellenſem ſive Teleptenſem, Septimunicenſem, Macrianenſem, Mazarenſem, Iuncenſem, Tuſduritanam, Thenitanam, & Hipponenſem ſecundam, imò verò & Carthaginenſem quandam aliis collectoribus incognitam. Quòd autem Concilii Carthaginenſis quarti canones nullos producat, non debet cuiquam mirum videri: quoniam de diſciplina tantùm exteriori in ſuo canonum breviario tractat, omiſſis iis quæ fidem & dogmata ſpectant; ut factum ab illo

illo est in capitulis novem quæ de gratia Dei definita sunt in Concilio Carthaginensi anno CCCCXVIII. quamvis ejusdem Concilii canones de disciplina editos citet. Statuta itaque Concilii quarti, quæ ordinationum mysteria & formulas graduumque atque ordinum varias functiones respiciunt, juxta instituti sui rationem Ferrandus prætermittere debuit. Illud unum me habet anxium, cur in sua breviatione de canonibus Chalcedonensis Concilii tacuerit: qui recepti cùm fuissent ab Ecclesia Romana, valere quoque debebant in Africa, quæ flagrantibus Concilii Chalcedonensis propugnatoribus abundavit, & inter eos præcipuè Facundo Hermianensi Episcopo, cujus extant libri duodecim de tribus capitulis ejus Concilii in controversiam adductis temporibus Iustiniani, quæ tamen auctor ille vehementi oratione tuetur; licèt postea in Quinta synodo damnata fuerint.

CAPVT V.

Ordo Conciliorum Africæ in veteri collectione.

I. NVNC specialiter consideranda sunt ea Concilia ex quibus compacta est vetus collectio. Statim occur-

rit Concilium Carthagine habitum sub Grato illius urbis Episcopo, in quo omnium primò canones constituti sunt. unde dicitur eleganter in collectione illa *Concilium Carthaginense primum.*

II. Secundum ordine est Concilium sub Genetlio: cujus nomen perperam scribitur in editis *Genedius* pro *Genetlio*, ut habet Ferrandus & veteres manuscripti codices. De istius Concilii veritate nullus supereſt dubitandi locus, cùm & in collectione veteri exhibeatur, & ex eo plures canones citet Ferrandus. Iustellus tamen ait falsum & fictum omnino esse. quod probare tentat, quia conveniſſe dicitur in præfatione Valentiniano Augusto IV. & Theodosio Consulibus. Nusquam enim, inquit, Valentinianus cum Theodosio, sed cum Neoterio anno CCCXC. consulatum gessisse reperitur. Quod sanè notum est. Sed id solùm evincit, errorem in nomen Theodosii exscriptorum vitio irrepsisse, legendumque *Neoterium*, ut habeamus par Consulum illius anni.

III. Addit, Alypium Tagastensem Episcopum, qui hac in synodo interloquitur, nonnisi quatuor annis post prædictorum consulatum ordinatum fuisse Episcopum, ut observat Baronius ex Augustino & Hieronymo. quo argumento cùm ipse

quoque Baronius utatur, illud ſtatim diluemus. Sanè Baronius mitiùs agit cum hoc Concilio, quod gradu ſolùm movendum putat, & poſterius eſſe Conciliis omnibus quæ ab Aurelio Carthaginenſi habita ſunt: qui quidem, velut emeritus, ſucceſſorem ſibi deſignarit Genetlium. unde factum ut in actis ejus Concilii Genetlii & Aurelii mentio injiciatur, ac ſi uterque ſynodo præeſſet; ille ut actu Epiſcopus, alter ob dignitatem retentam, cùm tamen certum ſit vice verſa Aurelium ſucceſſiſſe Genetlio. Probat autem ſententiam ſuam ex eo quòd Valentinus Numidiæ Primas huic ſynodo interfuerit, qui fuit Xantippi ſucceſſor. Porrò Xantippus Milevitano Concilio præſens aderat anno CCCCII. ante quod tempus Carthaginenſe tertium quod vocant, quartum, & quintum habita fuerant. Ergo ſecundum dici non poteſt in quo Valentinus Xantippi ſucceſſor interfuit. Huic argumento aliud addit, nempe canone ſecundo hujus Concilii citari canonem XXXVII. collectionis Dionyſianæ, de continentia clericorum, qui petitus eſt ex Concilio habito anno CCCCI. & canone tertio laudari canonem de chriſmate, reconciliatione pœnitentium, & puellarum conſecratione, qui extat in Concilii ſexti canone decimo.

IV. His difficultatibus ut satisfiat, observandum est canones Concilii Carthaginensis sexti petitos esse ex variis Conciliis prioribus, nempe ex Concilio sub Grato canonem quintum, ex Carthaginensi tertio plerosque, & ex synodo sub Genetlio canones II. III. IV. VI. VII. VIII. IX. X. XI. XII. & XIII. iisdem quandoque verbis, aliquando verò paulisper mutatis. Vnde accidit ut interlocutiones Episcoporum, quæ tribuuntur rectè Aurelio, Alypio, Numidio, & aliis in Concilio sexto, in quod canonum sub Genetlio verba transcribuntur, fuerint deinde inter exscribendum, librariorum vitio, retentæ in actis Concilii sub Genetlio sub nominibus eorundem Episcoporum; qui alii erant in vero exemplari illius Concilii sub Genetlio, ut statim patebit.

V. Interim ut tota res sit adhuc apertior, canones editi à Concilio sub Genetlio, quos habet Ferrandus, hic proponendi sunt, & reliqui expendendi: unde constabit vetustas hujus Concilii præ ceteris habitis sub Aurelio; tantum abest ut sit ultimum, quemadmodum sibi persuaserat Baronius. Tum etiam manifestum fiet discrimen istius Concilii à sexto; quod tamen à priore pleraque mutuatum est, ut dixi. Denique quid significetur per *præ-*

teritum Concilium in canone II. & III. ſub Genetlio. Sicque Baronii argumentis reſpondebitur.

VI. Quatuor hujus Concilii canones citat Ferrandus in Breviario, quartum, octavum, nonum, & decimum. Quarti canonis compendium hoc eſt apud illum auctorem numero CXCIV. *Vt qui aliquibus ſceleribus irretitus eſt, vocem accuſandi non habeat. Concilium Carthaginenſe ſub ſancto Genetlio tit.* IV. *Concil. Carthag. tit.* VI. *Hoc & in Concilio Thenitano ſtatutum eſt.* Ex collatione iſtorum canonum patet duo fuiſſe Concilia Carthaginenſia quæ criminoſos ab accuſatione ſummoverunt, alterum ſub Genetlio, idque prius, ut docet ordo ſcripturæ, & alterum Carthaginenſe. quod congruit cum antiqua collectione; ubi res eadem ſancitur in Concilio ſub Genetlio tit. VI. & præterea apud Dionyſium in Carthaginenſi ſub Aurelio, quod vocant ſextum, tit. VIII. Vbi diligenter obſervandum eſt, hunc canonem editum in Concilio ſub Genetlio teſte Ferrando, & in Carthaginenſi ſexto, eodem teſte; in utroque fieri ad ſuggeſtionem Numidii, Aurelio interloquente & Præſidis munus exercente. quod ut conveniat Concilio ſexto, non poteſt convenire Concilio ſub Genetlio. Quare dicendum, canonis verba

deprompta quidem à patribus Concilii sexti ex Concilio sub Genetlio, sed à librariis transcribentibus vices mutatas, & Episcoporum nomina ex Concilio sexto in hoc translata. quod caput probandum sumpseramus. Idem error pervasit canones VII. X. & XI. Concilii sexti, qui respondent canonibus IV. & VIII. Concilii sub Genetlio, ubi fit mentio Alypii & Valentini.

VII. Tituli octavi lemma hoc est num. IV. apud Ferrandum: *Vt Episcopus si causam habuerit, à duodecim Episcopis audiatur. Concilium Carthaginense sub sancto Genetlio tit.* VIII. Et de Presbyteris numero XCVI. apud eundem: *Vt Presbyter qui reatum incurrerit, à sex vel à septem Episcopis audiatur. Concil. Carthagin. sub antistite Genetlio tit.* IX. in collectione veteri can. X. ad suggestionem Felicis Episcopi Selemselitani, quæ repetita sunt iisdem verbis in Carthaginensi sexto sub Aurelio; dempta tamen isthac clausula, quæ est in isto secundo: *Genethius Episcopus dixit: Quid ad hoc dicit sanctitas vestra? Ab universis Episcopis dictum est à nobis veterum statuta debere servari.* Vnde manifestè patet hunc canonem è Concilio sub Genetlio translatum fuisse in Concilium sextum, ut nos toties diximus.

VIII. Ad rem ipsam quod attinet,

numerus duodecim Episcoporum ad judicandum Episcopum constitutus fuerat à Concilio sub Grato can. XI. sex in judicio Presbyteri, trium autem in causa Diaconi. Quare non inutiliter in Concilio sub Genetlio additum est illud constitui *juxta veterum canonum statuta*. Quod iterum confirmatum fuit canone VIII. Concilii Carthaginensis tertii, qui repetitus est in canone XX. Concilii Carthaginensis sexti, explicata phrasi quæ in præcedenti Concilio obscurior videbatur. Dicto enim canone VIII. statuitur quòd si Presbyteri vel Diaconi fuerint accusati, adjuncto sibi ex vicinis locis legitimo numero collegarum, id est, in Presbyteri nomine quinque, in Diaconi duorum, Episcopi ipsorum causas discutiant. Quem loquendi modum retinuit Ferrandus num. LI. *Vt Episcopus accusatos Presbyteros convocatis quinque Episcopis audiat*. Quod ita enuntiatur in dicto canone XX. Concilii Carthaginensis sexti ut sententia prioris canonis explicetur. Ait enim vicinos Episcopos petendos & eligendos ab accusatis, & debere eos esse numero sex, unà cum proprio Episcopo, in Presbyteri nomine, & in Diaconi tres.

IX. In Concilio sub Genetlio constitutum docet Ferrandus numero XXIV.

Vt nullus Episcopus plebem alienam usurpet. Concil. Carthagin. sub sancto Grato tit. IX. *Concilium Carthagin. sub antistite Genetlio tit.* IX. *Concil. Carthagin. tit.* V. Canon iste nonus est undecimus numero in collectione veteri, editus ad suggestionem Victoris Episcopi. In Concilio sexto sub Aurelio canone V. quem laudat Ferrandus, ad relationem Aurelii de avaritiæ variis capitibus cavetur; inter cetera generaliter, *ne quis alienos fines usurpet.* Vnde patet discrimen utriusque Concilii, & prius esse Concilium sub Genetlio quàm Carthaginense sub Aurelio.

X. Eadem differentia & antiquitas magis elucet ex titulo X. quem laudat Ferrandus numero IV. *Vt Episcopus à tribus ordinetur, consentientibus aliis per scripta, cum confirmatione Metropolitani vel Primatis. Concil. Carthag. sub antistite Genetlio tit.* X. *Concil. universale Carthagin. tit.* XLIV. Sanè consensus & præceptum Primatis disertè requiritur & numerus trium sacerdotum in ordinando Episcopo, ex definitione canonis XII. sub Genetlio in editis, qui ad suggestionem Numidii Massulitani constitutus est. Quæ sententia brevioribus verbis, referente Aurelio, expressa est canone XIII. Concilii Carthaginensis sexti, licèt decretum istud & interlocutio diser-

tè tribuatur Genetlio in ſuperiori Concilio. Quo exemplo docemur Aurelii interlocutiones inſertas actis Concilii ſub Genetlio corrigendas eſſe & tribuendas ipſi Genetlio, non autem Aurelio, qui nondum erat Epiſcopus.

XI. Ea omnia docent apertiſſimè diſcrimen Concilii ſub Genetlio à ceteris Africanis & illius vetuſtatem; quamvis canones aliquot ex eo tranſcripti ſint in Concilium Carthaginenſe ſextum ſub Aurelio, iiſdem quandoque verbis; quandoque verò illorum ſententia ſola, ut ſuperiùs dixi & probavi. Quod accidit quoque in ſecundo canone Carthaginenſis ſexti; qui, dempta præfatione quæ eſt in Concilio ſub Genetlio, tranſcriptus eſt è primo capitulo illius Concilii; nempe, ut Trinitas credatur & prædicetur.

XII. Canon tertius & quartus ejuſdem Concilii ſexti, de continentia ſacerdotum, quorum primus Aurelio ſuggerente conſtituitur, & alter Fauſtino quoque interloquente, deſumpti ſunt ex canone ſecundo ſub Genetlio: ubi Aurelius interloquens introducitur, ſed de Fauſtino tacetur; quæque in ſexto Concilio, Fauſtino Legato Romanæ ſedis tribuuntur, in Concilio habito ſub Genetlio univerſis Epiſcopis adſcribuntur. Vnde fit

manifeſtum Concilium ſub Genetlio vetuſtate præcedere aliud, quod ex priore locupletatur. Quod autem conſtituitur de ſacerdotum continentia, juxta *præteriti Concilii* definitionem, ut aiunt, intelligendum eſt de Concilio habito ſub Siricio ſtatim poſt epiſtolam ſynodicam Concilii Romani ad Africanos directam poſt conſulatum Arcadii Auguſti & Bautonis, id eſt, anno CCCLXXXVI. ubi cavetur ſpecialiter de ſacerdotum abſtinentia ab uxoribus; ut docui libro I. de concordia ſacerdotii & imperii cap. VIII. §. IV. Quare fallitur Baronius, qui canone illo ſecundo laudari putat canones Concilii Carthaginenſis ſexti.

XIII. Sextus canon de chriſmate, reconciliatione pœnitentium, & puellarum conſecratione à Preſbyteris non agenda, ad ſuggeſtionem Fortunati, rogante ſententias Aurelio, iiſdem verbis exhibetur in canone tertio Concilii ſub Genetlio. In quo ſine dubio eſt hallucinatio exſcriptoris, qui canonem Concilii ſexti adſcripſit Concilio ſub Genetlio; in quo ea de re nihil ſtatutum fuit, ſed in Carthaginenſi tertio can. XXXI. & XXXVI. quod præteritum Concilium dicitur in canone illo ſexto. Sanè Ferrandus numero XCI. utitur in hac re ſolo teſtimonio Carthagi-

nensis tertii: *Vt Presbyter inconsulto Episcopo virgines non consecret, chrisma verò nunquam conficiat. Concil. Carthagin. tit.* XLI.

XIV. Vetustas quoque Concilii istius sub Genetlio deprehenditur ex canone quinto, ubi ad suggestionem Felicis Selemselitani, interloquente Genetlio, definitum est ut diœceses quæ nunquam Episcopos habuerunt, non habeant, nisi ex consensu proprii Episcopi. Quæ definitio deinde confirmata est in canone XLII. Concilii tertii, ubi habetur illud in multis Conciliis jam fuisse constitutum. quibus verbis Concilium sub Genetlio, inter cetera, indicatur. Hæc sententia dein aucta est, requisito tamen consensu Primatis & Concilii plenarii auctoritate in canone quarto Concilii Carthaginensis habiti anno CCCCVII. qui relatus est in collectione Dionysii.

XV. Aliud quoque suggerente eodem Felice, & interloquente Genetlio, constitutum est canone septimo, nempe ut Episcopus ille excommunicetur qui ab alio excommunicatum susceperit. quod in nullo posteriore Concilio insertum est. Et canone nono ad suggestionem Numidii statuitur *ut Presbyter inconsulto Episcopo in quolibet loco agenda non audeat celebrare.* quod extat apud Ferrandum numero XC.

ex Concilio Carthagin. tit. VII. ubi deeſt ſine dubio nota quam addit alibi, nempe ex Concilio ſub Genetlio. Tandem Genetlius Concilium ſuum claudit ſanctione iſta; ut quæ ſtatuta ſunt ab eo glorioſiſſimoc œtu cuſtodiantur, & qui ſubſcriptionem ſuam violaverit, deponatur.

XVI. Poſt ſynodum habitam ſub Genetlio, Concilium univerſale omnium provinciarum Africæ coactum eſt in Hipponenſi civitate ſub Aurelio, Theodoſio Auguſto III. & Abundantio Coſſ. id eſt, anno CCCXCIII. ut adnotavit Dionyſius in collectione. Quadraginta canones & unum conſtituit, qui deinde recenſiti ſunt in Concilio Carthaginenſi tertio. de quo ſtatim.

XVII. Sequitur plenarium Africæ Concilium, quod Cæſario & Attico Coſſ. v. Kalendas Septembris Carthagine habuit Aurelius, id eſt, anno CCCXCVII. Vbi breviarium canonum, quod à Byzacenis Epiſcopis excerptum erat de Hipponenſi Concilio, quodque ad Aurelium tranſmiſerant, recitatum eſt & probatum; ut patet ex interlocutione Epigonii canone primo iſtius Concilii Carthaginenſis apud Dionyſium, qui omiſſus eſt in veteri collectione. Quod breviarium poſtea remiſſum eſt ad univerſas provincias; ut

compendio recenſentes Epiſcopi quæ ſtatuta ſunt, ea faciliùs memoria retinerent, & ſollicitiùs atque diligentiùs obſervarent. Extat epiſtola ſynodica cum abbreviationibus Concilii Hipponenſis in veteri collectione & tomo primo Conciliorum. Sed in eo non ſtetit patrum ſollicitudo. Quippe non contenti brevem canonum Hipponenſium per provincias tranſmiſiſſe, canones ipſos accuratiori examine perpenſos in corpus Carthaginenſium canonum, quos in eo Concilio ſtatuerunt, tranſtulere, additis quibuſdam quæ ad interpretationem vel ad novam definitionem pertinere videbantur. Vnde in Concilii Milevitani præfatione hæc ſunt Aurelii verba, quibus confirmationem illorum capitulorum ab Epiſcopis exigit : *Quæ jamdudum vel in Hipponenſi ſynodo firmata ſunt, vel poſtmodum meliore conſilio apud Carthaginem definita, nunc quoque nobis ex ordine recitentur.*

XVIII. Hinc factum ut numerus canonum hujus Concilii Carthaginenſis in quinquaginta excreverit, comprehenſis in ſumma uno & quadraginta Hipponenſis Concilii. Hoc eſt quod vocatur Carthaginenſe tertium in collectione veteri, quæ quinquaginta canones exhibet, compactos, ut dicebam, ex Hipponenſibus inibi

diligentiùs discussis & ex propriis: quorum magna esse debet auctoritas, cùm fuerint probati à tribus plenariis Conciliis, Hipponensi & Carthaginensi, & demum à Milevitano. Eadem ratione quam vetus collector amplexus est, canones hujus Concilii laudantur à Ferrando Diacono sub nomine Concilii Carthaginensis, etiam illi quorum mentio in breviario Concilii Hipponensis. quod ad fastidium ex collatione variorum canonum probari posset. Sed sufficiet illustre exemplum in canone de scripturis canonicis, quem tribuit Hipponensi Concilio ejus breviarium; Ferrandus verò numero CCXXVIII. tribuit Concilio Carthaginensi tit. XLV. qui est XLVII. in edito Concilio Carthaginensi tertio.

XIX. Laudantur quidem à Ferrando canones Concilii Hipponensis, sed alterius quàm nostri. Etenim canones quos ex eo Concilio per compendium profert, non pertinent ad nostrum Hipponense. Quippe num. XXXIV. Ferrandus notat ista: *Vt Episcopi sive Presbyteri ea quæ sunt in locis ubi ordinantur, ad alia loca non transferant, nisi causas antè reddiderint. Concilium Hipponensium tit.* V. Et num. XXXV. *Vt Episcopi quicquid nomine suo comparaverint, cogantur Ecclesiæ refundere; quicquid autem*

eis donatur, cui voluerint conferant. Concil. Hippon. tit. VIII. Item numero XXXVIII. *Vt Episcopus matricis non usurpet quicquid fuerit donatum Ecclesiis quæ in diœcesi constitutæ sunt. Concil. Hippon. tit.* IX. Laudatur quoque idem Concilium à Ferrando numero LIV. & num. XCV. Tum numero CXXXVIII. *Vt accusator, si in loco ubi est ille qui accusatur violentiam timuerit, locum sibi proximum eligat.* Quorum omnium est altum silentium in Hipponensi nostro, ut patet ex illius breviario, imò & in Carthaginensibus; præter titulum VIII. qui videtur concidere cum canone XLIX. Concilii tertii, quo Ferrandus utitur: quem maluit ex Hipponensi secundo citare ob rei qua de agebatur continentiam quàm ex Carthaginensi tertio, ubi priùs definitus erat: ut vel hinc pateat post omnia Carthaginensia editum istud Hipponense secundum.

XX. Ceterùm quod attinet ad canones Carthaginenſis tertii; ex eo Ferrandus laudat XLV. & vetus collectio eos omnes ad quinquaginta redigit. Quare castiganda potiùs quàm laudanda est Dionysii nimia diligentia, qui canones Hipponenses à Carthaginensibus distinxit, cùm satius fuisset in unum corpus eos redigere, exemplo tum veteris collectionis, tum

ipsius Ferrandi Diaconi Carthaginensis. Sed toleranda esset hujusmodi ἀκρίβεια, si puros Hipponenses exhibuisset absque mixtura, & Carthaginense ab iis secreviset. In quo dupliciter peccavit. Partem quippe Hipponensium canonum, quos Aurelius selegerat ut ex eorum compage canones Concilii sexti partim conficeret, in sua collectione Dionysius omisit: quoniam in eo Concilio sexto, à quo collectionem orditur, jam erant inserti. Quæ sententia est horum verborum in collectione Dionysii agentis de Concilio Hipponensi: *Gesta hujus Concilii ideo descripta non sunt: quia quæ ibi statuta sunt, in prioribus inserta sunt*, id est, in Concilio sexto, quod ordine antecedit. Atqui debuerat id observasse saltem, quinam canones pertinerent ad Concilium Hipponense, brevi eorum canonum vel eorum numero proposito, ut distingui possent à ceteris Concilii sexti.

XXI. Aliud est hominis erratum, quòd Carthaginensis Concilii sub consulatu Cæsarii & Attici, quod est tertium, canones cùm diserte exhibere sese profiteatur, aliquot tamen permiscet qui sunt meri Hipponenses. Ejus rei periculum faciemus ex breviario Hipponensi; ubi de filiis non facilè emancipandis ab Episcopis

&

& clericis canone XV. agebatur, qui ſecundus eſt Concilii Carthaginenſis apud Dionyſium. Ne in ſacramentis aliud offeratur præter panem & vinum aqua mixtum ſtatuit Hipponenſe Concilium num. XXV. quod Dionyſius adſcribit canoni IV. Carthaginenſis tertii. Vt Epiſcopi & clerici ad virgines & viduas ſoli non accedant cavet Hipponenſe num. XXVI. quod canoni quinto Carthaginenſi tribuit Dionyſius. Idemque erratum admittit in pleriſque aliis canonibus, ut in can. VI. VII. VIII. IX. X. XI. XII. XIII. XIV. XV. qui omnes pertinent ad Hipponenſe Concilium, ut patet ex eorum breviario. Attamen quoniam probati & aucti in Carthaginenſi, rectiùs cum veteri collectione & Ferrando Carthaginenſi tertio omnia adſcribemus; omiſſa mentione Hipponenſis illius Concilii, quod transfuſum eſt in Carthaginenſe & ab eo penitùs abſorbtum.

XXII. Faceſſit tamen negotium in hoc Carthaginenſi tertio adnotatio quæ canoni XLVII. (ubi quænam ſcripturæ ſint canonicæ definitur) adjecta eſt his verbis: *Hoc etiam fratri & conſacerdoti noſtro Bonifacio vel aliis earum partium Epiſcopis pro confirmando iſto canone innoteſcat, quia à patribus iſta accepimus in Eccleſia legenda.*

Bonifacius enim in pontificatum evectus fuit anno quadringentesimo decimo octavo. Quare non potuit ejus mentio fieri in Concilio tertio, quod habitum fuit anno trecentesimo nonagesimo septimo. Vnde sequi videtur confusa & permista omnia à veteri collectore, qui huic Concilio tertio tribuit canonem istum de scripturis, Concilio sexto adscriptum apud Dionysium; ubi adnotatio illa de canone à Bonifacio confirmando inserta est, rectè, juxta rationem temporis. Attamen, ut antea monui, cùm canon iste editus fuerit primùm in Hipponensi Concilio, dein à Carthaginensi tertio firmatus, ipso etiam Ferrando teste, non est quòd lis ulla moveatur adversùs fidem veteris collectoris: qui quidem canones Concilii sexti cùm omitteret, noluit tamen lectorem fraudari eleganti illa & necessaria definitione quæ in eo Concilio sexto adjecta fuerat huic capitulo de scripturis, scilicet ea de re ad summum Pontificem referendum, ut auctoritate sua canonem illum confirmaret. Quæ adnotatio rectè congruit cum eo quod tunc gerebatur quando ipsum Carthaginense tertium actis Concilii sexti unà cum aliis insertum est & ad Bonifacium transmissum.

XXIII. Porrò ex eo canone insignis illa & eximia Romanæ sedis auctoritas demonstratur quam in communibus Ecclesiæ negotiis ordinandis possidebat. Licèt enim canones universos ad Bonifacium synodus Africana transmitteret illius decreto vel silentio firmandos, at in gravi illo negotio de scripturarum canone specialiter ejus auctoritatem imploravit, ut eum confirmet. Quod à Pontifice in synodo Romana fieri debere, ex more in ceteris negotiis minoris etiam momenti jam recepto, noverant Africani. Ideo Bonifacium præ ceteris & nominatim, sed alios quoque *earum partium*, id est, Italiæ sive Romanæ synodi Episcopos, consulendos statuunt. Itaque in veteri codice, apud Binium, hujus adnotationis lemma sic conceptum est: *De confirmando isto canone transmarina Ecclesia consulatur.* Vnde patet Africanos patres latuisse constitutionem Innocentii primi; qui epistola quam dedit ad Exuperium Tolosanum Episcopum Stilicone II. & Anthemio Coss. id est anno CCCCV. easdem esse scripturas canonicas definierat quas complexi sunt Africani isto canone; & deinde, majorum exemplo, Tridentina synodus.

XXIV. Sanè Iudæorum canon an-

guſtior erat quàm fuerit poſtea canon Eccleſiæ catholicæ ; quæ pro canonicis ſcripturis libros aliquot habuit quos Iudæi in ſua notitia non deſcribebant, ut de libris Machabæorum diſertè docuit Auguſtinus. Inter ipſos quoque veteres Eccleſiæ Chriſtianæ magiſtros de quibuſdam libris controverſum fuit, non ſanè an eorum lectio ad pietatem conduceret, ſed an pari auctoritate cum aliis cenſeri deberent. quod tandem his definitionibus Innocentii & Africani Concilii compoſitum eſt. Inde factum ut in collectione Dionyſiii ultimus canon id eſt ſexageſimus Laodicenæ ſynodi deſideretur, in quo, juxta ſententiam orientalium, veteris & novi teſtamenti libri canonici deſcribuntur, quoniam à definitione occidentalis Eccleſiæ diſcrepabat. Quam tamen regulam ſexageſimam vetus collectio non rejecit ; quia in pleriſque illi conveniebat cum Romanæ & occidentalis Eccleſiæ uſu, qui canone Carthaginenſi explicatur.

CAPVT VI.

De ſynodo Africana habita Cæſario & Attico Conſſ.

I. SVPEREST ut diſcutiamus quæ ratio Dionyſium impulerit ut duo

nobis Concilia obtrudat habita Cæsario & Attico Consulibus, alterum nempe sexto Kalendas Iulias, ubi constitutum ait *ut nullus Episcoporum naviget sine formata Primatis*, & addit, *Gesta in authenticis, qui quæret, inveniet*, alterum iisdem Consulibus v. Kalend. Septembris, ex quo plura capitula proponit. Attamen dubium non est quin hæc synodus una sit, quam in duos conventus partitur: quoniam, ut discimus ex Aurelii interlocutione quam habuit v. Kalendas Septembris, Legati ex omnibus provinciis Africæ non advenerant ad diem præstitutam Concilii, quidam verò diem Concilii prævenerant. Cum istis quædam tractavit Aurelius, quæ deinde in plenario Concilio relecta sunt. Vnde factum ut quædam capitula tribuat Dionysius priori conventui, inter quæ illud observat de vetita navigatione absque formata Primatis, reliqua verò secundo. Qui tamen duo conventus in unum Concilium tandem coaluere; adeo ut quæ in primo erant tractata, in secundo sint relecta, & omnium Legatorum auctoritate definita. Quare vetus collector unà cum Ferrando canones horum conventuum rectissimè solo Concilii tertii nomine comprehendit: ubi canone XXVIII. inditis Episcopi prohibentur trans mare pro-

ficiſci inconſulto primæ ſedis Epiſcopo, ut ab eo formatam accipiant. Qui quidem tranſcriptus eſt in Concilium ſextum canone XXIII. paucis verbis tum additis, tum omiſſis. Sed eum Ferrandus citat ex Carthaginenſi tertio, ubi revera eum quoque conſtitutum fatetur Dionyſius. Ait ergo Ferrandus numero XLVI, *Vt Epiſcopi ſine formata Primatis non navigent. Concil. Carthaginenſe tit.* XXXVI. Qui quidem titulus XXXVI. non ſolùm accedit ad XXVIII. prout exſtat in editis Concilii Carthaginenſis tertii; ſed numerum XXIII. Concilii ſexti excedit, ubi hac de re conſtitutum; imò & omnium canonum ejus Concilii numeros ſuperat, qui XXXIII. comprehenſi ſunt.

II. Interim monendus eſt lector, in collectione Græca Conciliorum Africanorum ſeriem ſinceriùs conſervatam quàm in editione Latina Dionyſii Exigui juxta editionem Moguntinam & Pariſienſem. Quippe allocutionem Aurelii habitam in Concilio ſub Cæſario ſtatim ſequuntur canones, quorum primus apud illum auctorem eſt ille de probando breviario Hipponenſi. In editione verò Latina, perverſo ordine, librariorum vitio, allocutionem Aurelii ſequitur Concilium habitum ſub conſulatu Stiliconis,

III. Illud quoque obſervandum eſt, aliquando ſinceriorem eſſe textum in collectione veteri quàm in collectione Dionyſii. quod non eſt animus in quibuſque variis lectionibus perſequi; illuſtriora tantùm diſcrimina adnotabo. In canone XXXIV. Concilii tertii rectè legitur in veteri: *Vt ægrotantes, ſi per ſe reſpondere non poſſunt, cùm voluntatis eorum teſtimonium, hi qui ſui ſunt, periculo proprio dixerint, baptizentur.* Cujus ſententiam ſic Ferrandus rectè expreſſit num. CCII. *Vt ægrotantibus, quando loqui non poſſunt, ſi pro eis teſtimonium alii dixerint, baptiſmus non negetur. Concil. Carthagin. tit.* XLI. Apud Dionyſium, in editione Moguntina, canone XII. Concilii Africani: *Vt ægrotantes, ſi pro ſe reſpondere non poſſunt, cùm voluntatis eorum teſtimonium hi qui ſuis periculo proprio affuere dixerint, baptizentur.* Hæc lectio ſapit gloſſema parum felicis critici, qui *periculo proprio* de periculo ægritudinis contrahendæ explicuit. quod pertinet ad fidem teſtium, qui periculo ſuo teſtantur, reddituri ſcilicet teſtimonii ſui rationem ſevero judici quem nihil latet eorum quæ geruntur. Et ſi enim legibus vetitum ſit ne domeſticorum teſtimonia admittantur, placuit tamen patribus ut ſuo periculo favore ægri reciperentur. Sincerior eſt lectio quam ex ve-

teri codice Nicolai Fabri V. C. expressit in editione canonum Africanorum Christophorus Iustellus : *Vt ægrotantes, si pro se respondere non possunt, cùm voluntatis eorum testimonium sui periculo proprio dixerint, baptizentur.* Perinde est autem respondere *per se*, ut est in veteri, ac *pro se*, ut est apud Dionysium & apud Ferrandum atque Fulgentium. Apertior autem est sententia in veteri, *hi qui sui sunt*, quod sapit glossema, quàm *sui*, ut est in authentico. Quæ lectio, licèt vera, in errorem induxit Græcum hujus collectionis interpretem, qui *suos* non ad domesticos retulit, ut debuerat, sed ad ægros ipsos, nullo sensu : ὥστε τοὺς ἀσθενοῦντας, οἵτινες ὑπὲρ ἑαυτῶν ἀποκρίνεσθαι οὐ δύνανται, τότε βαπτίζεσθαι, ὅτε τὴν αὐτῶν προαιρέσει, ἢ περὶ αὐτῶν μαρτυρίαν κινδύνῳ ἰδίῳ εἴπωσιν. Isto exemplo cautum quoque fuit saluti ejus ægri qui petita pœnitentia morbo oppressus obmutuit, aut in delirium incidit : cui, si testimonium dederint eius postulationis qui eam audierunt, beneficium pœnitentiæ & reconciliationis tribuitur. Concilium Carthaginense IV. can. LXXVI.

IV. Sed non omittenda est elegans disputatio, super hujus canonis sententia, Ferrandi Diaconi & Fulgentii Ruspensis. Ille hunc interrogavit per epistolam an

baptiſmus cujuſdam colore Æthiopis, qui ex ultimis barbaræ provinciæ finibus ſerviturus Carthaginem adductus fuerat, & poſt abſolutam catechumenorum exercitationem profeſſamque publicè fidem in ægritudinem inciderat, amiſſoque ſenſuum uſu, domini ſui ſtudio in ſolenni Paſchæ baptiſmo unà cum aliis tinctus fuerat, an baptiſmus ille, aliis pro eo fidem ſpondentibus, homini adulto, qui originis peccato propria quoque addiderat, ſufficeret ad remiſſionem peccatorum, infantium exemplo, qui ſolius originalis peccati ſunt rei. Tum ſibi hunc canonem Africanum objicit: *Video*, inquit, *in hoc articulo poſſe uſitatam canonum proponi ſententiam, quæ infirmos jubet, ſi pro ſe reſpondere non valeant, ſed eorum voluntati teſtimonium ſui proprio periculo dixerint, baptizari. Sub qua definitione magis arbitror quid Eccleſia facere debeat imperatum quàm quid ille percipiat indicatum; videlicet ut miniſter verbi liber ſit à culpa negligentiæ, non ut ille oſtendatur conſors particepſque juſtitiæ.*

Reſpondet graviter Fulgentius, & longa diſputatione concludit baptiſmi ſalutaris effectu non fraudari hunc baptizatum; moxque addit: *Proinde firmiſſimè tenenda eſt illa canonum ſententia paternorum, quæ infirmos jubet, ſi pro ſe reſpondere non va-*

leant, sed eorum voluntati testimonium sui periculo proprio dixerint, baptizari. Viderunt enim sancti patres ream non esse voluntatem quæ impedita cognoscitur, non mutata, nec debere denegari sacramentum baptismatis ubi firmitas cognoscitur voluntatis. Hoc autem statuentes sancti patres, & quid Ecclesia facere debeat, & quid ille percipiat, indicarunt. Neque enim hoc Ecclesia faceret si ille nullum in hoc facto beneficium percepisset. Mox post pauca : *Quia veraciter columna & firmamentum veritatis ab Apostolo Ecclesia nuncupatur, quicquid secundùm ipsius Ecclesiæ constituta in sanctis mysteriis redemptionis & reconciliationis humanæ intra eam datur & accipitur, firma veritate datur, firma veritate percipitur.* Postea refellit Ferrandi conjecturam : *Dixisti propterea hoc paternis canonibus definitum, ut minister verbi liber sit à culpa negligentiæ. Quomodo autem in hac negligentia culpam minister incurrit, si in diligentia non aliquid proficit.* Mox : *Proinde debet secundùm paternos canones infirmus ille, cujus voluntati non deest attestatio proximorum, sine dubio baptizari, ut & minister verbi liber sit à culpa negligentiæ, & ille fiat consors participsque justitiæ.*

V. Ceterùm dissimulandum non est duriorem esse Fulgentii sententiam in alio capite & alienam à beato Ambrosio ; qui

fuit benignior, & hodiernæ ſcholarum doctrinæ præivit, docens Valentinianum Auguſtum, qui catechumenum in Eccleſia gerebat, oppreſſum ante ſuſceptum baptiſma, non fraudari fidei ſuæ effectu. Vnde profluxit vim baptiſmi voto deſiderati, qui dicitur baptiſmus flaminis, æquare baptiſmum reipſa ſuſceptum. Fulgentius verò iſtum Æthiopem catechumenum, cui nec credulitas defuit nec fidei profeſſio, ideo ſalvum aſſerit quia revera tinctus fuit. *Neque enim ab hac ſententia*, inquit, id eſt, de ſalute Æthiopis, *noſtrum animum revocare debet ulla ſuſpicio, ne quis dicat quòd ille ſalvus eſſet ſi nec ad ipſam tinctionem corporis perveniſſet, cùm utique non dicamus illum ſine baptiſmi ſacramento, ſola confeſſione potuiſſe ſalvari. Qui enim crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit. Illum utique adoleſcentem, quia credidiſſe & confeſſum fuiſſe novimus, ideo per ſacramentum baptiſmatis ſalvum fuiſſe firmamus. Qui ſi non baptizaretur, non ſolùm neſciens, ſed etiam ſciens, nullatenus ſalvaretur. Via enim ſalutis fuit in confeſſione, ſalus in baptiſmate.*

VI. Deinde in eodem Concilio canone XXXV. ſic habet vetus: *Vt ſcenicis atque hiſtrionibus ceteriſque hujuſmodi perſonis, vel apoſtaticis converſis vel reverſis ad Dominum, gratia vel reconciliatio non negetur.* Abſunt à Dio-

nysii collectione Latina hæc verba: *Vel apostaticis conversis vel reversis ad Dominum gratia vel &c.* quæ tamen extant in Græca interpretatione Dionysii. Vt vel hinc pateat librariorum vitio ea jam olim omissa fuisse in Latinis codicibus. Græca sic se habent: ὥστε τοῖς σκηνικοῖς, ἢ μίμοις, ἢ τοῖς λοιποῖς τοιουτοτρόποις προσώποις, ἢ ἀποστάταις, μετανοοῦσι, ἢ ἐπιστρέφουσι πρὸς τὸν θεὸν, χάριν ἢ καταλλαγὴν μὴ ἀρνεῖσθαι. Quæ rectè reddunt lectionem quæ est in veteri; cujus hæc est sententia. Non solùm scenicis & histrionibus & ceteris hujusmodi personis, mimis puta, thymelicis, & universo gregi qui ludit in theatris, & paganam gentilemque vitam agit, si ad Dominum convertantur, hujusmodi gratiam non esse denegandam, baptismi scilicet, sed etiam iisdem, si apostasia & desertione à fide cùm defecerint, revertantur deinde, non esse denegandam reconciliationem. Rectè dicuntur *apostatici* fidei desertores, ut in codice Theodosiano, quos Græcus interpres ἀποστάτας usitato verbo reddidit. De histrioribus qui ad Christianitatis gratiam venire voluerint, ne cogantur ad eadem exercenda, legem petendam statuit canon septimus Concilii Carthaginensis anno quadringentesimo primo, post consulatum Stiliconis.

VII. Canon de legendis passionibus martyrum est XIII. Concilii Africani apud Dionysium, alieno loco positus, cùm sit appendix canonis editi de scripturis divinis; cujus exordium cùm sic conceptum sit, *Item placuit ut præter scripturas canonicas nihil in Ecclesia legatur sub nomine divinarum scripturarum*, post enumeratos legis divinæ libros rectè subjungitur in veteri collectione: *Liceat etiam legi passiones martyrum, cùm anniversarii dies eorum celebrantur.* Quare hunc ordinem secutus Ferrandus, postquam expressit è titulo XLV. Concilii Carthaginensis ut præter scripturas canonicas nihil in Ecclesia legatur, addit ex titulo XLVI. ejusdem Concilii: *Vt non liceat passiones martyrum legere in natalibus eorum.* Sed emendandum est erratum quod in hunc locum irrepsit; delenda negatio; legendumque, *Vt etiam liceat.* facili lapsu in manuscriptis codicibus legendi *non* pro *etiam*, ob literarum breviationem. *Ex editione Petri Pithœi.*

VIII. Non omittenda quoque est illa lectio cannois XLII. qui est vigesimus Concilii Africani apud Dionysium. Agitur de plebibus quæ diœcesi episcopali subjectæ nunquam proprios Episcopos habuerunt: ubi contumacium Presbyterorum factione popularium ani-

mi concitati, proprium Episcopum scissa diœcesi habere postulant, exoso propter superbiam legitimo pastore. quod ne fiat, prohibetur. Sed locus adducendus est ex veteri collectione, ut ibi doceatur esse sinceriorem lectionem quàm quæ habetur apud Dionysium. *At verò*, inquit Epigonius, *quia nonnulli, quodam dominatu adepto, communionem fratrum abhorrent, vel certè cùm elevati fuerint, quasi in quadam arce, tyrannicam sibi dominationem vindicant.* Significat typhum secularem & tumorem quorundam Episcoporum, qui dominatum in clero exercebant, & in cathedram elevati, ac si esset solium quoddam regium & arx velut imperii, tyrannicam sibi dominationem vindicabant. *Elevari* est dictio illius ætatis, quæ provectionem Principum significat sæpe apud Marcellinum & alibi. quò alludit canon iste cùm elevatos Episcopos & velut in arce collocatos proponit. Sanè cathedra episcopalis sublimior erat & velut in fastigio constituta, unde possent Episcopi de superiori loco fideles monere; ut docent, non solùm auctor constitutionum apostolicarum, sed veteres plerique, & ipsum Concilium Carthaginense quartum canone XXXV. Hinc illa Gregorii Nazianzeni in ora-

tione ad synodum Constantinopolitanam: χαῖρέ μοι ὦ καθέδρα, τὸ ἐπίφθονον ὕψος τοῦτο, καὶ ἐπικίνδυνον. *Vale ô cathedra, invidiosum hoc & periculosum fastigium.* Hoc dicendi genus periit apud Dionysium, ubi hæc sunt verba: *Quia nonnulli, quodam dominatu adepto, communionem fratrum abhorrent, vel certè cùm depravati fuerint, quasi in quadam arce tyrannica sibi dominatum vendicant.* Confer hæc verba cum superioribus, & veteris collectionis fidem laudabis.

IX. Attamen vetus collector auctoritate sibi delegata usus, quædam sibi licere putavit quæ non cadunt in exscriptorem merum vel in hominem privatum. quod in reliquis Conciliis ostendemus uberiùs. in hoc unum & alterum observabimus.

Caput istius Concilii de visitandis provinciis, quod est XIX. numero apud Dionysium, omissum est in antiqua collectione: quoniam cùm restrictum sit ad speciale negotium Mauritaniæ visitandæ ab Aurelio, à quo se tunc officio excusavit, nec possit res ipsa trahi ad consequentiam, inutiliter paginas illius collectionis occuparet, quæ ad generalem disciplinæ informationem pertinere debet.

Vice versa canon XLIX. Concilii tertii, quo cavetur ut Episcopi vel clerici

pauperes qui agros vel prædia comparaverint post ordinationem, Ecclesiæ illa conferant, omissus est à Dionysio in recensendis canonibus Concilii hujus sub Cæsario & Attico Coss. quia confirmatus cùm fuisset à Concilio sexto, eum eo loco retulit, nempe canone XXXII. & abstinuit ab eo repetendo in actis Concilii tertii.

CAPVT VII.

De Concilio Carthaginensi quarto.

I. SEQUITUR in veteri collectione Concilium Carthaginense quartum, habitum Honorio Augusto IV. & Eutychiano Coss. sexto Idus Novembris, anno scilicet trecentesimo nonagesimo octavo, quod repudiandum esse Iustellus edicit, & plerique cum ipso sectarii, nec ullam fidem adhibendam canonibus centum & quatuor qui huic Concilio adscribuntur. Quam fiduciam ex eo desumunt quòd nec Dionysius nec Ferrandus hujus Concilii meminere, ejusque prima mentio apud Isidorum Mercatorem habeatur, qui mercibus minùs vendibilibus compilationem suam sufferciit, in quarum fascem Concilium istud ferè compingunt.

II. Sed

II. Sed si veteris collectionis auctoritas illis affulsisset, non dubito quin gradu cessuri fuissent, & obviis ulnis amplexuri tam religiosum antiquitatis Ecclesiasticæ monumentum, quod ætatem illam & dicendi charactere & rebus ipsis decisis omnino redolet. Quippe in examine Episcopi, præter Marcionis, Pauli Samosateni, Arii, & Apollinaris dogmata, quæ inibi confodiuntur, licèt tacito eorum nomine, ab Episcopo exigitur professio contraria hæresibus tunc vigentibus, nempe ut novi & veteris testamenti eundem credat auctorem. quod est contra Manichæos. Vt credat hujus, quam gestamus, & non alterius carnis resurrectionem. quod est contra pullulantes tunc Origenistas. Quæritur ab eo si nuptias non improbet, si secunda matrimonia non damnet, si carnium perceptionem non culpet, si pœnitentibus reconciliatis communicet. quod est contra Novatianos & Priscillianistas. Si in baptismo tam originale peccatum quàm quæ voluntate admissa sunt dimittantur. quod ad Cælestii dogma pertinet, nondum planè detecto Pelagianæ hæresis veneno: de qua non tacuissent patres, si hac ætate erupisset. Vnde patet hujus Concilii veritas & antiquitas. Hoc autem in Concilio ordina-

tionum celebrandarum myſteria explicantur, ordinum & graduum in Eccleſia diſcrimina & miniſteria panduntur. Non omittuntur viduarum & ſanctimonialium conſecrationes ac munia, & ſponſarum benedictiones. Epiſcopis præterea & clericis morum regulæ præſcribuntur, quinimô & laicis, juxta quas vitam inſtituere debeant, Vt Chriſtianæ ethices compendium hoc Concilio contineri non immeritò dixeris. Ex præfatione diſcimus habitum Carthagine ſub Aurelio. quod ipſæ quoque ſubſcriptiones Epiſcoporum teſtantur, Aurelii, Donatiani, & ſancti Auguſtini Hipponenſis.

III. Tempus celebrate Concilii incidit, ut dicebam, in ſextum Idus Novembris, Conſulibus Honorio Auguſto IV. & Eutychiano. Poſt eorum conſulatum aliud habitum eſt Carthaginenſe Concilium quinto Kalendas Maias, ſcilicet anno ſequenti trecenteſimo nonageſimo nono, in quo legatio decreta ad Imperatores ut lege caverent ne quis ab Eccleſiis ad eas confugientes abſtraheret. Ejus meminit Dionyſius, omiſſo priore. Nec ſilentii pœnas ſuſtinere debet ille, nec præteritione quoque ſua cenſendus eſt damnaſſe Concilium noſtrum. Eandem ob cauſam præterivit in collectione ſua hanc ſynodum

qua duas habitas sub Grato & Genetlio: quoniam collectio vetus eas integras complexa cùm esset, non erat quod Dionysius eas iterum ad suam curam revocaret. Quod de ceteris, quas ille commemorat, dici non potest: quoniam vel omissæ penitùs erant in collectione veteri, illæ nempe quæ canones non ediderant, aut aliarum canones ordine diverso resensiti vel etiam imminuti erant, ut novam operam requirere viderentur. quod in hac dissertatione nostra satis manifestè ostenditur.

IV. Præterea Concilii istius quarti ratio & institutum, cùm ad reconditam disciplinam ordinum sacrorum explanandam & ad mores informandos pertineret potiùs quàm ad externam dispositionem judiciariamque trituram, de qua in aliis Conciliis statuitur, Dionysius existimavit non esse quòd illud suæ collectioni adjungeret, præsertim cùm satis priore illa & antiqua vulgatum esset.

V. Sanè de Ferrando dubitandum non est quin sciens & consultò, ob superiorem rationem, non meminerit hujus Concilii in sua breviatione canonum, ut dixi superiùs; utpote qui Concilii Carthaginensis habiti anno CCCCXVIII. titulos cùm laudet, eos tamen qui ab eo de gra-

tia Dei editi sunt prætermittat, quoniam ad fidem, non autem ad disciplinam ecclesiasticam, pertinent. quos tamen Dionysius non omisit, ut nobis integrum Concilium proponeret.

CAPVT VIII.

De Concilio Carthaginensi quinto.

I. CONCILIUM quintum in collectione veteri est illud quod habitum fuit post consulatum Flavii Stiliconis, XIV. Kalendas Iulias, id est, anno quadringentesimo primo: cui adjuncti sunt quoque canones synodi habitæ Vincentio & Flavito Consulibus, Idibus Septembris ejusdem anni. Concilii prioris præfatio extat integra in collectione Dionysii: quæ quidem suo loco posita est in editione Latina & Græca Parisiensi codicis canonum Africanorum; quæ perverso ordine posita fuerat in editione Moguntina, nempe ante canones Concilii tertii Cæsario & Attico Coss.

II. Præcipua hujus synodi cura fuit ut legatio decerneretur ad transmarinas partes, tum ad sedem apostolicam, tum ad Imperatores, ut Ecclesiæ Africanæ necessitatibus subveniretur. Ac primò cùm

ob Donatiſtarum ſævitiam graſſantem & bellorum excidium apud Eccleſias catholicas maxima clericorum eſſet penuria, ſupplere numerum aliter non poterant Africani niſi liberum illis eſſet redeuntes ab hæreſi Donatiſtarum in clerum adſciſcere. quod prohibitum ne fieret à ſede apoſtolica & à Mediolanenſi profitetur Aurelius, id eſt, in plenario Concilio Italico. atque ideo conveniendos Anaſtaſium ſedis apoſtolicæ Epiſcopum & Venerium ſacerdotem Mediolanenſis Eccleſiæ, ut communi periculo provideant & *conſentiant*, quemadmodum loquitur canon primus, ut ſaltem qui parvuli baptizati ſunt à Donatiſtis, & majores facti cognitum errorem deſeruerunt, poſſint clericatus officio admoveri. Qua de re conſulendos quoque Siricium & Simplicianum antea conſtituerant canone XLVIII. Carthaginenſis tertii. Vnde patet decreta Romanæ ſedis in Concilio Italico edita ipſos quoque Africanos obſtrinxiſſe, & eorum veniam atque remiſſionem ob publicam neceſſitatem à ſede apoſtolica præcipuè, & à Mediolanenſi quoque, utpote per Italiæ vicariatum ceteris Epiſcopis præfecto, petitam. Itaque caput primum iſtius Concilii, quod eſt apud Dionyſium, rectè omiſſum eſt in collectione veteri; quo-

niam cùm res ipsa penderet ex arbitrio sedis apostolicæ, & nullum ea de re illius extaret rescriptum, inutile erat consultationis istius iterum meminisse.

III. Secundum quoque caput rectè omissum est à collectore, quoniam nihil definitur quod ad disciplinam pertineat, id tantùm decernitur postulari ab Imperatoribus, ut templa idolorum quæ sunt in agris dirui jubeant. Qua ratione omissa sunt etiam caput quartum de paganorum conviviis lege Principis tollendis, & quintum de spectaculis quoque & ludis theatrorum lege prohibendis, ne saltem fiant die dominica vel ceteris diebus celeberrimis.

IV. Tertium sanè caput omissum non est à collectore veteri, sed summa auctoritate in melius commutatum. Agitur de cognitione quam clerici de causis laicorum suscipiebant *jure apostolico*, ut loquitur canon, *Ecclesiis impositio*, ubi alludit ad locum Pauli, quo monentur fideles ne ad forum coram ethnicis litigaturi pergant, sed potiùs Episcopi & clericorum arbitrio se committant. *Si enim angelos judicabimus*, inquit Paulus, *quantò magis secularia*. Ex quo Apostoli monito inductum ut litigatorum arbitria in se reciperent Episcopi, ac si mandato apostolico, ob

fidelium concordiam alendam, ad id eſſent adſtricti. quo de onere Epiſcopis impoſito non tacent auctor conſtitutionum apoſtolicarum, Chryſoſtomus, Ambroſius, Auguſtinus, & alii. Quod confirmatum fuit lege Conſtantini, adeo ut unus è litigatoribus invitum adverſarium cogere poſſit ad ſubeundum Epiſcopi judicium. Enimverò cùm Epiſcopi ſenatum ſuum haberent, ut loquitur Hieronymus, ſive preſbyterium, ut loquitur Cyprianus unà cum Paulo, Preſbyteros ſuos velut aſſeſſores ſuos contrahere debebant ad judicandas cauſas, ut docet eleganter canon XXIII. Concilii quarti his verbis: *Vt Epiſcopus nullius cauſam audiat abſque præſentia clericorum ſuorum. Alioqui irrita erit ſententia Epiſcopi, niſi clericorum præſentia confirmetur.* Quoniam verò à ſententiis illis provocari poterat ad judicem publicum, (licèt interim res judicata executioni demandari poſſet, ut cautum erat legibus) contingebat aliquando ut clericus cognitor, aut qui præſens fuerat cognitioni, evocaretur à judice publico ad teſtimonium dicendum de iis quæ apud ſe geſta erant. Quod ideo accidebat frequentiùs quia ſine ſcripto lites iſtæ, id eſt, ſummariè, abſque ſtrepitu & figura judicii, ut hodie loquuntur, ab Epiſcopis &

clericis dirimebantur. Quod sanè grave erat atque injuriosum clericis. Ideoque Africani, ut ab hac se vexatione liberarent, petendum aiunt ab Imperatoribus

Cod. Can. Eccl. Afric. c. 59.

ut statuere dignentur ut si qui fortè in Ecclesia quamlibet causam jure apostolico Ecclesiis impositio agere voluerint, & fortasse decisium clericorum uni parti displicuerit, non liceat clericum ad testimonium devocari eum quia cognitor vel præsens fuerit, ut nulla ad testimonium dicendum ecclesiastici cujuslibet persona pulsetur. Sed collector vetus ex auctoritate sibi mandata hunc canonem emendavit, & quod postulandum erat à Principe, ipse ut constitutum à Concilio ponit. Vnde nisi quis morosus esse velit, facilè sibi persuadebit hanc collectionem, non privato studio, sed publica potestate compactam, & deinde Ecclesiis pro lege publicatam. Hæc sunt itaque canonis istius apud collectorem verba, alioqui etiam sincerioris lectionis. *In principio statuendum est ut qui fortè in Ecclesia quamlibet causam jure apostolico agere voluerit, & fortasse decisio clericorum uni parti displicuerit, non liceat clericum ad testimonium devocari eum qui cognitor vel præsens fuit. Et ut nulla ad testimonium dicendum ecclesiastici cujuslibet persona pulsetur.*

V. Hinc docemur duo constituta. Primum, ut qui cognitor fuit non evocetur ad

teſtimonium dicendum. Secundum, ut nullus è clero ad teſtimonium dicendum in qualibet cauſa evocetur à judice publico. Corrupta lectio apud Dionyſium primam illam regulam ſolam exprimit ; quoniam apud illum clauſula ultima non eſt diſcreta à prioribus verbis, ut decet, propter omiſſam particulam conjunctivam *Et*, ita ut videatur potiùs ratio prioris definitionis quàm nova definitio. Quod ipſe Dionyſius eo modo intellexit, ut patet ex lemmate quod huic canoni præpoſuit : *Ut clerici de judicii ſui cognitione non cogantur in publico dicere teſtimonium.* Sed in veteri collectione lemma generaliter conceptum eſt de omni teſtimonii dictione interdicta clericis in judicio publico : *De clericis ad teſtimonium non pulſandis.* Sanè lectio veteris collectionis, *Et ut*, unde oritur ſecunda illa generalis definitio, confirmatur ab interprete Græco, qui lectionem illam agnoſcit. καὶ ἵνα μηδὲ πρόσωπον τῆς ἐκκλησιαστικῆς προσῆκον ἐναχθείη περὶ τοῦ ὀφείλειν μαρτυρεῖν. Hinc colliget lector antiquam eſſe prohibitionem ne clerici à judicibus ſecularibus ad teſtimonium citentur, niſi ex conſenſu Epiſcopi. Quod decretalibus ſeverè ſancitum eſt, & ubique obſervatur præterquam in Galliæ regno, quod ſuis privilegiis utitur, quamquam diffi-

tendum non sit à Iustiniano aliter constitutum.

VI. Eadem collectoris auctoritas elucet in capite sexto, ubi petendum decernitur à Principibus ut statuere dignentur ne clerici judicio Episcoporum damnati, ab Ecclesiis quibus præfuerant nec à quolibet defensentur, interposita pœna damni pecuniæ atque honoris, quo nec ætatem nec sexum excusandum præcipiant. Lex petenda erat ob pœnam civilem, quæ ab Ecclesia infligi non poterat, sed tantùm canonica. Sed collectori visum ut canonem istum secundum in sua collectione locaret, constituendo synodi auctoritate quod postulandum erat à Principe. *Et illud statuendum.* inquit. & cetera subjungit. Vnde factum crediderim ut plures mediæ ætatis Pontificum constitutiones damno honoris & privatione dignitatum afficiendos jubeant qui suis decretis reluctati fuerint.

VII. Caput septimum de histrionibus ad fidem conversis, ne ad ludicras artes iterum cogantur, quoniam lex petenda decernitur, omissum est. Octavum quoque manifestam ob causam; quoniam illud tantùm proponit Aurelius, ut manumissiones servorum in Ecclesiis Africanis fiant, si consacerdotes per Italiam id fa-

cere reperiantur. Quarę cùm ex legibus Conſtantini relatis in Codice & à Sozomeno commemoratis manumiſſi in Eccleſia libertatem Romanam adipiſcerentur, non erat quòd in dubium adduceretur in reliquis occidentis Eccleſiis quod Africani in poſterum facere debebant. Nonum quoque & ultimum caput omittitur, quia pertinet ad ſpeciale negotium Equitii Epiſcopi jam olim damnati & ad tranſmarinas partes profecti ut turbaret Africanæ Eccleſiæ ſtatum, cujus impudentiam repellendam à Legato decernitur.

Sozom. lib. 1. c. 9.

CAPVT IX.

De eodem Concilio quinto Carthaginenſi, & de Donatiſtis.

I. EODEM anno CCCCI. Vincentio & Flavito Coſſ. Idibus Septembris habitum eſt Concilium Carthagine ex omnibus provinciis Africæ, quod ſanè aliud eſt à priore. Attamen cùm eodem anno celebratum fuerit, ſub unius Concilii quinti nomine exhibetur in collectione veteri. Quod accuratiùs & rectiùs diſtinguitur apud Dionyſium, & ab ipſo quoque Ferrando.

II. Donatiſtarum machinationes, & in-

sidiæ quibus Ecclesiam Africanam vexabant, Anastasii Episcopi Romani pectus adeo commoverant ut literis ad Episcopos Africæ datis eos hortaretur ne de hæreticorum insidiis & improbitatibus dissimularent, ut capitulo primo hujus Concilii docemur. Carthaginensis ergo synodus de Donatistarum causa tractans, cùm eis leniùs agendum censuit, & plebes eorum communione infectas miserabilis illius erroris commonendas quo sunt devinctæ. Tum ut à judicibus petatur ut auctoritate sua juvent communem matrem Ecclesiam catholicam, judiciaria potestate inquirentes quid gestum sit in iis locis in quibus Maximianistæ, qui à Donatistis schisma fecere, basilicas obtinuerunt. Magni momenti hæc perquisitio videbatur futura, quoniam Maximianus Episcopus Carthaginensis ex parte Donati, cum à Primiano ejusdem partis Episcopo schismate divisus esset & anathemate ab adversariis ictus, pari eos damnatione excepisset, (ut copiosè docet Augustinus lib. III. contra Cresconium cap. XL. lib. IV. cap. VI. & in enarratione psalmi XXXVI.) istius Maximiani sectatores, ut schismatici, Donatistis petentibus à basilicis quas tenebant per jussa judicum deturbati erant, ut scribit

Augustinus libro III. contra literas Petiliani cap. XXXIX. maximè cùm illa tempestate Maximianistæ recepti fuissent à ceteris Donatistis in communionem absque baptismi repetitione. Quo exemplo convinci poterant tum ab initio Donatistas tam iniquè ab Ecclesiæ unitate discessisse temporibus Cæciliani quàm iniquè nunc clamabant Maximianistas à se schisma fecisse, tum stolidè pacem Ecclesiæ toto orbe diffusæ atque illius communionem baptismumque respuere, qui suos olim sui Concilii plenarii auctoritate damnatos in communionem cum suis honoribus recipiant. quo argumento quoque utitur Augustinus epistola quinquagesima & libro de hæresibus. Vt autem faciliùs Donatistæ ad Ecclesiam accedendi studio accenderentur, suomet exemplo alliciendos putavit hæc synodus. Itaque sicut ipsi Maximianistas susceperant in clero cum suis honoribus, ita resipiscentes Donatistas & ad catholicæ Ecclesiæ communionem redeuntes in suis gradibus recipiendos decernunt. Attamen quoniam Capuamo Concilio vetitum fuerat ne clerici Donatistæ resipiscentes in suis honoribus susciperentur, ea fuit hujus synodi pro transmarini Concilii decretis reverentia ut quam prohi-

bitioni generali exceptionem adhibendam putabat, nempe ut ii soli recipiantur per quos unitati catholicæ consulitur, judicio sedis apostolicæ committat; ad quam *maximè*, ut ait, & ad reliquos Episcopos transmarinos scribendum decernit. Vnde patet sedis apostolicæ auctoritas præcipua in canonibus temperandis, ab ipsis Africanis & ab orientalibus quoque jam olim agnita, ut uberiùs docui libro tertio de concordia cap. XIII.

III. Quæ dixi, quatuor Concilii hujus capitibus comprehensa, cùm ad negotia specialia Africæ pertineant, in veteri collectione dissimulata sunt. Sed omissum non est iteratum interdictum canone quinto Concilii comprehensum, & in tertium Concilii quinti conjectum, quo Episcopi, Presbyteri, & Levitæ ab uxoribus continere jubentur *secundùm priora statuta*, id est, juxta priorum canonum Carthaginensium decreta, de quibus superiùs egimus. Græcus interpres, depravatam lectionem secutus, reddidit ac si scriptum esset *secundùm propria statuta*, κατὰ τοὺς ἰδίους ὅρους. Quæ versio tolerari posset nisi eam interpretatione sua corrupissent Zonaras & Balsamo, qui ambiguum vocis ὅρος, quæ legem & statutum æquè significat ac limitem sive etiam temporis

terminum, ad ſuos orientalium mores confirmandos transferentes, hunc canonem ſic explicant ac ſi decerneret ut tempore vicis ſuæ, Iudæorum exemplo, quiſque ſacerdotum contineat, rediturus poſt miniſterii & ἐφημερίας functionem illam temporariam ad uxoris commercium. quod hebdomadariis Preſbyteris, quos inſtituere Græci, competere poſſet. Sed quid fiet de Epiſcopis, qui Preſbyteris & Levitis hoc canone junguntur, à quibus tamen Græci ipſi continentiam perpetuam ab uxoribus exigunt, & ex illo capite ſingularitas eorum in quaque Eccleſia vetat ne per vices fungi poſſint munere ſuo. Quare cùm clauſula iſthæc, καὶ τὸν ἰδιωτικὸν ὅρον, ex interpretatione Græca, eos æquè comprehendat ac Sacerdotes & Levitas, alia eſt adhibenda explicatio quàm ea quæ recentioribus Græcis placuit, nempe ut propriis & gradibus ſuis aptis continentiæ legibus aſtringantur. Quamquam alia lectio & verior eſt atque ſincerior, omnemque difficultatem adimit, ſcilicet *ſecundùm priora ſtatuta*, id eſt, juxta id quod in prioribus Conciliis conſtitutum eſt. Ferrandus videtur hunc canonem laudare ex iſto Concilio num. VI. *Vt Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi ab uxoribus abſtineant. Concil. Carth. tit.* III.

IV. Sequitur in veteri collectione canon quartus de rebus Ecclesiæ sine consilio Primatis non alienandis: qui sine dubio ad hoc Concilium habitum Vincentio & Flavito Conss. pertinet, non solùm juxta fidem antiqui collectoris, sed etiam juxta Ferrandum, qui notat num. XLVII. *Vt Episcopi rem Ecclesiæ sine Primatis Concilio non vendant. Concil. Carthagin. tit.* V. *Hippon. tit.* IX. Dionysius verò hic canonem istum omisit, quoniam à Concilio sexto can. XXVI. firmatus cùm fuisset, ejus Concilii canones in capite Africanorum collocanti inutile videbatur hunc suo loco reddere. Sed vetus, qui Carthaginensis sexti canones omisit ex prioribus compactos, retinuit hunc canonem suo loco. Grave est hoc interdictum de rerum ecclesiasticarum alienatione absque synodo Primatis sive Metropolitani. Libera quondam Episcopis singulis, saltem cum presbyterii consilio, rerum ecclesiasticarum alienatio; sed non vice versa Presbyteris vacante Ecclesia, cùm rescindendum jusserit hoc casu contractum synodus Ancyrana canone XIII. Hanc potestatem Ecclesiarum damnis cavens Concilium Carthaginense, & deinde Hipponense secundum, optimè restrinxit, & Primatis synodique provincialis decreto negotium commisit,

commisit, exceptione solùm addita, nisi tam gravis premeret necessitas ut Primatem adeundi non superesset spatium. Sed tunc quoque venditor vicinis Episcopis antea indicare, & post factum, Concilio provinciali referre debet Ecclesiæ suæ necessitates. Hæc est enim sententia canonis; cujus lectio luxata, sic constituenda est in veteri : *saltem curiositatem habeat* (id est, curam, Africana dictione) *& vicinis Episcopis hoc antè indicare, & post factum, ad Concilium referre suæ Ecclesiæ necessitates. Quòd si non fecerit, reus Concilio venditor teneatur.* Hunc locum canon sexti Concilii interpretatus est potiùs quàm exscripsit : *saltem vicinos testes convocet Episcopos, curans ad Concilium omnes referre Ecclesiæ suæ necessitates. Quòd si non fecerit, reus Deo & Concilio venditor honore amisso teneatur.* Priorem partem Græcus non est assecutus. Legit enim, *vicinos testes convocet Episcopus*, cùm legendum sit *Episcopos*.

V. Hunc canonem excipit alius in veteri collectione, quo definitur ne quis, relicta cathedra principali, in alia diœceseos Ecclesia aut in proprio fundo diutiùs quàm oportet resideat. Quod his verbis Ferrandus expressit num. XVII. *Ut nullus Episcopus, dimissa matrice, in diœcesi constituat.* (legendum *consistat*) *Concil. Car-*

thagin. tit. VI. Vbi cathedra principalis rectè matrix redditur. Vnde matrices cathedræ in Concilii Carthaginensis cap. CXXIII. apud Dionysium.

VI. Canon de infantibus baptizandis quoties non inveniuntur certissimi testes de illorum baptismo, nec ipsi idonei sunt propter ætatem de traditis sibi sacramentis respondere, à Leone primo probatus est, qui ejus in simili specie sententiam sequitur in epistola ad Rusticum Narbonensem. Sed mutilus est canon ille apud Dionysium; ubi omissa est ultima clausula, quam exhibet vetus, de consecrandis Ecclesiis quoties de earum consecratione dubitatur. Obiter autem monendus est lector magnum oriri beneficium ex tabulis parochialibus in quas baptismorum acta referuntur, unde non solùm infantium ætas ad res civiles, sed etiam baptismi testatio probari potest: quibus tabulis si usa fuisset vetus Ecclesia, ut liberorum censitione in actis publicis olim utebatur Imperium, difficultatibus istis de baptismo infantium se exemisset.

VII. Cautum fuerat in Concilio Carthaginensi tertio canone XLI. ut quotannis ad Concilium universale Africæ convenirent Episcopi, & per legatos redeuntes in provincias dies Paschæ ab Ecclesia

Carthaginenſi denuntiaretur. Nunc duo conſtituuntur. Primum, ut formatarum ſubſcriptione dies ille omnibus intimetur, id eſt, ut in formatis quæ clericis peregrè proficiſcentibus dantur, dies Paſchæ adnotetur; quòd ſi adhuc incertus eſt dies anni illius, præcedens adjungatur quo modo ſolet *Poſt conſulatum* in publicis geſtis aſcribi, ut explicuit canon vigeſimus ſynodi Milevitanæ in veteri collectione, qui eſt centeſimus ſextus in codice canonum Africanorum ex Concilio Carthaginenſi anni quadringenteſimi ſeptimi. Secundum eſt, ut tempus fixum & certum Concilii in decima die Kalendarum Septembrium conſtituatur. Quæ dies Africanis conventibus apta eſſe poterat propter anni tempeſtatem à provinciis Europæ diverſam. *Dies verò Concilii idem ſervetur qui in Hipponenſi Concilio conſtitutus eſt, id eſt*, x. *Kalendas Septembris.* Vetus autem collector tempus illud immutavit auctoritate ſibi delegata, ut alibi dixi. *Dies Concilii*, inquit, *undecimo Kalendas Novembris ſervetur*, ſcilicet poſt exactas ferias vindemiales, omiſſa mentione Concilii Hipponenſis, in quo ſcilicet dies decima Kalendarum Septembrium conſtituebatur; à quo cùm recederet, non erat quòd illud Hipponenſe Concilium lau-

daret. Ceterùm obſervarè non pœnitebit hic agi de generali & univerſali totius Africæ, de quo etiam canone decimo, non autem de provincialibus ſynodis, quæ à Primatibus ſive Metropolitanis cogebantur: de quibus hic cavetur ut Primates, quando Concilium apud ſe congregant, diem hic præſtitutum univerſali Concilio non impediant. Ad iſtud exemplum decretum eſt de patriarchica ſynodo in canone XVII. octavæ ſynodi.

VIII. Canonem de interceſſore dato Eccleſiæ Ferrandus ex titulo nono Concilii Carthaginenſis laudat, id eſt, ex Concilio habito Vincentio & Flavito Conſulibus, cui numerus ille reſpondet. Vacantibus Eccleſiis præficiebatur à Metropolitano Epiſcopus ad diſſidia populi componenda, ne per varia ſtudia in eligendo Epiſcopo in apertam ſeditionem erumperent. Dictus fuit interceſſor quia diſſidentibus intercedebat, medium ſe præbebat & conciliatorem. Vnde μεσίτης dictus ab interprete Græco. A Ferrando dicitur interventor num. XXII. *Vt nullus Epiſcopus cathedram cui datus fuerit interventor pluſquam annum teneat, ſed ipſe eis Epiſcopum petat. Concil. Carthagin. tit.* IX. Dionyſius quoque in lemmate canonis interventorem appellat. Sequenti ſeculo dictus eſt viſi-

tator à Gregorio Magno. Visitatoris usum & nomen retinuere posteri, ut patet ex Hincmari epistolis à Sirmondo editis; qui ex more tunc recepto non antè visitatorem Episcopum Ecclesiæ vacanti præficiebat quàm Regem consuluisset, ut ex ejus arbitrio persona visitatoris penderet, nempe ut cleri & populi animos ad electionem Regi gratam inflecteret.

IX. Capita duo apud Dionysium, quorum alterum agit de conveniendo Cresconio Villaregiensi ut se sistat proximo universali Concilio Africano, & alterum de ordinando Episcopo in Ecclesia Hipponensium Diarrhytorum, omissa sunt à veteri, quia sunt specialia Africæ negotia.

X. Canon autem undecimus, quo statuitur ne Presbyteris aut Diaconis ob graviorem culpam à gradu remotis manus pœnitentiæ imponatur tamquam laicis, hic est suo loco positus in collectione veteri; quem Dionysius inter capita Carthaginensis sexti jam semel à se positum hic repetere noluit. Ratio verò hujus statuti petenta est ex Basilio cap. XXXII. qui ait duplici pœna affligendum non esse Presbyterum & Diaconum, tum depositione, tum laboribus pœnitentiæ publicæ.

XI. Vndecimi canonis definitioni rectè conjungitur canon duodecimus, quo accusatis clericis annus conceditur ad diluendum crimen sibi impositum. Quoniam verò textus corruptus est tam in collectione veteri quàm in Dionysiana, emendandus à nobis erit postquam vulgatam lectionem proposuero. *Quoties*, inquit, *clericis convictis & confessis in aliquo crimine, vel propter eorum quorum verecundiæ parcitur, vel propter Ecclesiæ opprobrium, aut insolentem insultationem hæreticorum atque gentilium, si fortè causæ suæ adesse voluerint & innocentiam suam asserere, intra annum excommunicationis suæ hoc faciant &c.* Quænam amabo consequentia est in his verbis, ut convictus & confessus innocentiam deinde suam asserat? Convictus & confessus pro judicato habetur juxta legum præscripta; est ὡμολογημένος, ut loquitur Paulus. Presbytero de se confesso non parcitur, ex canone nono Concilii Neocæsariensis: quia (ut inquit Valentina synodus habita anno CCCLXXIV.) *reus est vel veri confessione vel mendacio falsitatis.* Quare sine dubio legendum est: *Quoties clericis convictis nec confessis in aliquo crimine vel propter eorum verecundiam parcitur, vel propter Ecclesiæ opprobrium.* Mutandum enim illud, *quorum verecundiæ parcitur*, ne alioqui suspensa

sit oratio, & ne verbum desit á quo nomina dativi casus, *clericis convictis*, regantur. Attamen vetus est mendum, ab ipso etiam interprete Græco expressum, ne dicam ab Ivone & Gratiano XI. q. III. *Rursus constitutum.* ubi ancipites sunt glossatorum de mente canonis istius opiniones. Sententia itaque canonis hæc est quam exhibet Ferrandus num. CXXXVI. *Vt accusatus clericus intra annum causam suam agere debeat. Concil. Carthag. tit.* XIII. Ordo antiquus judiciorum ecclesiasticorum hinc desumi potest. Testes recipiebantur adversùs reum gravioris criminis. Eorum testimonio convictus, communione abstinebatur: qui deinde vel se purgabat, vel confessione criminis facta, pœnitentiæ beneficium petebat absque ulla temporis præscriptione. Hic anni tempus post excommunicationem illi inflictam computandum clerico conceditur, ut se purget. quo tempore elapso, non amplius auditur. Inde factum ut decretis recentioribus laici quoque excommunicati ad purgationem vel ad petendam absolutionem adigantur.

Vide Balsamon. in can. 82. synodi Carthag.

XII. In canone XIII. de alieno monacho non ordinando vox *repertum*, quam vetus & Dionysius præferunt, & ex eis Gratianus, cubat in mendo, & restituenda

Dist. 56. Si quis de alterius.

lectio ex interprete Græco: *Si quis de alterius monasterio receptum.* ἐάν τις ἀπὸ ἀλλοτρίου μοναστηρίου ὑποδέξηταί τινα.

XIII. Titulus XVI. apud Dionysium abest à veteri, rectè, quoniam huic speciei satis cautum erat duobus capitulis Concilii Carthaginensis tertii. Etenim canone XIII. constitutum est ut Episcopi & clerici hæreticis, etiamsi consanguinei sint, nihil per donationem aut testamentum conferant. Canone autem XLIX. Episcopi & clerici quod ex peculio Ecclesiæ acquisierint, jubentur suis Ecclesiis conferre. De eo autem quod illis ex liberalitate alicujus vel ex successione cognationis obvenerit, libera disponendi facultas relinquitur; dummodo ita se gerant ut eorum proposito congruit. Alioqui honore ecclesiastico indigni judicabuntur. Quam in pœnam incidissent sine dubio si hæreticis vel gentilibus consanguineis aliquid contulissent, quia id vetitum canone decimo tertio. ne de personis infamibus loquar. Ceterùm si extraneos heredes instituissent, dummodo Christianos, immunes erant à culpa. Canon autem XVI. hujus Concilii tacens de clericis, vetat ne heredes extraneos à consanguinitate sua Episcopus Ecclesiæ præferat, nedum consanguineos hæreticos aut paganos; addita

graviſſima pœna, nempe anathematis poſt mortem. de qua tantopere diſceptatum fuit in Quinta ſynodo. Additur quoque, quod huic pœnæ eſt conſectarium, ne nomen ejus inter Dei ſacerdotes recitetur; ſcilicet in ſacrificio, quando ex diptychis ſive libellis Eccleſiæ cujuſque nomina defunctorum Epiſcoporum recitata, Deo commendabantur, ut patet ex actis Quintæ ſynodi. Vnde diſcimus hanc quoque conſuetudinem in Eccleſia Africana perinde ac in ceteris univerſi orbis Chriſtiani invaluiſſe.

XIV. Canones reliqui hujus Concilii quinti cum Dionyſio conveniunt, adeo ut operam noſtram non deſiderent, præcipuè cùm Notas in univerſos canones non edamus.

CAPVT X.

De Concilio Carthaginenſi ſexto.

I. ORDO veteris collectionis nos ducit ad Concilium Carthaginenſe ſextum: quod aliud eſt apud Iſidorum, aliud apud veterem collectorem. In illo quippe perturbata Conciliorum ſerie octavum ſeu Milevitanum dicitur; quod in collectione antiqua rectiſſimè ſextum nuncupatur, depulſis ex eo gradu

ſexto vulgato & ſeptimo, quæ in veteri ſeptimum & octavum vocantur. Sanè cùm in eo quod dicitur ſextum recitata fuerint priora Concilia, neceſſe eſt ut ea de quibus ſtatim agemus, inſerta fuerint illius Concilii actis, & numero ſicut tempore Concilium ſextum vulgò dictum anteverterint. Nos tamen recepta numerandi conſuetudine uſi perpetuò ſextum Carthaginenſe vocamus quod eo nomine huc uſque deſignatum fuit juxta collectionem Iſidori depravatam in illis numeris; qui tamen hujus mutationis cauſam ſibi viſus eſt aliquam habere ex eo quòd ſynodum Milevitanam à Carthaginenſibus ſecernebat.

II. Quod ad rem attinet, in collectione Dionyſii exhibetur ſynodus Milevitana prima celebrata Arcadio & Honorio Augg. v. Conſſ. ſexto Kalendas Septembris, id eſt, anno quadringenteſimo ſecundo, in civitate Milevitana, conſidente Aurelio Carthaginenſi Epiſcopo *in Concilio univerſali*, ut habent acta. Differt hæc ſynodus ab altera ejuſdem nominis, quæ habita fuit contra Pelagium Honorio VII. & Palladio Conſſ. anno CCCCXVI. ſub Silvano Primate Numidiæ ab Epiſcopis ejus provinciæ; cujus epiſtola ſynodica extat inter epiſtolas ſancti Au-

Auguſtin. epiſt. 92.

guſtini. Exiſtimabat Baronius duo iſthæc Milevitana Concilia in unum compacta à collectoribus, & canones de gratia in ſecundo editos, tranſcriptos eſſe in primum, & ceteris canonibus editis in primo adjunctos. Quod tamen dici non debet, cùm nullos canones de gratia ediderit ſecundum Milevitanum, licèt Pelagij hæreſim Epiſcopi proſcripſerint, contenti datis ad Innocentium literis, quæ extant apud Auguſtinum, ſententiam ſuam ſignificaſſe.

III. Fatendum eſt quidem in collectione veteri canones quoſdam deſumptos ex ſynodo Milevitana prima, compactos fuiſſe in unum corpus cum aliis canonibus depromptis ex duobus Conciliis Carthaginenſibus celebratis anno quadringenteſimo ſeptimo & anno quadringenteſimo decimo octavo. Quare huic compilationi ſequens titulus præfigitur in veteri, *Concilium ſextum Carthaginis Africæ, & in Milevitana civitate habitum.* Quibus verbis ſatis ſignificatur hoc corpus è variis Conciliis eſſe conſarcinatum. Enimverò licèt Milevitanum tempore ſit potius, quoniam tamen Carthaginis nomen dignitate præcellit, & plures canones petiti ſunt è duobus Conciliis Carthaginenſibus, huic Carthaginenſis nomen inditum eſt à veteri collectore, tum etiam ne pertur-

baretur ordo numerandi hæc Concilia ſub nomine Carthaginenſium, quamvis non taceatur in titulo nomen Milevitani.

IV. Ceterùm quoniam ratio fidei ceteris articulis præfulgere debet, vetus collector Concilium iſtud auſpicatus eſt ab octo canonibus de gratia Dei editis adversùs Pelagium, quos ex univerſali Concilio Carthaginenſi celebrato anno quadringenteſimo decimo octavo, cujus acta ſunt apud Dionyſium, tranſcripſit, & in capite ceterorum canonum poſuit. Sanè partem præfationis Milevitano primo præfixæ uſurpavit; & ut materias connecteret, de ſuo hæc ultima verba addidit aut ex præfatione Carthaginenſi illi præfixa, qua caremus: *Ideoque pariter quædam de cauſis fidei, unde nunc quæſtio Pelagianorum imminet, in hoc cœtu ſanctiſſimo primitus tractentur, deinde ſubſequantur & aliqua quæ diſciplinæ eccleſiaſticæ neceſſaria exiſtunt.*

V. Præterea ut Carthaginenſibus Conciliis potiorem locum daret, poſt octo canones de gratia ſubjunxit canones petitos ex altero Carthaginenſi anni CCCCVII. quorum primus eſt apud Dionyſium, de Concilio univerſali Africæ, ne fiat quotannis, ſed quando exegerit cauſa communis; qui eſt in hoc noſtro nonus. Deprompti ſunt ex eodem Concilio

annni CCCCVII. canones X. XI. XII. & XVI. qui proprius est Africæ apud Dionysium. *Placuit præterea ut executores in omnibus desideriis quæ habet Ecclesia quinque postulentur, qui in diversis provinciis impertiantur.* Agit de publicis executoribus postulandis à Principe, qui rebus Ecclesiæ immineant. Vetus autem, non designato numero, sic generaliter expressit: *Placuit præterea ut executores in omnibus justis desideriis impertiantur.* addita quoque per modestiam voce *justis*, quæ patribus Africanis exciderat.

Decimus septimus indidem quoque est desumptus, quo cavetur ne dimissus vel dimissa, etiam ob adulterium, alteri conjungantur. Qua definitione tandem sopita est antiqua illa quæstio in Arelatensi primo & apud Græcos indecisa.

Decimus octavus est haustus ex eodem Carthaginensi, verbis quæ in authentico sunt Africæ propria ad constitutionem generalem accommodatis. *Quicunque non communicans in Africa, in transmarinis ad communionem obrepserit, jacturam clericatus accipiat.* Ita Dionysius. Vetus autem sic habet. *Quicunque non communicans in provincia propria, & in aliis provintiis vel transmarinis partibus ad communicandum obrepserit, jacturam communionis vel clericatus accipiat.*

Petita quoque sunt ab eodem Concilio capitula XIX. & XX. ubi constituitur ne quis pergat in comitatum Principis sine formata, verbis accommodatis in veteri ad usum communem, quæ in authentico de formata missa ad Romanam Episcopum loquuntur. Omissa verò sunt alia illius Concilii capita à collectore veteri, quoniam propria erant Africæ.

VI. Ex Milevitano Concilio desumpta sunt capitula XIII. XIV. XV. quæ agunt de Episcoporum ordine inter se, de literis dandis ab ordinatoribus cum die & Consule, & ne quis ad aliam Ecclesiam trahatur quicunque in sua vel semel legerit. Reliqua capita, de archivo Numidiæ, de Quodvultdeo & Maximiano, ideo sunt omissa à veteri quia sunt specialia negotia Africæ.

VII. Ex Concilio Carthaginensi anni CCCCXVIII. petiti sunt canones XXI. XXII. XXIV. XXV. XXVI. XXVII. Reliquos omisit vetus, quia de Donatistis Episcopis conversis & de partitione diœceseon inter eos & catholicos Episcopos cùm agant, ad Africam solam pertinent. Sanè canon vigesimus tertius, qui est de converso ab hæresi ad unitatem catholicam & susceptam apud hæreticos pœnitentiam gerente, ut arbitrio Episcopi catholici

tempus pœnitentiæ vel reconciliationis ei decernatur, neſcio quam ob cauſam omiſſus ſit à Dionyſio; quem tamen vetus exhibet, & ſeries rerum docet ad hoc Concilium pertinere, ubi de converſione Donatiſtarum copiosè tractatur. Ex Ferrando, qui meminit hujus canonis, colligitur in authentico actum de Donatiſta converſo, licèt vetus ad omnes hæreticos generaliter definitionem more ſuo tranſtulerit. Ferrandus num. L. *Vt Epiſcopi judicio Donatiſtæ, qui apud ſuos acta pœnitentia convertitur, tempus pœnitentiæ vel reconciliationis decernatur. Concilium Carthagin. tit.* II.

Ceterùm acta Conciliorum habitorum annis CCCCIII. CCCCIV. & CCCCV. quæ de conveniendis Donatiſtis agunt & de legationibus ad Principes, prudenter vetus collector diſſimulavit, quoniam ſuo inſtituto non ſerviebant.

CAPVT XI.

De reliquis Conciliis Africanis.

I. AGMEN Conciliorum Carthaginenſium claudet illud quod vocant ſeptimum, cùm de ſexto & octavo ſuperiùs egerimus. De ſeptimo controvertitur an ſit idem Concilium cum ſexto.

Non differre putant Binius & Iustellus, quoniam sextum habitum est post consulatum Honorii XII. & Theodosii VIII. octavo Kalendas Iunias Carthagine, septimum verò eodem loco & quinque postilla diebus, nempe III. Kalendas Iunias. Non solùm autem locus & tempus conveniunt, sed etiam numerus Episcoporum ducentorum decem & septem qui resedisse in Concilio sexto dicuntur in præfatione Concilii, & huic septimo eodem numero subscripsisse testatur collectio Dionysii. Attamen vetus collector adnotat hoc Concilium à triginta octo Episcopis celebratum, corrupto calculo. Legendum enim, XXIII.

II. Antequam hunc nodum dissolvam, observandum est à Ferrando canones huic septimo Concilio tributos laudari tamquam è Concilio à reliquis Carthaginensibus diverso, ut patet ex numerorum serie quam sequitur, similem computationi quæ est in veteri collectione; cujus fides ex eo probanda est quòd in Concilio isto distinguendo in sexto adstipulatorem habeat Ferrandum Diaconum. Ille verò canones istos citat num. LXXIII. CXCV. CXCVI. & CXCVII. Ratio verò hujus discriminis patet ex actis Concilii septimi, quæ docent pleroſque Episcopos ex

ex illis CCXVII. qui convenerant, conqueſtos fuiſſe ceterorum quæ agenda ſupererant moras ſe ſuſtinere non poſſe. Quare ut illis redeundi in Eccleſias commeatus facilior eſſet & ſe ad iter accingendum parare poſſent, ab univerſali Concilio delecti ſunt judices numero XXIII. qui reliqua peragerent, ſcilicet præter Aurelium Carthaginenſem & Fauſtinum Epiſcopum Potentinum Legatum Eccleſiæ Romanæ, decem Epiſcopi legati provinciæ proconſularis, tres legati Numidiæ, tres legati provinciæ Byzacenæ, tres legati Mauritaniæ Sitifenſis, tres legati Mauritaniæ Cæſarienſis. Vnà cum judicibus delectis conſedit Aurelius, & canones quinque promulgavit. Quare non immeritò Concilium diverſum dici poteſt quod nova ſtatuta minore judicum numero decernit. His capitulis conſtitutis ſubſcripſere qui ea ediderant. Die ſequenti, id eſt, ſecundo Kalendas Iunias, iidem electi judices epiſtolam ad Bonifacium Papam dictarunt, quæ clauſit acta Concilii ſexti, & poſita eſt poſt canones hujus ſeptimi conventus. His geſtis in unum compactis & epiſtolæ ad Bonifacium die illo, nempe ſecundo Kalendas Iunias, ſubſcripſere, non ſolùm Aurelius & provinciarum legati, ſed etiam Epiſcopi omnes uſque ad

ſuperiorem numerum CCXVII. antequam Carthagine diſcederent ; non autem in ſuis quique Eccleſiis, ut putabat Baronius.

III. Quæ dixi hauſta ſunt ex interlocutione Aurelii apud Dionyſium : qui poſt decreta quinque illa capitula à ſe & à legatis provinciarum, ait ſibi placere rerum omnium concluſionem facere, id verò ita fieri poſſe ſi primùm quæ die illa tractata fuerant, id eſt, capitula quinque, geſtis inſerantur. quæ eſt ſententia horum verborum : *Vniverſi tituli deſignati & digeſti hujus diei tractatum Eccleſiæ geſta ſuſcipiant.* Titulus ille generalis qui diſceptandus in hoc cœtu propoſitus fuerat, reſpicit perſonas quæ ad clericorum accuſationem admitti non poſſent. Hujus quæſtionis deciſio digeſta eſt per capita quædam, ita ut primo excommunicati non admittantur, ſecundo ſervi, liberti, hæretici, pagani, Iudæi, & infames, tertio ut qui unum crimen non probaverit, ad cetera non admittatur, quarto qui ad teſtimonium admittendi non ſint ; quibus ſubjungitur de Epiſcopo qui excommunicat eum quem ſibi ſoli crimen dicit eſſe confeſſum. Hæc omnia per capita digeſta, ad explicandum titulum ſive argumentum propoſitum, geſtis illius diei inſerenda in-

terloquitur Aurelius. Subjungit*: *Quæ verò adhuc expressa non sunt, die sequenti per fratres nostros Faustinum Episcopum, Philippum & Asellum Presbyteros, venerabili fratri & coëpiscopo nostro Bonifacio rescribemus. Et subscripserunt. Aurelius &c.* Die itaque sequenti judices illi dilecti de rescribendo ad Bonifacium acturi erant. Interim subscribunt huic definitioni, scilicet iidem illi qui de ea tractaverunt. Deinceps, quia perventum erat ad finem totius disceptationis & gestorum in controversia cum Faustino, ceteri quoque Episcopi usque ad numerum CCXVII. actis subscripsere & ipsi quoque epistolæ ad Bonifacium datæ: quæ universis Episcopis præsentibus relecta est.

CAPVT XII.

De canonibus adversùs Pelagium.

NVNC operæ pretium est canonum de gratia latorum adversùs Pelagium occasionem & definitionum rationes paucis recensere, remissa ad Theologos uberiori harum rerum tractatione.

I. Primo capitulo de statu & conditione naturæ Adami ante illius lapsum decernitur adversùs Pelagianos, qui dice-

stianos veraciter catholicam tenentes fidem, etiam ipsam nobis corporis mortem, non lege naturæ, quia nullam mortem homini Deus fecit, sed merito inflictam esse peccati; quoniam peccatum vindicans Deus dixit homini in quo tunc omnes eramus: Terra es, & in terram ibis. Mediæ igitur conditionis Adamus erat inter immortalitatem & mortalitatem, amborum capax; ut eleganter observat vetus auctor Theophilus Antiochenus ad Antolycum; ita tamen ut natura mortalis esset, quippe qui pabulo egeret quod illi Deus ex omnibus fructibus concesserat præter vetitum; sed gratia & beneficio Dei futurus immortalis ex pastu ligni vitæ, ut docet Augustinus lib. XII. de civit. cap. XX.

II. Secundo capitulo damnatur aliud Pelagianorum dogma quod primo consequens erat, scilicet nullum reatum ex Adami proprio peccato ad ejus posteros origine transire; integram proinde ac nulli sceleri nullique pœnæ obnoxiam esse parvulorum recentium ab uteris matrum naturam. Peccatum itaque originale tollebat. Hoc inter capita de quibus interrogatus fuerat Cælestius in synodo Carthaginensi anno CCCCXII. primum fuit, ut testatur Augustinus lib. I. de peccat. orig. cap. II. III. & IV. *Et Cælestius*

quidem, inquit, *in hoc fuit errore liberior ut neque in episcopali judicio damnare voluerit eos qui dicunt quòd peccatum Adæ ipsum solum læserit, & non genus humanum, & quòd infantes qui nascuntur, in eo statu sunt in quo Adam fuit ante prævaricationem.* Ideo traducem peccati negabat, idque se Romæ dicentem asserebat audisse Ruffinum, teste eodem Augustino. Quod objectum est quoque Pelagio in Diospolitana synodo. Fatebatur quidem, ut scripturæ testimoniis satisfacere aliquo pacto videretur, solo Adamum exemplo nocuisse, quo posteros traheret ad imitandum, sed nec reatum neque pœnam peccati ad posteritatem transmissum.

III. Opponebatur illis grave argumentum petitum ex baptismo parvulorum. Eum quidem illi admittebant, sed in hoc tantùm ut baptizati in filios Dei adoptarentur & consequi possent regnum cœlorum, non autem ut ab originalis peccati vinculo solverentur ; à quo cùm liberos dicerent, vitam illis beatam & æternam promittebant, quamvis extra regnum Dei, ad quod per solum regenerationis lavacrum admitti posse dicebant ; ut copiosè scribit Augustinus hæresi LXXXVIII. lib. I. de peccat. mer. & rem. cap. XXIX. epist. LXXXIX. &

alibi. Non erat istud solius Pelagii commentum, quod illi commune fuit cum aliis qui ætate illa peccatum ex traduce negabant, ideoque baptismum in parvulis ad alium finem quàm remissionis peccatorum trahebant. Inter quos Ruffinus Palæstinus in libro de fide, nuper editus à Sirmondo : qui alius est à Ruffino Hieronymi adversario. Ruffini Palæstini hæc sunt verba : *Baptisma igitur infantes non propter peccata percipiunt, sed ut spiritalem procreationem habentes, quasi per baptisma in Christo creentur, & ipsius regni cœlestis participes fiant.*

IV. Quare Cælestius in Carthaginensi synodo anno CCCCXII. & in libello Romæ oblato dixit infantes egere baptismo. Hoc tamen admisso profligata est omnino nefaria Pelagii sententia de peccato originali. Etenim baptismus administratur in remissionem peccatorum, ut docent scripturæ & fidei regula, in qua universa Ecclesia unum baptisma confitetur in remissionem peccatorum. Ergo ipsi quoque infantes tinguntur ut peccata illis remittantur, non sanè propria, sed vetus illud & originale peccatum. A quo nodo his verbis Cælestius expediebat sese in libello oblato Romæ apud Augustinum libro de pecc. orig. cap. v. *Infantes debere*

baptizari in remissionem peccatorum secundùm regulam universalis Ecclesiæ & secundùm evangelii sententiam confitemur, quia Dominus statuit regnum cœlorum nonnisi baptizatis posse conferri; quod quia vires naturæ non habent, conferri necesse est per gratiæ libertatem. Mox addit: *In remissionem autem peccatorum baptizandos infantes non ideo diximus ut peccatum ex traduce firmare videamur. quod longè à catholico sensu alienum est &c. Et illud ergo confiteri congruum, ne diversa baptismatis genera facere videamur. Et hoc præmunire necessarium est, ne per mysterii occasionem ad creatoris injuriam malum antè quàm fiat ab homine tradi dicatur homini per naturam.* Oppressum ferè rationis hujus pondere se fatetur qui tam molliter respondet. Necesse est, inquit, ut dicamus baptismum parvulis conferri in remissionem peccatorum. Alioqui duo genera baptismorum admittenda essent, alterum in adultis, quod in remissionem peccatorum datur, alterum in parvulis absque remissione, quod esset absurdum. Itaque dicit confitendum baptizari infantes in remissionem peccatorum. Quod sic intelligere eum oportebat juxta suæ sectæ regulam, quoniam idoneus est baptismus ad ea delenda, quando inciderint in futurum; sed nihil aliud in parvulis agi tunc vi lavacri quàm ut Deo consecrentur,

adoptentur in filios, & regnum cœlorum adipiſci poſſint. Addebant quoque, ut bene nati meliores fierent, apud Proſperum initio libri *De ingratis*.

V. Cavillationem illam elidit robuſtè Auguſtinus, & ſynodus ipſa Carthaginenſis hoc capitulo ſecundo. Etenim ſi parvuli nihil ex Adam trahunt originalis peccati quod lavacro regenerationis expietur, inde fit conſequens ut in eis *forma baptiſmatis in remiſſionem peccatorum, non vera, ſed falſa intelligatur.* Quæ verba videntur prima fronte innuere ampliorem fuiſſe baptiſmi formulam quàm ſit illa qua hodie utitur Eccleſia Romana, *Baptizo te in nomine patris & filii & ſpiritus ſancti*, addita ſcilicet iſthac clauſula, *in remiſſionem peccatorum.* Alioqui mancum & elumbe videtur ſynodi argumentum. Sed obſervandum eſt formam baptiſmatis non accipi ea ſignificatione quæ in ſcholis huic nomini tribuitur, quando de materia & forma baptiſmi diſputant. Sumitur hic pro ritu, ordine, & forma baptiſmi in Eccleſia univerſali exerceri ſolita; ubi ſuus eſt locus interrogationi quæ à cathecumenis mox tingendis fidei Chriſtianæ profeſſio exigitur, & inter cetera capita, remiſſionis peccatorum per baptiſmum conſequendæ. Hoc fidei compendium vocatur re-

gula fidei ab Irenæo, Tertulliano, Augustino, & aliis veteribus. Hæc est quam regulam universalis Ecclesiæ vocabat Cælestius in loco superiùs prolato. Symbolum quoque fidei dicitur ab Hieronymo hac de re loquente libro tertio adversùs Pelagianos. *Hoc unum dicam*, inquit, *ut tandem finiatur oratio, aut novum vos debere symbolum tradere, ut post patrem & filium & spiritum sanctum baptizetis infantes in regnum cœlorum, aut si unum & in parvulis & in magnis habetis baptisma, etiam infantes in remissionem peccatorum baptizandos in similitudinem prævaricationis Adam.* Potest quoque Hieronymus explicari de symbolo seu fidei libello à patribus in synodo Constantinopolitana secunda edito, ubi confitentur disertè baptisma dari in remissionem peccatorum: quem libellum cùm synodus œcumenica anno CCCLXXXI. constituisset, anno sequenti iterum coacta Constantinopoli, per synodicam epistolam ad Damasum Papam transmisit. Quare regulam fidei à synodo Nicæna & Constantinopolitana explicatam sequi se profitentur Legati apostolici in Concilio
Act. 4. Calcedonensi. Attamen usus symboli illius recitandi in mysteriis statim non obtinuit, qui primùm inductus est occidente à Concilio Toletano tertio sub Recaredo Rege.

VI. Ceterùm Hieronymi argumentum ſimile eſt illi quod uſurpant patres Africani, qui præterea praxim Eccleſiæ de tingendis infantibus in remiſſionem peccatorum confirmant Apoſtoli teſtimonio, qui ait in Adamo omnes peccaſſe. quem locum de peccato originis Eccleſiam catholicam ubique diffuſam ſemper intellexiſſe dicunt. Mox definitionem his verbis concludunt: *Propter enim hanc regulam fidei etiam parvuli, qui nihil peccatorum in ſe ipſis adhuc committere potuerunt, ideo in peccatorum remiſſionem veraciter baptizantur ut in eis regeneratione mundetur quod generatione traxerunt.*

CAPVT XIII.

De Pelagii dogmatibus & arcanis.

I. ANTEQUAM ad ſequentia capitula accedamus, quæ agunt de vi & neceſſitate gratiæ, penetrare oportet in Pelagii arcana, qui ſubdolis & verſutis artibus doctrinam ſuam occulebat; ut qui gratiam Chriſti evertere conabatur, eam tamen videretur aſtruere, ne catholicorum hominum conviciis pateret. Docebat itaque liberum hominis arbitrium, quod ex Adami peccato nullum vitium

contraxerat, innatis viribus ex ſolo ſuæ conditionis præſidio poſſe bonum amplecti, malum vitare, & aſſequi regnum cœlorum, *& ubi in utraque parte libera eſſent ſtudia voluntatis, non facultatem his qui mali ſunt ad bonum deeſſe, ſed ſtudium*, ut loquitur Proſper de illius hæreſi agens in libro de libero arbitrio ad Ruffinum. Hanc ergo liberi arbitrii facultatem, gratiam vocabat, quæ nullis præcedentibus meritis, beneficio Dei, hominibus erat conceſſa, teſte Auguſtino pluribus in locis. Legis quoque & Prophetarum doctrinam alteram gratiam docebat Dei beneficio hominibus conceſſam, ut intelligerent quid ſequi deberent, quid fugere, objectis ſuppliciorum terroribus & gloriæ magnitudine & piorum hominum exemplis. Gratia legem in adjutorium miſit, ut rationis lumen, quod pravitatis exempla hebetabant, & conſuetudo vitiorum multimodis eruditionibus excitaret atque invitatu ſuo foveret, inquit Iulianus Pelagianus.

Auguſt. lib. de hæreſ & epiſt. 105.

II. Addebat tamen Pelagius, poſt adventum Chriſti neminem ad ſalutem pervenire poſſe niſi per fidem in Chriſtum, per quam fidelis remiſſionem peccatorum ſive juſtificationem conſequebatur. quam gratiam per ſingula momenta &

per singulos actus necessariam dicebat; quæ evangelii doctrina & Christi ipsius exemplo incipiebat & fovebatur. Sed calliditatem hominis detegit Augustinus, post relata Pelagii verba, in libro de gratia Christi cap. II. Docet enim eum significasse, *ut semper in memoria retinentes & reminiscentes dimissa nobis esse peccata, non peccemus ulteriùs, adjuti non aliqua subministratione virtutis, sed viribus propriæ voluntatis, quid sibi remissione peccatorum præstitum fuerit recordantes.* Idem libro de gratia & libero arbitrio cap. XIII. *Dicunt etiam gratiam Dei quæ data est per fidem Iesu Christi, quæ neque est lex neque natura, ad hoc tantùm valere ut peccata præterita dimittantur, non ut futura vitentur, vel repugnantia superentur.* Idem libro III. contra Iulianum cap. XXIII. *Verùm tu à vestro dogmate non recedis*, inquit, *quo putatis gratiam Dei per Iesum Christum Dominum nostrum sic in sola peccatorum remissione versari ut non adjuvet ad vitanda peccata & desideria vincenda carnalia, diffundendo caritatem in cordibus nostris.* Hic Pelagii error damnatur tertio capitulo synodi Carthaginensis. *Item placuit ut quicunque dixerit gratiam Dei qua justificatur homo per Iesum Christum Dominum nostrum, ad solam remissionem peccatorum valere quæ jam commissa sunt, non etiam ad ad-*

jutorium ut non committantur, anathema sit.

III. Porrò veræ gratiæ remissionis per fidem in Christum multum detrahebat, qui ab ea auxilium non committendi peccata tollebat, ut dictum est. Præterea docebat fidem in Christum, voluntate per evangelii prædicationem excitata, viribus naturæ elicitam provocare quidem Dei misericordiam ut peccata hactenus admissa gratis condonet, ceterùm recordatione illius remissionis semel adeptæ voluntatem hominis opera legis studiosè exercentem posse restituere se à lapsu & perfectam justitiam colere. Remissionem autem illam in sola peccatorum relaxatione constituebat & favore Dei externo, non in caritate in cordibus diffusa, ut docuit Augustinus; qui rectè adversùs Pelagium disputat, si fides naturæ viribus acquiratur, ipsaque fides remissionem impetret, hanc non omnino citra ulla merita dari, ut tradebat Pelagius victus Apostoli auctoritate docentis hominem justificari gratis. Vnde sequebatur primum illud Pelagii dogma de fide naturæ viribus adepta, esse falsum. Vt autem hoc gratiæ genus meliùs aperiatur, sciendum est duplicem ab eis gratiam constitutam, alteram quæ extrinsecus oblata menti, voluntatem illiciat, quæ libero

arbitrio sit veluti magistra, seque per cohortationes, per legem, per doctrinam, per creaturam, per contemplationem, per miracula, per terrores extrinsecus judicio ejus ostendat; quò unuquisque secundùm voluntatis suæ motum, si quæsierit, inveniat, si petierit, accipiat, si pulsaverit, inveniat: quia scilicet gratiæ ipsius vocatio hoc primum circa nos agat ut nostræ facultatis arbitrium admoneat, nec aliud sit gratia quàm lex, quàm propheta, quàm doctor, ut loquitur Prosper ad Ruffinum. Quæ quidem auxilia à Deo conferri dubium non est. Sed quæ sequuntur, damnabuntur in doctrina Pelagii, nempe *ut qui* sic edocti *voluerint credant, & qui crediderint, justificationem merito fidei & bonæ voluntatis acquirant*, ut loquitur idem Prosper. Hanc gratiam justificationis per fidem in Christum in baptismo conferri aiebant; de qua Iulianus apud Augustinum libro primo operis imperfecti: *Hæc ergo gratia, quæ in baptismate non solùm peccata condonat, sed cum hoc indulgentiæ beneficio & provehit & adoptat & consecrat, hæc inquam gratia meritum mutat reorum, non liberum condit arbitrium.*

IV. Præter gratiam remissionis, aliam quoque Pelagius admittebat qua Deus interiore mentis illustratione cordis ocu-

los aperit, ut sciat homo quid fugiendum, quid amplectendum, sed qua nihil in voluntate efficit ut homo agere valeat. quam gratiam his verbis exponit apud Augustinum libro primo de gratia Christi cap. VII. *Adjuvat enim nos Deus per doctrinam & revelationem suam, dum cordis nostri oculos aperit, dum nobis, ne præsentibus occupemur, futura demonstrat, dum diaboli pandit insidias, dum nos multiformi & ineffabili dono cœlestis gratiæ illuminat. Qui hæc dicit, gratiam tibi videtur negare? An & liberum hominis arbitrium & gratiam Dei confitetur?* Et capite decimo eandem gratiam à Pelagio commendari dicit qua *Deus futuræ gloriæ magnitudine & præmiorum pollicitatione succendit, dum revelatione sapientiæ in desiderium Dei stupentem suscitat voluntatem, dum nobis suadet omne quod bonum est.* Quare gratiam profitebantur quæ mentem illuminaret, non quæ dilectionem inspiraret voluntati. Hunc errorem dispunxit synodus Carthaginensis capitulo quarto: *Cùm enim dicat Apostolus, scientia inflat, caritas verò, ædificat, valde impium est ut credamus ad eam quæ inflat nos habere gratiam Christi, ad eam quæ ædificat non habere; cùm sit utrumque donum Dei, & scire quid facere debeamus, & diligere ut faciamus.*

V. Deinde

V. Deinde Pelagius tum gratiæ illi ſuæ, id eſt, illuminationi mentis, tum etiam gratiæ juſtificationis, id ſolum tribuebat ut juvaret ad faciliùs operandum, ita ut abſque gratia difficiliùs, implere tamen poſſet homo divina mandata. Hæc ſunt Pelagii verba apud Auguſtinum libro primo de gratia cap. VII. Deum ait *illis quibus imperavit etiam gratiæ ſuæ auxilium ſubminiſtrare, ut quod per liberum homines facere jubentur arbitrium, faciliùs poſſint implere per gratiam.* Quem impii hominis errorem ſynodus Carthaginenſis damnavit anathemate capitulo quinto, ubi docet Pelagium iſta intellexiſſe etiam de illa quam docebat juſtificationis & remiſſionis gratia. quæ ſanè illius etiam opinione munificentior erit quàm mentis illuminationes quæ extrinſecus adveniebant.

VI. Poſſet mirari aliquis cur in capitulo tertio damnetur opinio Pelagii docentis gratiam juſtificationis ad peccatorum remiſſionem valere quæ jam commiſſa ſunt, non etiam ad adjutorium ut non committantur, contraria autem opinio hoc capitulo illi tribui videatur ut gratia iſthæc conferat ad faciliùs operandum. Imò verò docebat Pelagius diſertè gratiam juvare ad reſiſtendum diabolo, quod

idem est ac si diceret, ad peccata non committenda. Hæc sunt illius verba apud Augustinum libro primo de gratia cap. XL. *Subditi simus Deo, ejusque faciendo voluntatem, divinam mereamur gratiam, ut facilius nequam spiritui spiritus sancti auxilio resistamus.* Ad quæ istæc adnotat Augustinus: *In quibus ejus verbis certè manifestum est ita eum velle nos adjuvari gratia spiritus sancti, non quia sine illo etiam per solam naturæ possibilitatem non possimus resistere tentatori, sed ut facilius resistamus.*

VII. Dicendum est Pelagium initio detraxisse gratiæ remissionis vires resistendi peccatis, deinde verò catholicorum querelis exagitatum, ut invidiam tam novi & pernicioſi dogmatis amoliretur, hoc verbo negotium temperasse, dari gratiam ut faciliùs operetur homo & tentationi resistat. Ceterùm qui sub ea voce latebat dolum synodus detegit, nempe significari sine isto auxilio voluntatem bonum agere posse. Quod damnat Concilium; eaque damnatio coincidit cum ea quæ inferenda est capiti tertio, qua docemur gratiam justificationis dari in adjutorium, non tantùm ut faciliùs vitemus peccata, sed absolutè ut vitemus, quoniam absque subsidio gratiæ non potest liberum arbitrium resistere tentatori nec concupiscen-

tiæ libidinibus. Quare tertio capitulo gratiæ necessitas docetur ad agendum; isto verò Pelagii astutia detegitur & damnatur, qui auxilium illius admittebat ad faciliùs agendum.

VIII. Restat ultimum Pelagianæ hæreseos dogma, quod tribus capitulis synodi confoditur, nempe sanctos & justos esse sine peccato. Sanè Hieronymus in epistola ad Ctesiphontem docet Pelagium initio dixisse posse hominem sine peccato esse si velit, quod ille cùm principio ita sentiret & palam profiteretur, quosdam fuisse & etiamnum esse perfectos qui peccato prorsùs carerent, cùm ea res invidiam illi crearet, eò confugit ut posse, si vellet, hominem sine peccato esse diceret, non tamen aut esse aut fuisse quemquam ejusmodi posse in natura; velle in arbitrio, esse in effectu locabat; *& possibilitatis acceptæ confessione laudari Deum, qui hoc posse largitus est, nec esse ibi ullam laudandi hominis occasionem ubi solius Dei causa tractatur. Non enim de velle aut esse, sed tantummodo de eo quod potest esse differri*; ut loquitur Pelagius apud Augustinum lib. 1. de gratia cap. 1v.

IX. Ceterùm cùm versutus iste arcana doctrinæ suæ per vafritiem publicè dissimulata discipulos suos clanculùm doc-

ret, ut teſtatur Hieronymus, neceſſe eſt ut impeccantiæ iſtius dogma ſuorum auribus inſuſurrarit. Alioqui, niſi hoc foret, & niſi jam fœdus error vulgò ab hæreticis ſpargeretur, fruſtra laboraſſent Africani patres in damnatione eorum qui dicerent ſanctos & juſtos eſſe abſque peccato. Quod falſum eſſe probant capitulo ſexto, teſtimonio Ioannis in epiſtola prima: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* Idem conficiunt capitulis ſeptimo & octavo, teſtimoniis Iacobi Apoſtoli, Salomonis, & Danielis adductis, & ipſis quoque orationis dominicæ verbis graviter expenſis. Sanè Auguſtinus hunc Pelagianis errorem tribuit libro quarto contra duas epiſtolas Pelagianorum cap. 1v. *Dicunt ſanctos in hac vita non habuiſſe peccatum, & ſic evacuatur oratio quam ſanctis tradidit qui non habebat peccatum & per quem ſanctis orationibus dimittitur omne peccatum.*

X. Alius erat ejuſdem Pelagii error, cùm diceret poſſe hominem eſſe abſque peccato, ſi velit. Attamen, ut animadvertit Auguſtinus, non ex eo præcisè condemnata eſt Pelagiana hæreſis quòd hominem ſinè peccato poſſe eſſe defenderet. *Nam qui dicunt eſſe poſſe in hac vita hominem ſine peccato*, inquit, *non eſt eis continuò*

Auguſt. lib. 1. de peccat. mer. c. 6.

incauta temeritate obsistendum. Si enim esse posse negaverimus, & hominis libero arbitrio, qui hoc volendo appetit, & Dei virtuti vel misericordiæ, qui hoc adjuvando efficit, derogabimus. Itaque posse esse confitetur sine peccato per Dei gratiam & liberum arbitrium; tametsi non esse confiteatur, eò quòd scriptura neminem sine peccato esse testetur. Quamquam Hieronymus libro primo contra Pelagianos, ex eo quòd nemo unquam sine peccato fuit, ne posse quidem esse quemquam arbitratur. quod de ordinaria potentia intelligendum est. Itaque Pelagiana hæresis in eo consistit, tum quòd clanculùm docebat sanctos & justos esse quosdam eo sanctitatis gradu ut sine peccato sint, tum etiam quòd ita posse perveniri ad illum statum aiebat viribus. liberi arbitrii ut minimè esset necessaria gratia Christi. Quamquam subdolè addebat id non contingere absque Dei gratia. Sed qualem intelligeret gratiam patet ex antecedentibus. *Augustin. ibid. c. 7.*

XI. Ex jis quæ disseruimus manifestum fit damnatum à synodo fuisse quod in Pelagii commentis hæresim olebat, prætermissis aliis capitibus quæ non abhorrebant à sana doctrina; quale est de liberi arbitrii definitione, de auxiliis vo-

luntatis. Certum quidem est Pelagium sanam integramque putasse naturam hominis nulla originali labe infectam & debilitatam, quæ in potestate haberet tam bonum velle quàm malum, nec præsidiis gratiæ egeret ut agere rectè posset. Libertatem arbitrii dicebat Iulianus Pelagianus, teste Augustino libro primo contra Iulianum operis imperfecti, in admittendi peccati & abstinendi à peccato possibilitate consistere & in quadam indifferentia ad plura. Hoc nullibi refellit Augustinus. Sed *liberum in hominibus esse arbitrium utrique dicimus*, inquit. *Non hinc estis Cœlestiani & Pelagiani.* Quid autem in doctrina Pelagiana de libero arbitrio reprehendendum esset addit: *Sed si quis ad colendum rectè Deum sine ipsius adjutorio dicit esse in hominibus liberum arbitrium, & quisquis ita dicit Deum nascentium conditorem ut parvulorum neget à potestate diaboli redemptorem, ipse Cœlestianus & Pelagianus vocatur.* Quare non audiendi sunt recentiores quidam, qui proprietatem & naturam liberi arbitrii qualem Pelagiani definiebant, scilicet in illo indifferenti statu, inter hæretica decreta non satis bona fide percensent contra veterum mentem, Hieronymi, Augustini, & synodi Carthaginensis, qui litem nullam ea de re

Augustin. lib. 2. de nupt. c. 3.

Pelagianis moverunt, quos auctores hujus doctrinæ scirent non esse, sed illos eam ex communi Ecclesiæ sensu hausisse.

XII. Legis magisterium atque doctrinam prophetarum, evangelii predicationem, exemplum Christi, gratiam justificationis, quæ peccata condonat in baptismo, adoptat & consecrat, adjumenta & beneficia tum extrinsecus advenientia, tum interiores mentis illuminationes à spiritu sancto profectas docebat & admittebat Pelagius. Sed ea omnia rectè instituendæ vitæ auxilia non damnavit Concilium Carthaginense, quoniam à regula catholicæ fidei non erant aliena. Præclarè autem dixit Cyrillus Alexandrinus in commonitorio: *Non omnia quæ dicunt hæretici fugere ac detrectare oportet. Multa enim asserunt ex iis quæ & nos ipsi profitemur.* Quippe, ut observat Gregorius Papa, *habent hoc hæretici proprium ut malis bona permisceant, quatenus facilè sensui audientis illudant.* Gregor. lib. 5. Moral. c. 10.

XIII. Quæcunque autem perversa & à veritate fidei Christianæ abhorrentia docebant Pelagius & ejus sectatores, anathemate confixa sunt à patribus Africanis. Mortem inflictam Adamo in peccati pœnam, traductam in ejus posteros originalis peccati labem negabant. Gratiæ

necessitatem in adjutorium voluntatis, ut peccata vitare possit & mandata divina implere, non fatebantur. Sanctos esse sine peccato, adversantibus scripturis, tectè & subdolè secreti sui conscijs tradebant. Hæc sunt falsa & hæretica dogmata ex quibus præcipuè conflatum erat sectæ illius corpus, quæ damnata sunt à patribus Africanis.

XIV. De vita æterna & regno cœlorum quod docuit, gratiam esse, nec crimini vertit Augustinus neque synodus Carthaginensis, nisi quatenus eam comparari per sanctitatem docuit, quæ post adeptam gratuitò justificationem per fidem in Christum, naturalibus arbitrii viribus absque gratiæ cooperantis necessitate per bonorum operum incrementa exercetur. Vnde prædestinasse Deum ait filios *quos futuros sanctos immaculatosque præscivit. Vtique ipse non fecit, nec se facturum sed illos futuros esse præscivit*; ut loquitur Pelagius apud Augustinum. Caput erroris in eo versatur quòd constantiam illam & perseverantiam in sanctitate in sola liberi arbitrii potestate absque gratiæ necessariis adjumentis constituebat. Quod caput damnatum semel, non erat quòd iterum in explicatione prædestinationis damnaretur à Carthaginensi synodo, quæ spe-

Augustin. lib. de prædest. c. 18. & 19.

cialem de prædestinatione quæstionem attingere noluit ob eas quas inferiùs pandemus illius consilii rationes.

CAPVT XIV.

De Concilio Dioßpolitano & aliis habitis in cauſa Pelagii.

I. CVM autem juxta legum & canonum ordinem nemo de crimine impeti poſſit niſi aliquis accuſationem ſuſcipiat, hinc factum ut in conventu Hieroſolymitano quæ fuerat derelicta cognitio adversùs Pelagium, renuente Oroſio accuſatorem ſe gerere, ſtatim reſtaurata fuerit in ſynodo Dioſpolitana. Hæc à quatuordecim Epiſcopis Palæſtinis anno CCCCXV. in urbe Dioſpoli acta; cui præerant Eulogius Metropolita Cæſareenſis & Ioannes Hieroſolymitanus, qui Pelagii perſonæ favebat. Eros quippe Arelatenſis & Lazarus Aquenſis Epiſcopi Gallicani Palæſtinam advecti, capitulis aliquot ex Pelagii libris collectis, eum libello dato reum detulerunt apud ſynodum illam: quò cùm ſe ad accuſationem proſequendam conferrent, alter eorum morbo implicitus, ut neque ſocius illius, qui curam ægri gerebat, adeſſe potuerunt, ut docet

vetus auctor apud Photium codice LIV. Quare judicium factum est reo tantùm præsente, absentibus ex justa causa & non tergiversantibus accusatoribus. quod non oportuit factum, sed differenda cognitio ex juris ordine. Veruntamen cùm ex libelli editione de crimine objecto constaret, & Pelagius evocatus capitula sibi objecta damnaret anathemate, visum judicibus catholicum pronuntiandum qui catholicam fidem profiteretur & dogma hæreticum abnegaret. Subreptum tamen illis fuit ab homine doloso & veteratore, qui verborum ambiguis strophis virus suum tegens, Episcoporum sententiam à capite suo avertit. quod non accidisset si accusatoribus præsentibus judicium ex more actum fuisset, qui dissimulatorem urgentes, quas nectebat cavillationes solvissent. Judicio ergo ex una parte facto, denuo poterat eadem causa disceptari, nec sententia eo modo lata poterat in rei judicatæ vim transire; præsertim cùm statim de Pelagii dolis, qui subinde detecti sunt, viri pii & eruditi conquesti fuerint. Hinc est quòd Augustinus observat ut rem magni momenti, accusatores ad diem synodi occurrere non potuisse, & illis absentibus, licèt perlecto libello, Pelagium absolutum. *Per idem tempus in oriente, in*

Aug. lib. 2. retract. c. 47.

Syria, Palæstina Pelagius à quibusdam catholicis fratribus ad episcopalia gesta perductus, eisque absentibus qui de illo libellum dederant, quoniam ad diem synodi non potuerunt occurrere, ab Episcopis quatuordecim auditus est; ubi eum dogmata ipsa damnantem quæ inimica gratiæ Dei adversùs eum de libello legebantur, catholicum pronuntiaverunt. Idem auctor iisdem Episcopis libro primo contra Iulianum cap. v. Pelagium *ut homines, nullo ex altera parte urgente adversario, putantes catholicum, tamquam catholicum pronuntiaverunt.* Quare cùm synodus ista Pelagii artibus delusa fuerit, miserabilem synodum Hieronymus eam appellavit; præcipuè cùm post judicium istud Diospolitanum Pelagij fautores in Hieronymum, qui sui tuendi causa ad turrem munitam se recepit, & in ejus monasteria cædibus & incendiis crudelissimè grassati sint, teste Augustino in libro de gestis Pelagianorum. *Hieron. epist. 79.*

II. In his itaque angustiis, hinc Pelagii à synodo absoluti, inde erroris redivivi, quem nec à se ejuratum Pelagius jactabat, inducta nova gratiæ Dei interpretatione, Eros & Lazarus accusatores instaurandum esse judicium arbitrati sunt. Porrò cùm juxta canones Antiochenos major synodus minorem discutere debeat,

certum est Pelagii causam vel apud orientis universi Exarchum, Antiochenum Episcopum, agendam fuisse, vel sanè apud Romanum Pontificem, cùm causa communis esset & universalem Ecclesiam contingeret. Hoc ergo consilium ceperunt, Hieronymo sine dubio auctore, ut per Orosium Presbyterum in Africam redeuntem Episcopos Africanos literis monerent de iis quæ Diospoli gesta erant & de gravi illo discrimine in quo vera fides versabatur ob Pelagii absolutionem præproperè & præposterè factam. Non se contulere Carthaginem, tum quia eorum præsentia necessaria non erat, cùm rei absentes essent, tum quia ex ægritudine nondum erant restituti. Quò alludit Zosimus cùm illis exprobrat iratus quòd otiosi & delicati in lectulis suis resedissent, ut patebit ex loco inferiùs proferendo. Adeundorum Africanorum hic color fuit quòd de hac causa ante quinquennium adversùs Cælestium ea decrevissent quæ absolutione Pelagii subverti videbantur. Veritatis ergo Christianæ tuendæ suique decreti propugnandi causa in hæresim istam Carthagine synodus provinciæ proconsularis coacta sub Aurelio anno CCCCXVI. inquisivit, & statim ejus exemplo synodus quoque Numidiæ Milevi habita, cui interfuit

Augustinus. Vtraque synodus, discusso negotio, relationem misit ad Innocentium Papam, ut ipse sua auctoritate firmaret quod Episcopi censuissent de damnando Pelagio & Cælestio eorumque hæresi.

III. Sanè synodica epistola Concilii Carthaginensis literarum ab Erote & Lazaro missarum per Orosium meminit & judicii Diospolitani; cujus tamen acta nondum ad Africam pervenerant. Non tacent damnationis ante quinquennium adversùs Cælestium hujus erroris complicem à Carthaginensi Concilio latæ decretum. Moxque subjungunt: *Quo recitato, quamvis judicatio manifesta constaret, quia illo tempore episcopali judicio excisum hoc tantum vulnus ab Ecclesia videretur, nihilominus tamen id deliberatione communi censuimus, hujusmodi persuasionis auctores*, Pelagium & Cælestium, *quamvis & ad presbyterium idem Cælestius postea pervenisse dicatur*, (in Asia scilicet, ut docet synodica Concilii Milevitani) *nisi hæc apertissimè anathematizaverint, ipsos anathematizari oportere; ut si ipsorum non potuerit, saltem eorum qui decepti sunt ab eis vel decipi possunt, cognita sententia quæ in eos lata est, sanitas procuretur.* Ceterùm hic admonendus est lector cognitionem quidem adversùs Pe-

lagium & Cæleſtium ab hac ſynodo inſtitutam juriſdictione ordinaria, quæ illos eorumque errores damnandos cenſuit, non autem illa auctoritate privata qua magiſtri placita philoſophorum vel ſectariorum expungere ſolent. Epiſcopi enim quod cenſent in ſynodo, ut judices controverſiæ propoſitæ conſtituunt.

IV. Non diſſimulanda eſt quæ in contrarium promi poteſt objectio, Epiſcopis Africanis nihil competiviſſe juris in Pelagium, nec retractandæ ejus abſolutionis quam impetraverat à ſynodo Dioſpolitana, in quam Concilium Carthaginenſe nullam poterat exercere juriſdictionem. Hoc quidem ultimum certum eſt, cùm illa juriſdictio ſoli Antiochenæ vel apoſtolicæ ſedi competeret. Attamen cùm de Cæleſtio judicium olim ſuſcepiſſet Carthaginenſis ſynodus, poterat in correum ejuſdem criminis Pelagium, ne continentia cauſæ divideretur, inquirere & conſtituere quid agendum videretur; præcipuè cùm de fide mota eſſet quæſtio, quæ omnes tangit, & cujus conſervandæ ſollicitudo omnibus Epiſcopis impoſita eſt. Sed obſervandum eſt temperamentum quod prudenter & neceſſariò adhibent in dijudicando negotio. Iudicant, ſed non pronuntiant. Referunt ad Papam

Innocentium, ut ipſe ſummo jure decernat. Prorsùs eo modo ſe geſſerunt quo ſolebant Præſides provinciarum agere erga Principem, ad quem graviores & difficiliores cauſas referebant, ſententia ſua ad eum cum litis actis tranſmiſſa antequam litigatoribus pronuntiaretur, ut Princeps aut decerneret ipſe, aut quid decernendum à Præſide, reſcriberet. Extant tituli de relationibus & conſultationibus in corpore juris, & earum uſus apud Plinium; quæ duplex illud nomen ſortitæ, quia referebatur ad Principem, & ipſe conſulebatur. Relationum quoque ſynodicarum orientis & occidentis ad Romanam ſedem exempla ſuperſunt; de quibus nos egimus libro primo de concordia ſacerdotii & imperii cap. x.

V. Quare expendenda ſunt ſynodi Carthaginenſis verba. *Cenſuimus*, inquiunt, *anathematizari oportere.* Definiunt quid agendum videatur, ſed non pronuntiant. Id ſummæ ſedi reſervant, cujus auctoritas per univerſam Eccleſiam expanſa porrigitur. Quod docent verba ſequentia. *Hoc itaque geſtum, Domine frater, ſanctæ caritati tuæ intimandum duximus, ut ſtatutis noſtræ mediocritatis etiam apoſtolicæ ſedis adhibeatur auctoritas pro tuenda ſalute multorum & quorundam etiam perverſitate corrigenda.* Eodem

tendit ſynodica Concilii Milevitani, quæ Epiſcoporum culpæ imputandum fore ait ſi quæ ſunt ſuggerenda ſedi apoſtolicæ pro Eccleſiæ commodo tacuerint. Quapropter de nova hæreſi ad Innocentium reſcribunt, ut ipſe paſtoralem diligentiam magnis periculis adhibeat. *Quia te Dominus gratiæ ſuæ præcipuo munere in ſede apoſtolica collocavit, talemque noſtris temporibus præſtitit ut nobis potiùs ad culpam negligentiæ valeat ſi apud tuam venerationem quæ pro Eccleſia ſunt ſuggerenda tacuerimus quàm ea tu poſſis vel faſtidiosè vel negligenter accipere, magnis periculis infirmorum membrorum paſtoralem diligentiam quæſumus adhibere digneris. Nova quippe hæreſis & nimiùm perniciosa tentat aſſurgere inimicorum gratiæ Dei.* adversùs quam deinde copiosè diſputant.

CAPVT XV.

Quid egerit Innocentius I. poſt acceptas Afrorum literas.

I. HORUM Conciliorum mentem Innocentius intellexit, qui reſcripto ſuo ad ſynodum Carthaginenſem eos Epiſcopos laudat quòd antiquæ traditionis exempla ſectantes, ad ſedis apoſtolicæ judicium controverſiam iſtam retuliſſent.

tuliſſent. Proferenda ſunt verba, quæ aliqua indigent interpretatione, *Inquirendo de his rebus quas omni cum ſollicitudine decet à ſacerdotibus, maximè à vero juſtoque & catholico tractari Concilio, antiquæ traditionis exempla ſectantes, & eccleſiaſticæ memores diſciplinæ, veſtræ religionis vigorem non minùs nunc in conſulendo quàm antea cùm pronuntiaretis veneratione firmatis, qui ad noſtrum referendum approbaſtis eſſe judicium, ſcientes quid apoſtolicæ ſedi (cùm omnes hoc loco poſiti ipſum ſequi deſideremus Apoſtolum) debeatur, à quo ipſe epiſcopatus & tota auctoritas nominis hujus emerſit.* Ex duplici capite eos laudat, tum quòd olim in hac cauſa pronuntiaſſent, nempe adversùs Cæleſtium, tum quòd nunc venerationem debitam ſedi apoſtolicæ conſervent, eam conſulendo, & omnia ad ejus referendo judicium. Quam quidem venerationem etiam cùm adversùs Cæleſtium pronuntiarent cuſtodiſſe teſtatur Innocentius. Quod ſignificat eadem ſententia conſtitutum ut geſta ad ſedem apoſtolicam mitterentur pro more in cauſa communi totius Eccleſiæ obſervari ſolito; quem à Dioſpolitanis judicibus omiſſum miratur Innocentius, ut ſtatim patebit. Referendo autem ad ſedem apoſtolicam, *patrum inſti-*

tuta custodisse illos asserit, *quæ illi non humana sed divina decrevere sententia, ut quicquid quamvis de disjunctis remotisque provinciis ageretur non priùs ducerent finiendum nisi ad hujus sedis notitiam perveniret, ut tota hujus auctoritate justa quæ fuerit pronuntiatio firmaretur, indeque sumerent ceteræ Ecclesiæ quid præcipere* & quid vitare deberent.

II. Vt autem manifestius sit discussam fuisse ab Episcopis quæstionem, hæresim quoque damnatam, sed nondum promulgatam sententiam, quæ decreto sedis apostolicæ proculdubio egebat ut omnes teneret, addit: *Gratulor igitur, fratres carissimi, quòd per fratrem & coëpiscopum nostrum Iulium literas ad nos destinastis; & cùm pro illis curam geritis quibus præsidetis Ecclesiis, sollicitudinem vestram pro omnium utilitate monstratis, & per cunctas totius orbis Ecclesias quod omnibus prosit decernendum esse unà deposcitis; ut suis constabilita regulis Ecclesia, & hoc quod illos caveat, pronuntiationis justæ firmata decretalibus patere non possit, qui perversis instructi imò destructi verborum argutiis, sub imagine catholicæ fidei disputantes, totam veri dogmatis quærunt evertere disciplinam.* Qui locus integer describendus fuit ut ostenderetur Africanos rem discussisse & quid decernendum esset ab Innocentio popposciisse, ut universa Ecclesia generali

constituto ſtabiliretur. Interim corrigenda ſunt verba quæ in omnibus exemplaribus perversè leguntur, & ſic reponendum: *Vt ſuis conſtabilita regulis Eccleſia & habeat quo illos caveat, & pronuntiationis juſtæ firmata decretalibus, patere non poſſit iis qui &c.* Ceterùm quemadmodum decreta Principis dicebantur quæ cognitione habita controverſiam dirimebant, ſic quoque Romani Pontifices ſua reſcripta, quibus aliquid in perpetuum & generaliter conſtituebatur, decreta & decretalia vocavere. Vnde Siricius in epiſtola ad Himerium ait miſſa ad provincias à Liberio prædeceſſore ſuo generalia decreta. Et idem Innocentius decretalia conſtituta appellat.

III. Vt autem Innocentii religio manifeſtiùs inſtrueretur, Aurelius, Alypius, Auguſtinus, Evodius, & Poſſidius Epiſcopi epiſtola familiari eum monuerunt Pelagii cauſam à pluribus in urbe foveri, Dioſpolitanam ſynodum ab eo deluſam ambigua gratiæ ſignificatione. Tum Pelagii librum miſerunt à Iacobo & Timaſio adoleſcentibus, illius quondam diſcipulis, ſubminiſtratum, in quo gratiam conditionis agnoſcit, non gratiam Chriſti: cui reſponderat Auguſtinus altero libro, nempe *De natura & gratia*, quem Inno-

centio simul transmisere. *Signa fecimus his locis*, inquiunt, *ubi petimus inspicere non graveris quemadmodum sibi objecta quæstione quòd gratiam Dei negaret, ita respondit ut eam non diceret nisi naturam in qua nos condidit Deus.* Instructo probationibus negotio, adjiciunt quoque consilium suum, ut aut Pelagium evocet Romam, aut cum eo literis agat ut respondeat quam intelligat gratiam.

IV. Innocentius tam atroci quæ Christi gratiæ fiebat injuria commotus, post longam disputationem duo quædam constituit rescriptis suis ad utramque synodum datis. Ac primò quidem nefarium dogma Pelagii condemnat ut regulæ fidei contrarium. *Quisquis ergo huic assentiens videtur esse sententiæ, quo dicat adjutorio nobis non opus esse divino, inimicum se catholicæ fidei & Dei beneficiis profitetur indignum*, inquit in epistola ad synodum Carthaginensem. Deinde auctores hæreseos à communione separat donec resipiscant, quos nominatim appellat in rescripto ad Concilium Milevitanum. *Quare Pelagium Cœlestiumque, id est, inventores vocum novarum, quæ, sicut dicit Apostolus, ædificationis nihilum sed magis vanissimas consueverunt parere quæstiones, ecclesiastica communione privari apostolici vigoris auctoritate censemus donec resipiscant à*

diaboli laqueis, à quo captivi tenentur ſecundùm ipſius voluntatem, eoſque interim dominico ovili non recipi quoad ipſi perverſæ viæ quam ſecuti ſunt tramitem deſerere voluerint.

V. Porrò epiſtolæ quoque Epiſcoporum quinque reſpondit, neſcire ſe an in urbe ſint qui Pelagii doctrinæ faveant, ſaltem latere, nec ſimilia jactare. Quod attinet ad purgationem Pelagii in oriente actam, habere ſe quidem ait geſta epiſcopalia à laicis hominibus ad ſe perlata, ſed dubitare an vera ſint, *quòd ſub nulla illius Concilii proſecutione venerunt, nec eorum aliquas accepimus de hac re literas apud quos iſtius rei iſte præſtitit cauſas. Quòd ſi de ſua illa potuiſſet purgatione confidere, hoc magis credimus quòd egiſſet quod multò verius eſſe poterat, ut illos cogeret epiſtolis ſuis quid judicaverant indicare.* Nullam actorum ſynodi Dioſpolitanæ rationem habet, quoniam Epiſcoporum relatione (ut debuit, cùm de cauſa communi ageretur) de iis certior factus non eſſet. Præterea verò hanc adjungit cauſam, nempe quòd ex geſtorum lectione pateat judicibus ſubreptum fuiſſe per cavillatorias Pelagii reſponſiones; atque adeo *aliqua magis falſis argumentis*, inquit, *quàm vera ratione, ut ad tempus videri poterat, purgavit, alia negando, alia falſa interpretatione vertendo.* Quare rectè con-

cludit, ne judicum gravitatem lædat, nec suæ auctoritati detrahat, totumque damnationis pondus refundat in reum: *Vnde non possumus illorum nec approbare nec culpare judicium*, (quod alioqui in ejus potestate situm erat, qua statim utitur) *cùm nesciamus utrum vera sint gesta, aut si vera sunt, illum constet magis subterfugisse quàm se tota veritate purgasse.* Illum itaque non habet pro absoluto & purgato ab accusatione quam Episcopi Gallicani instituerant, etsi à synodo Diospolitana absolutus fuisset.

VI. Noluit autem Innocentius Pelagium evocare Romam aut cum eo per literas agere, ut monebant quinque Episcopi, sed suo ipsius libro convictum communione privavit. Nefas putabit aliquis & alienum à judiciorum ordine, inauditum hominem damnare. Sed si quis expendat veterem usum, inveniet sceleris alicujus, homicidii puta, per testes convictum, statim communione abstentum, nulla admonitione prævia qua vocaretur ad se purgandum; ut censura illa coactus, ad Episcopum accederet, aut innocentiam suam probaturus, aut confessione crimen agnoscens, beneficium pœnitentiæ petiturus. Quod tanto accuratiùs observandum erat in hæreseos crimine quanto di-

ligentiùs est huic morbo occurrendum. Rectè itaque & juxta vetustum illum morem subjungit Innocentius de Pelagio loquens : *Qui si confidit, novitque non nostra dignum damnatione quòd dicat jam hoc se totum refutasse quod dixerat, non à nobis accersiri, sed ipse debet potiùs festinare ut possit absolvi*, scilicet ab excommunicatione qua nunc illum Innocentius percellit, non ab aliqua anteriore quam Baronius commiscitur.

VII. Ex iis quæ retuli patet primam quæ Pelagio inflicta est damnationem ab apostolica sede processisse. Addo etiam ab eadem sede primùm Pelagii atque Cælestii illius discipuli dogma proscriptum, tamquam fidei catholicæ contrarium, generali decreto. Sanè Carthaginensis synodus anno CCCCXII. repulit Cælestium à presbyterio & ab Ecclesiæ communione quòd errores illos spargeret. Sed hæc erat privata in eum hominem censura, quam ille appellatione ad Romanam sedem se eluisse putabat ; ipsique adeo Africani ad eam referendum tunc quoque censuerant ; à qua proinde totius rei definitio expectabatur. Itaque Prosper non immeritò Romanæ sedi primam Pelagianæ hæreseos damnationem tribuit his versibus in carmine Dei ingratis.

Peſtem ſubeuntem prima recidit
Sedes Roma Petri, quæ paſtoralis honoris
Facta caput mundo, quicquid non poſſidet armis
Relligione tenet. Non ſegnior inde orientis
Rectorum cura emicuit.

Hic agitur de damnatione ab Innocentio edita, & de nulla alia; ne quis cum Baronio referat ad ſententiam Siricii adversùs Iovinianum; qui licèt Pelagio præviſſe videri poſſet teſte Hieronymo, hic tamen de ipſa Pelagiana hæreſi loquitur Proſper, & de judicio Innocentii, quod poſtea Zoſimus ſecutus eſt. Vnde ad Innocentii, non autem ad Zoſimi decretum hæc verba referre oportet, ut putabat M. Antonius Capellus. Ceterùm Innocentius *Pelagianam hæreſim primus condemnavit*; ut loquitur Facundus Hermianenſis, & rei geſtæ ſeries oſtendit.

Facund. lib. 7. c. 3.

VIII. Enimverò non leve viris eruditis negotium faceſſit quod ſubjungit Proſper, Palæſtinorum Epiſcoporum in oriente judicio, id eſt, ſynodi Dioſpolitanæ, dogma quoque Pelagianum condemnatum. quod cùm actum fuerit anno CCCCXV. & reſcripta Innocentii ad ſynodos Africanas promulgata ſint anno CCCCXVII. primi videntur Epiſcopi illi hac de re decreviſſe. Sed facilis eſt reſponſio. Pelagium illi non condemnarunt, abſol-

verunt per ignorantiam facti; & quamvis gratiam Christi probarent, seque illius vindices gererent, non damnavere ignotos sibi per Pelagii versutiam errores. Eorum itaque cura profuit Ecclesiæ ad asserendam gratiam, sed nullo eorum decreto hæresis ignota proscribi disertè potuit.

IX. Gravior est quæ procedit ex unico apud Prosperum verbo difficultas, à qua se eruditissimus Petavius expedire non potuit. Videtur enim significare, post damnatam Pelagii hæresim, in oriente Palæstinos Episcopos judicasse, *Inde orientis rectorum cura emicuit*, cùm certum sit judicium Diospolitanum antecessisse duobus annis Romani Pontificis decretum. *Inde* hoc in versu non tempus, ut putant, sed locum significat. Scribebat Prosper in occidente, & habita ratione climatum ait, *Inde orientis rectorum cura emicuit*; ac si diceret: *Hinc* in occidente pestis adversùs gratiam recisa est, & *Inde* in oriente ejus quoque rei curam gesserunt Episcopi Palæstini.

CAPVT XVI.

Quid post Innocentium Papam egerit in eadem causa Zosimus illius successor.

I. DAMNATIO ab Innocentio irrogata Pelagium atque Cælestium commovit adeo ut ambo sedi apostolicæ facti sui rationem dare sategerint, Pelagius quidem scriptis ad Innocentium ex Palæstina literis, quæ successori ejus Zosimo traditæ sunt. Cælestius verò Romam adiit, Zosimoque se purgare voluit, libello de fide sua edito: cujus verba cùm veram fidem de gratia redolerent, non tam de dogmate quærendum videbatur quàm de Cælestii absolutione, qui præpropera & præfestinata cognitione ab Africanis Innocentio subrepentibus fervore fidei oppressus existimabatur à Zosimo, ut ipse testatur in epistola ad Africanos data. Non esse locum conjecturæ ait an bene sentiret Cælestius, cùm ejus verba manifesta extarent inserta gestis habitis in basilica sancti Clementis, ubi cognitio ea de re instituta est à Zosimo. Addit ab ipsis Africanis Episcopis in hac causa, quando præsens Cælestius Carthagine auditus est, nihil liquidò judicatum.

Quod autem attinet ad literas Erotis & Lazari, eas fidem non facere, quòd absentibus adversùs absentem fides adhiberi non debeat, tum etiam quòd vix Cælestio cogniti, nullum de talibus contentionibus cum eo sermonem habuissent. Deinde quòd eorum testimonium admitti non debeat qui ordinationibus inordinatis, clero & plebe contradicente, *cùm alienigenæ intra Gallias sacerdotia vendicassent*, illis pulsi fuissent, & gradu atque communione à Zosimo summoti. Quare videri retorquendum in melius judicium. Attamen ne præcox & immaturum procederet, constituit ad Africanos gesta cum literis suis transmittere; præcipitque *intra secundum mensem aut venire qui præsentem redarguant aliter sentire quàm libellis & confessione contexuit*, *aut nihil, post hæc tam aperta & manifesta quæ protulit, dubii sanctitas vestra resedisse cognoscat.*

II. Statim post datam priorem illam epistolam lectæ sunt Pelagii literæ coram Zosimo, quas ad decessorem illius Innocentium scripserat; quæ Praylii Episcopi Hierosolymitani, qui Ioannis successor erat, astipulatione nitebantur. Illis fidem absolutam de gratia sine fuco profiteri visus est, adeo ut miraretur Pontifex talem

virum infamari potuisse. Qua de re gravius cum Africanis secunda epistola expostulat, & acrius in accusatores Erotem & Lazarum invehitur, velut in procellæ istius auctores, & sacerdotiis suis multatos, quibus propterea fides adhiberi non debeat. Neque porrò credendum adolescentibus Timasio & Iacobo, qui scripta quædam velut Pelagii prodiderant. Præstò esse reos sedrapostolicæ, abesse accusatores illos, imò verò nec præsentes fuisse quando judicium prius latum est. Nihil agi nisi præsens reus præsentibus accusatoribus arguatur, maturè agitanda esse judicia, quam in rem multa congerit. Tandem exemplaria scriptæ professionis quam Pelagius miserat ad Africanos transmittit, ut de absoluta ejus fide gaudium capiant.

III. Vbi observanda sunt duo. Zosimum binis istis literis nullam & invalidam fuisse relationem Concilii Carthaginensis ostendit, quia nimis præproperè facta, reis nec præsentibus nec per scripta saltem auditis, absentibus accusatoribus, contra judiciorum ordinem; præcipuè cùm adversùs personam accusatorum, scilicet Erotem & Lazarum, excipi posset eos non esse admittendos ob crimina perpetrata & gradus communionis-

que jacturam ; nec credendum duobus adoleſcentibus Iacobo & Timaſio. qua relatione ſubverſa, ſequebatur Innocentii damnationem, quæ illi innixa erat, eſſe nullam ; licèt de illa in Zoſimi literis altum ſilentium. Quamvis nec cognitionis quoque ab Innocentiæ factæ vitium omnino diſſimulet, quod conſtituit præcipuè in accuſatorum abſentia. Quò tendunt hæc verba: *Grave fuit Lazaro & Eroti literarum ſuarum pediſſequos eſſe.* ſcilicet accedendo Romam aut Carthaginem. *An neſciebant dilectionem veſtram ad ſedem apoſtolicam relaturam ? Huc certo calumniæ compendio navigaſſent. Vbi de epiſcopatu abdicando agitur*, id eſt, de ſubmovendis Erote & Lazaro, *maria terraque luſtrantur, nec ulla ſuffragia prætermittunt. Vbi verò innocentium fama percellitur, otioſi & delicati ſive accuſatores ſive teſtes (In utroque enim fallentibus nomen infame eſt) in cubilibus & lectulis ſuis literis abutuntur, & totam Africam univerſumque tranquillum catholicæ ſerenitatis innubilant ad libidines ſuas duæ peſtes.* Non erat tamen quòd tam graviter excandeſceret Zoſimus ob ſententiæ invaliditatem. Duplex enim erat excommunicationis genus ; alterum quod poſt interrogationem reo legitimè convicto aut etiam confeſſo infligebatur, quo uſus tandem

ipse Zosimus, ut mox dicam, adversùs Pelagium & Cælestium; alterum quo reus probationibus pressus, communione summovebatur donec innocentiam suam purgaret. Quo secundo genere usus est Innocentius adversùs eosdem novatores. Quæ distinctio controversiam istam componit.

IV. Ceterùm quod observandum secundò dixeram positum est in expendenda Zosimi de Pelagio & Cælestio opinione, quos ille sanæ fidei & *absolutæ*, ut loquitur, esse putabat & injuriosè vexatos, cùm disertis verbis gratiæ adjutorium profiterentur, nondum deprehensa versipellium hominum astutia & nova gratiæ interpretatione, & adderent libellis suis, *si minùs peritè aut parum cautè aliquid fortè positum esset, emendari cupere* à Zosimo, *qui Petri fidem & sedem teneret.* quæ est ultima clausula professionis Pelagii.

V. Acceptis Pontificis literis, Africani Concilio CCXIV. Episcoporum apud Carthaginem coacto liberiùs conquesti sunt quòd eos homines tueretur qui semel damnati non poterant judicium restituere nisi disertissimè errores à se olim professos configerent. Implexas demum istius scenæ strophas aperiunt, & petitionibus Cælestii atque Pelagii ad se missis respondent; ut patet ex epistola sequente

Zosimi. Ex hac epistola, qua caremus, desumpta sunt verba quæ Prosper citat adversùs collatorem: *Erraverunt ducenti quatuordecim sacerdotes, qui in epistola quam suis constitutionibus prætulerunt ita apostolicæ sedis antistitem beatum Zosimum sunt allocuti: Constituimus in Pelagium atque Cælestium per venerabilem Innocentium de beatissimi Petri sede prolatam manere sententiam, donec apertissima confessione fateantur gratiam Dei per Jesum Christum, non solùm ad cognoscendam, verùm etiam ad faciendam justitiam, nos per actus singulos adjuvare, ita ut sine illa nihil veræ sanctæque pietatis habere, cogitare, dicere, agere valeamus.* Sanè Zosimus tantisper quoque accensus est, ac si de apostolicæ sedis privilegio, quo ex divina promissione & canonica auctoritate potiri se ait ut de illius sententia nullus retractare possit, aliquo modo detraherent. Et tandem docet epistola sua ad Aurelium & ceteros qui in Concilio Carthaginensi adfuerant data se nihil immutasse, sed in eodem statu reliquisse cuncta donec Africanorum literis in commune consuluisset: quia, ut ait ille, *nunquam temerè quæ sunt diù tractanda finiuntur, nec sine magna deliberatione statuendum est quod summo debet disceptari judicio.*

VI. Ac certum quidem est ex Augu-

stino lib. 11. de peccato orig. cap. VII. Cælestium, licèt falsis suggestionibus Pontifici obrepentem, nunquam excommunicatione solutum fuisse. Zosimus quippe consulere cum Africanis voluit; non quasi nesciret quid fieri deberet; *sed pariter vobiscum voluimus*, inquit, *habere tractatum de illo qui apud vos, sicut ipsi per literas dicitis, fuerit accusatus, & ad nostram, qui se assereret innocentem, non refugiens judicium, ex appellatione pristina venerit sedem, accusatores suos ultro deposcens, & quæ in se crimina per rumorem falsò dicebat esse illata condemnans.*

VII. Africanorum literis, quibus adjunctus erat libellus Paulini Diaconi adversùs Cælestium olim oblatus, plenissimè instructus Pontifex, fraudem & impostruram Pelagii atque Cælestii detexit. Quod probat insignis Facundi Hermianensis locus: *Invenient postremò beatum quoque Zosimum apostolicæ sedis antistitem contra sancti Innocentii decessoris sui sententiam, qui primus Pelagianam hæresim condemnavit, fidem ipsius Pelagii ejusque complicis Cælestii, quem in Ecclesia Carthaginensi convictum atque appellantem apostolicam sedem & ipse gestis discusserat, tamquam veram & catholicam laudantem, insuper etiam Africanos culpantem Episcopos quòd ab illis hæretici crederentur,* cùm

Facund. lib. 7. c. 3.

cùm necdum ipsi Africanis Episcopis dolos eorum multò manifestiùs detegentibus, memoratos Pelagium & Cælestium putaret orthodoxos. Et tamen nec Athanasium nec Damasum nec illos Palæstinos Episcopos & Zosimum hæreticos credit Ecclesia, quia de hæreticis bene senserant, sed potiùs pro merito suæ fidei catholicos judicat & honorat; quoniam non debet crimini deputari simplicium non intellecta versutia mælignorum.

VIII. Quare Zosimus, propalata sibi hæreticorum fraude, accersitum Cælestium, cùm se subtraheret examini, nolletque respondere Paulini libello, atque Pelagium ejusdem criminis reum decreto suo damnavit, teste Augustino libro secundo contra duas epistolas Pelagianorum cap. III. & IV. Id factum intervallo ipso quod est inter diem XXI. Martii anni CCCCXVIII. (qua data est epistola Zosimi ad Africanos) & diem XXIX. Aprilis, qua eadem epistola accepta est. Quod constat ex edicto Honorii adversùs ambos lato pridie Kalendas Maias. Neque enim proscripti essent Principis decreto pendente cognitione de eorum fide apud Pontificem, sed post sententiam adversùs eos à Zosimo decretam, cùm in his rerum articulis leges Principum non antecedant judicia ecclesiastica, sed subse-

quantur, eaque muniant auctoritate publica, & pœnis legum reos coërceant.

IX. Interim Carthagine coactum est aliud plenarium Concilium ducentorum decem & septem Episcoporum ipsis Kalendis Maiis, quod Zosimi literas, quas acceperant tertio Kalendas Maias, perpendens, cùm in suspenso videret Cælestii causam privatam, ne publica & communis, quæ universam Ecclesiam contingebat, quia nondum satis explicata fuerat, adversariorum cavillationibus in discrimen adduci posset, constituit octo canones quibus fidem veram explicat & hæresim robustè conficit. His constitutionibus à se nunc editis Africani prætulerant epistolam Concilii præcedentis, ut loquitur Prosper, id est, ante aliquod tempus miserant Romam; nunc autem synodalia decreta seu canones octo àse editos in hoc Concilio CCXVII. Episcoporum ad Zosimum dirigunt, quos ille anno eodem CCCCXVIII. edicto generali probavit; sicque per universum orbem Christianum hæresis Pelagiana damnata est. Hæc sunt ad eam rem probandam verba Prosperi in chronico anno CCCCXVIII. *Concilio apud Carthaginen habito ducentorum decem & septem Episcoporum, ad Pontificem Zosimum synodalia decreta perlata sunt; quibus probatis, per to-*

tum mundum hæresis Pelagiana damnata est.

X. Hunc ergo ordinem secutus est Zosimus in cognitione ista. Libello Cælestii literisque Pelagii receptis, monuit Africanos per binas literas datas mense Octobris anni CCCCXVII. ut mitterent aliquos intra secundum mensem qui reos istos peragerent. Anni sequentis exordio Concilium Carthagine cogitur CCXV. Episcoporum, quod amplissima epistola ad Zosimum scripta fraudes hæreticorum detegit. Eam se recepisse testatur Zosimus epistola quam dedit XXI. Martii anni CCCCXVIII. ad Aurelium & ad ceteros qui affuerunt Concilio Carthaginensi. Vnde patet prius Concilium solutum fuisse. Postea detectis Pelagii & Cælestii dolis, eos damnat tamquam de crimine sibi impositio convictos, & proscribi curat ab Honorio pridie Kalendas Maias.

XI. Celebratur aliud Carthagine Concilium plenarium CCXVII. Episcoporum Kalendis Maiis; quod antequam rescire potuisset Pelagii damnationem, octo capita constituit, quæ sanciendæ & stabiliendæ fidei causa mittit ad Zosimum. Ille verò ut reos damnaverat, ita causam ipsam & hæresim edicto generali configit epistola generali ad universos Episcopos data; quæ quidem non extat, sed laudatur à Cælestino

Papa in epistola ad Gallos cap. VIII. dicitur*que Papæ Zosimi regularis auctoritas ad totius orbis Episcopos*; eamque mox laudat cap. IX. qua probati sunt canones hujus synodi Carthaginensis, ut patet ex eadem Cælestini epistola cap. III. *Africanorum sententias suas fecerunt apostolici antistites cùm probarent.*

XII. Hujus decreti à Zosimo editi tempus incidit in annum CCCCXVIII. (ut patet ex chronico Prosperi) post habitum Carthaginense Concilium. Quare non assentimur eruditissimo viro Petavio, qui decretum illud Zosimi ad Africanos priùs delatum putat, eoque accepto, Episcopos illos in Concilio Cathaginensi Kalendis Maiis ejusdem anni CCCCXVIII. Pelagianam hæresim octo canonibus editis anathemati subjecisse. Decretum generale Zosimi adversùs Pelagianam hæresim editum est post receptos synodi Carthaginensis canones, ut disertè docet Prosper in chronico. Sententia verò lata adversùs nomen Pelagii & Cælestii antecedit Kalendas Maias anni CCCCXVIII. ut dixi. Hallucinatio itaque versatur in eo quòd duo ista decreta, generale & privatum, inter se miscentur à viris doctissimis, quæ distingui oportet. Ceterùm licèt canones synodi Carthaginensis editi

sint ante Zosimi decretum in re aperta, de qua Romanæ Ecclesiæ eadem erat cum Africana sententia, & in qua definienda isthæc Innocentium sequi se profitebatur auctorem, attamen eorum capitum relatio ex more facta est ad Zosimum; ut apostolicæ sedis auctoritate accedente, quod erat limitibus Africæ circumscriptum, universæ Ecclesiæ per occidentem & orientem regula fieret ecclesiasticæ fidei. Huic Pontifici ea de re Afri Episcopi gratias egerunt literis suis quas ad eundem Zosimum scripserunt, ut patet ex Cælestino in epistola ad Gallos cap. VIII. Laudato enim ex Zosimi epistola regulari testimonio, addit: *Hunc autem sermonem sinceriſſimæ veritatis luce radiantem tanto Afri Episcopi honore venerati sunt ut ita ad eundem virum scriberent: Illud verò quod in literis quas in universas provincias curasti esse mittendas posuisti dicens &c.* *Auctoritates de gratia Dei c. 5.*

XIII. Quare ut initio hujus dissertationis excitata difficultas solvatur, certum est primam, quæ peremptoria fuit, & generalem hæresis Pelagianæ damnationem ab Innocentio profectam, quam deinde Zosimus decreto suo generali ad totius orbis Episcopos dato confirmavit. Vterque verò Pontificum relationibus Carthaginensium Conciliorum usus,

auctoritate Romanæ ſedis negotium omne conſtituit.

INTERPRETATIO CAPITIS

Clericus. 3. quæſt. 4.

I. QVÆRUNT anxiè viri eruditi quid ſignificare velit Stephanus à Gratiano relatus cap. *Clericus. 3. q. 4.* cùm ſtatuit clericum qui Epiſcopo ſuo inſidiatus fuerit, à gradu removeri debere, & curiæ tradi ſerviturum. Quidam corpus curialium intelligunt, cui clericus vilia miniſteria obiturus addicatur. Quidam verò forum & curiam ſecularium judicum, quorum ſententia debitam pœnam ſuſcipiat; quemadmodum in eadem ſpecie clerici ſuo Epiſcopo inſidias molientis decrevit Pius Papa apud Gratianum cap. *Si quis ſacerdotum. 11. q. 1.* Poſteriores Pontifices horum decretorum verbis utentes, clericum tradi curiæ ſic interpretati ſunt ut de judicibus publicis & eorum curia, non autem de corpore curialium, intelligant. Sed non adimunt ſcrupulum quem verba Stephani injiciunt, qui tradi curiæ ſerviturum decernit. Quæ ſervitia, ut collegio curialium competere poſſint,

aliena tamen videntur à magistratibus publicis ; quorum apparitio & obsequium non videtur pœnæ loco censeri posse, cùm decus potiùs quàm vilitatem & infamiam ministrantibus addat.

II. Attamen fatendum est veram esse quam Pontifices secuti sunt curiæ interpretationem : qui juris antiqui vestigia apud solos decretorum ex Isidoriana collectione petitorum consarcinatores cùm legissent, iis verbis usi sunt quæ à veteribus Romanæ sedis summis sacerdotibus profecta arbitrabantur ; cùm tamen earum epistolarum interpolatori tribuenda sint, sive is Hispanus fuerit, sive Riculfus ipse Moguntinus, qui primus in Galliis hanc collectionem à se ex Hispaniis advectam temporibus Caroli Magni publicavit, teste Hincmaro. Illa verò paulatim in auctoritatem recepta in Capitularium libris, deinde à Nicolao I. vehementer asserta, in judiciis tandem usurpata est, & à Burchardo, Ivone, Anselmo, atque demum à Gratiano in suis collectionibus laudata.

III. Enimverò licèt huic locutioni vetustatem octo seculis superiorem non demus, rem ipsam in veteris Ecclesiæ disciplina receptam inveniemus. Quod ut apertiùs atque uberiùs explicari posset,

de clericorum foro disputandum esset nobis juxta veterum canonum sensum. Sed materia isthæc cùm alterius sit instituti, illud unum observandum relinquit quod ad istius articuli dispunctionem omitti non potest.

IV. Clerici dupliciter inspici possunt, vel quatenus divinis ministeriis inserviunt, vel quatenus sunt reipublicæ cives. Sub priore illa inspectione, cùm functio & ministerium illorum ex sola Christi Domini institutione pendeat, jure divino immunes sunt à magistratuum publicorum cognitione, qui rationem ab iis exigere non possunt neglecti vel malè gesti ministerii ecclesiastici. Quatenus verò sunt cives, ex divi Pauli effato Regum imperio & jurisdictioni publicorum judicum subditi sunt. *Omnis anima*, inquit Apostolus, *potestatibus sublimioribus subdita sit.* Qua peremptoria voce omnes homines complexus est, dempto nemine, sive sit Apostolus, sive propheta, sive Episcopus, clericus, aut monachus, ut adnotavit Chrysostomus in commentariis hujus loci.

V. Enimvero licèt hæc ita se habeant summo jure, ex indulgentia Principum deinde clerici consecuti sunt ut immunes essent à magistratuum publicorum cogni-

tione. Quæ quidem immunitas Ecclesiæ concessa, & synodorum Pontificumque decretis recepta, atque censuris roborata, in totum rescindi non potest contrariis Principum constitutionibus, quippe quæ jus quæsitum & tam longa consuetudine firmatum tollere non debeant, nec reipublicæ tranquillitatem, quæ his moribus fovetur, lædere, ut eleganter docet Covarruvias, qui clericorum immunitatem refert, non ad jus divinum, sed ad Principum privilegia, quæ hodie immutari non possint.

VI. Ex duplici illa quam posuimus clericorum inspectione orta est antiqua illa quam præfert canon septimus synodi Constantinopolitanæ & Iustiniani Novella criminum à clericis admissorum distinctio, ut alia sint ecclesiastica, alia verò civilia; quorum discrimen explicat Theodorus Balsamo. Prioris generis erunt, non solùm hæresis & schisma, quibus laïci quoque implicari possunt, sed quæcunque peccata in regulas clero præscriptas; ut de subintroductis mulieribus, de ordinationibus perperam vel etiam ob pecunias celebratis, & de similibus causis.

VII. Crimina civilia, sive secularia, sunt illa quæ legum publicarum animadversioni subjiciuntur, ut pote quæ reipu-

blicæ quietem & ſocietatem violant. Ea ſunt varii generis, delicta privata, & crimina publica. Quod diſcrimen ſecuti ſunt Imperatores Romani, cùm benigniùs in clericos agere cœperunt. Vnde in Codice Theodoſiano controverſiæ quæ ad religionem pertinent, in quibus ſunt crimina eccleſiaſtica & minora clericorum delicta, ſcilicet è civilium numero, Epiſcopis & cujuſque diœceſeos ſive provinciæ ſynodis diſcutienda relinquuntur. Minora inquam delicta, ſervata judiciis publicis atrocium criminum, quæ numero quinque, adversùs clericos cognitione; ut docent leges aliquot editæ cura Sirmondi in Appendice Codicis Theodoſiani.

VIII. Quæ quidem criminum exceptio de clericis ſecundi & inferioris gradus, id eſt, à Preſbyteris uſque ad ultimum gradum intelligenda ſunt. Nam ſacerdotes primi gradus, id eſt, Epiſcopi, à publicorum judiciorum cognitione immunes ſemper fuerunt apud Principes Chriſtianos. Quibus præivit vox illa Conſtantini in Nicæna ſynodo, qua conquerentium ad invicem Epiſcoporum libellos ſibi oblatos, ut de iis cognoſceret, cùm repuliſſet, adjunxit: *Vos dii eſtis. Conveniens non eſt ut homo dijudicet deos.* Quod Ruffinus &

alii magnificis verbis retulere. Sed ad reliquos clericos verba Constantini trahi non possunt. Hinc petitum Valentiniani senioris rescriptum, cujus meminit Ambrosius & epistola synodica Concilii Romani pro Damaso, quo jussit ut sacerdotes soli de sacerdotibus, id est, Episcopi de Episcopis, judicarent.

IX. Quæ prærogativa Episcoporum ne quidem à Iustiniano, qui Novella sua crimina ceterorum clericorum atrociora suis judicibus reliquit, ullo pacto imminuta est. Vnde factum ut nec in prima nec in secunda neque in tertia Regum nostrorum dynastia, si facinus adversùs Leodegarium excipias, nec etiam vigente Gothorum in Hispaniis dominatu, Reges in Episcopos, etiam læsæ majestatis reos, lege animadverte tentaverint ante synodorum judicium, quibus hanc jurisdictionem non adimebant, ut docent annales & acta Conciliorum. Adeo ut hac quoque tempestate, in qua reliquorum è clero privilegia non adeo vigent, nihil sibi licere in Episcopos majestatis reos pietas Regis Christianissimi passa sit, impetrata nuper à summo Pontifice, juxta recentioris moris formam, delegatione aliquot Episcoporum, qui judicio ecclesiastico de causa decernerent.

X. Ceterùm olim, ut dixi, quinque crimina reſervata erant animadverſioni judicum publicorum adversùs clericos. Vnde factum ut in Matiſconenſi Concilio tria crimina foro ſeculari reſervata fuerint. Hincque ſumpſit originem caſuum privilegiatorum cognitio. Attamen antiqua illa criminum exceptio non impediebat quin clerici de moribus apud Epiſcopos conventi, judicio eccleſiaſtico pro qualitate & conditione delicti puniri poſſent. Idque factum ex Pauli auctoritate, qui monet Timotheum ut ſub duorum aut trium teſtimonio, Preſbyterorum cauſas diſcutiat. Quare antiquis canonibus, ob crimina publica, canonica pœna clericis convictis irrogatur. Sed cenſura eccleſiaſtica, cùm admonitione aut ſuſpenſione miniſterii ſola vel ad ſummum depoſitione conſtaret, aut ſi atrociſſimum eſſet flagitium, excommunicatione vel anathemate, & reipublicæ tranquillitas graviùs animadverti expoſceret, depoſitus ſententia Epiſcopi ſui clericus ad judices publicos tranſmittebatur, pœna legitima plectendus, ſi de aliquo ex quinque illis criminibus impetitus eſſet; cùm nulla ratio pati poſſet ut depoſitus ob crimen canonicum, vel ob minus delictum civile, contra mentem legis nova pœna opprimeretur.

XI. Singulare usus istius habetur exemplum in actis Concilii Chalcedonensis actione x. in qua relecta sunt gesta synodi Tyriæ habitæ in causa Ibæ Edessæni Episcopi. Samuel & alii Presbyteri Ecclesiæ Edessenæ libello accusabant Episcopum suum, inter cetera capita hoc quoque objicientes, quòd Abraamium Diaconum, de maleficio magico accusatum, & de se præsente clero & Episcopo confessum, omnium votis excommunicatione confossum, nulla dein prævia satisfactione Episcopum ordinare destinasset, impeditus ne perficeret sola Archidiaconi refragantis intercessione. Mox ista verba subjungunt, quæ trituram fori utriusque docent: *Et retinet chartam magicarum incantationum reverendus noster Episcopus, qui debuit judici provinciæ hunc qui ita execrabilis est offerre secundùm consequentiam legum.* Eas intelligit leges Principum quæ sunt editæ in Appendice Codicis Theodosiani superiùs laudata.

XII. Si judicium inceptum esset apud Episcopum, quia fortasse accusator erat è clero, qui ad judicia publica clericum evocare nulla in causa poterat juxta Concilii Carthaginensis & Chalcedonensis difertos canones, vel etiam laicus, qui adversùs clericum crimen intendere pote-

rat ſuam ſuorumve injuriam perſequens, tunc, poſt latam ſententiam, Epiſcopis incumbebat ex officio ut reum atrocioris criminis judicibus publicis offerrent. Quod diù perduravit cum magna utriuſque fori concordia, donec vetita eſt in univerſum, variis Pontificum decretis, judicibus ſecularibus adversùs clericos judiciaria cognitio, cujuſvis criminis prætextu. Tunc arbitrii ſui fecerunt ob quæ crimina clerici, judicio eccleſiaſtico depoſiti ſemel, ad graviorem pœnam infligendam ad judices ſeculares tranſmitterent. Hoc eſt quod in decretis Pii & Stephani dicitur, curiæ tradi clericos convictos, ſcilicet ut puniantur; quemadmodum diſertè obſervat Pius, *ut accipiat quod iniquè geſſit.* Cui ſententiæ non eſt contrarium quod ait Stephanus, ut clericus depoſitus, curiæ tradatur ſerviturus. Quippe non ſignificat ut ad vilia miniſteria in curia obeunda damnetur. Nulla enim iſtius generis pœna ullibi occurrit. Retrahebantur quidem in curiam, etiam poſt preſbyteratus ordinem, quicunque è curialibus, quò ſe muneribus & functionibus publicis ſeu perſonalibus ſeu realibus ſubtraherent, in clerum adſciſcebantur, ut docet Innocentius primus in decretis, conditionem priorem & nexum curialium ſu-

bituri. Sed ista non pertinent ad pœnam ob crimen aliquod inflictam.

XIII. Dicendum ergo, ut hic nodus expediatur, traditum curiæ clericum, ut in illum à judicibus animadverteretur; eo tamen animo ut capitis minutione maxima, id est, servitute tantùm, non autem ut capite plecteretur; scilicet ut libertate adempta per judicis sententiam, servituti perpetuæ addiceretur. Solebant Episcopi pro damnatis in judicio publico veniam petere à præsidibus provinciarum, quò pœna aut penitùs remissa, aut in leviorem mutata, damnati locum haberent agendæ de facinoribus suis apud Deum pœnitentiæ; ita tamen ut sicut Episcopis libera erat deprecatio, judicibus quoque, si utilitas publica sic poscceret, libera esset repulsa; quemadmodum docet Augustinus in epistola ad Marcellinum Comitem. Quare si solenne Episcopis erat pro quibuscunque damnatis intercedere, culpæ non mediocris rei fuissent si depositis à se clericis suffragati non essent, quando eos ex ordine legum judicibus tradebant, mitiorem pœnam illis infligi postulantes.

XIV. Porrò pœna servitutis ob crimen admissum inducta erat à Concilio Aurelianensi, & ejus exemplo à Conciliis

Toletanis. Vnde factum ut auctor epistolæ Stephani ejus meminerit. Deportati & damnati in metalla amittunt quidem libertatem; sed servituti adjuncta est pœna deportationis, cujus fiunt servi. In specie autem Concilii Aurelianensis, raptor, si ad Ecclesiam confugerit, restituitur; serviendi tamen conditioni obnoxius, facultate concessa sese pecunia redimendi. quæ sine dubio in læsi patris commodum cedebat.

XV. Ceterùm sola clerici depositio ob crimen exceptum inflicta sufficiebat ut locus esset judicio publico absque ulla canonicæ immunitatis injuria. Non inutiliter addidi inflictam depositionem ob crimen exceptum; quoniam ex alio quoque capite depositio irrogari potest, puta ob crimen ecclesiasticum. Quo casu nefas esset damnatum semel, de integro novis pœnis opprimere judicio seculari.

XVI. Enimvero ut manifestiùs hæc materia aperiatur, inspiciendum est an ex sola depositione clerici damnati redeant ad forum seculare. In qua controversia confligunt ad invicem Ioannes & Bernardus Decreti Glossatores. Sed divisione eam dirimendam puto; adeo ut non sola pœna inspicienda sit, sed etiam illius causa: quæ si fuerit gravior, sive ob

crimen

crimen civile, sive ob crimen ecclesiasticum, depositum non solùm à gradu removebit, sed etiam à clero. Hujus pœnæ exemplum petetur, in crimine ecclesiastico, ex decreto Siricij relato apud Gratianum cap. *Quisquis*. Dist. 84. *Quisquis clericus*, inquit, *aut viduam aut certè secundam conjugem duxerit, omni ecclesiasticæ dignitatis privilegio nudetur, laica sibi tantùm communione concessa*. Quæ laica communio significat clericum non solùm è consessu cleri extra cancellos depulsum & redactum in locum & ordinem laicorum ad communicandum synaxi, sed deturbatum omnino à corpore cleri & ad laicam conditionem detrusum, ita ut sepositio privilegio quod antea illi competebat, nunc pertineat ad forum seculare in causa civili & criminali. in quo distinguitur hæc communio laica à peregrina; cùm ista retineat clericum in ordine cleri, (etsi gradu consessus & sportulis ordinariis multatum, præter alimenta) laica verò eum ab illo ordine depellat. Si autem depositio inferatur ob negligentiam in obeundo ministerio ecclesiastico, ex ea causa de positus jurisdictioni ecclesiasticæ subditur, ita ut ob delicta subsequentia synodi judicio ad agendam pœnitentiam in monasterium detrudatur; ut definivit Concilium Cabilo-

nenſe relatum in cap. *Dictum.* Diſt. 81.

XVII. Hujus diſputationis occaſio tollebatur definitionibus ſynodorum ſubſequentium, quæ clericos ob crimen capitale damnatos & ad laicam communionem redactos in monaſterium detrudi in perpetuum jubebant, agendæ pœnitentiæ ſeverioris cauſa, ut in Conciliis Agathenſi & Epaunenſi. Quam formam ſecuta eſt ſynodus Aurelianenſis tertia can. VII. erga clericum adulterii convictum. Earum exemplo Toletana quarta can. XXVIII. ſimili detruſione plectit Epiſcopum, Preſbyterum, Diaconum, & clericum qui magos & ariolos conſuluerit, & ſimoniacè ordinatos Concilium Toletanum octavum can. III.

XVIII. Poſtquam mos iſte deſivit detrudendi clericos in miniſteria ut pœnitentiam agerent, in illa quoque ſecunda ſpecie, quam propoſuimus, de clerico degradato, etiam ob crimen eccleſiaſticum, diſceptatum fuit in Anglia quingentis abhinc annis. Regii miniſtri degradatum clericum ex quacunque cauſa foro ſuo aſſerebant. Thomas verò Archiepiſcopus Cantuarienſis contendebat ex ſola depoſitione non amitti privilegium clericale; ſed ſi depoſitus in crimen incideret, tunc ob impœnitentiam ſubdi foro ſeculari.

XIX. Satiùs fuisset, ut dixi, disputationem ex superiori distinctione dirimere; quæ adhibenda quoque est in altera quæstione, an ex sola depositione consequatur damnatum tradi curiæ seculari. Depositus quippe ob crimen ecclesiasticum alia pœna plecti non debet. Qui autem ob crimen atrox degradatur, eo ipso legibus publicis permittitur; ut superiùs dixi. Quæ fuit sententia aliquot Pontificum qui Innocentium tertium præcesserunt; ut ipse fatetur in cap. *Novimus.* de verbor. signific. *Quorundam est opinio à pluribus approbata*, inquit, *ut clericus qui propter hoc* (id est, falsi in literis apostolicis) *vel aliud flagitium grave non solùm damnabile sed damnosum fuerit degradatus, tamquam exutus privilegio clericali, seculari foro per consequentiam applicetur.* Quod ille jus immutavit, decernens ut solennis degradatio clerici antea fiat, atque pronuntietur judici seculari, quatenus degradatum in suum forum recipiat; eo temperamento adjecto, ut Ecclesia pro eo efficaciter intercedat, ad leniendam pœnam, citra mortis periculum. In qua intercessione nihil est novi, cùm frequens esset apud veteres, etiam in gratiam laicorum. Novum jus in eo versatur quòd præter depositionem & solennia degradationis pronuntiandum sit spe-

cialiter de traditione facienda curiæ. Quæ definitio videtur profecta ex eo quòd Alexander III. in cap. *At si clerici.* De judiciis. docuit quemlibet depositum pro suis excessibus non esse tradendum judici seculari, ne duplici contritione conteratur. Vnde sequitur causæ cognitionem adhibendam an flagitii ea sit gravitas ut traditionem illam extorqueat.

XX. Ceterùm Cælestinus III. tot adhibet cautiones ut vix locus esse possit huic traditioni, nisi quis malo genio natus omnem exuerit humanitatis sensum. Statuit enim ut depositio præcedat ob præteritum crimen. Deinde verò, ut incorrigibilis appareat clericus, novis criminibus admissis quæ plectenda sunt excommunicatione. Si recentioribus se facinoribus implicet, feriendus anathemate. Demum si contempta Ecclesiæ auctoritate in profundum malorum devenerit, tunc tradendus est seculari potestati, ut eum comprimat. cap. *Cùm nobis ab homine.* De judiciis.

XXI. Qui progressus tamen servandus non est si crimen ex suo genere sit atrocissimum. Tunc enim interest reipublicæ Christianæ ut monstra illa scelerum ultore ferro extinguantur. Statim ergo à degradatione celebrata pronuntiare de-

bet judex tradendum esse reum curiæ seculari, ut adversùs falsarios literarum apostolicarum constituit Innocentius III. in Concilio Lateranensi, cap. *Ad falsarior.* De judiciis. & in eodem Concilio adversùs hæreticos', cap. *Excommunicamus.* §. 1. De hæreticis. Quod in criminibus majestatis, assassinii, ac in ceteris hujusmodi atrocioribus locum quoque habet; ut docent pragmatici, & nos antiquæ disciplinæ congruere jam docuimus.

DISSERTATIO

De patria Vigilantii.

I. DE patria virorum illustrium certasse legimus claras civitates, singulis sibi natales eorum pertinaciter vindicantibus, ut ex splendida illorum fama suam augerent. Longè diverso consilio de Vigilantii patria differendum, qui monstri horrendi instar in ultimas oras à nobis amandandus esset potiùs quàm in Gallicanæ ullius urbis civem ascisendus. Sed quia historiæ fides unam præ ceteris veritatem colit, indecorum esset in alias regiones invidiosum nomen refundere; præsertim cùm ex hominis unius sacrilegio nulla pars infamiæ patrium solum attin-

gat. Vigilantium patria Pampilonenſem docuit Ioannes Vaſæus in chronico. Baronius verò Calagurritanum in Hiſpania, teſte, ut ſibi videtur, locuplete Hieronymo, tam conſtanter aſſerit ut acriùs in Gennadium invehatur quòd Gallum eſſe ſcripſerit in libro de ſcriptoribus eccleſiaſticis cap. xxxv. Nos autem, qui alieni à partium ſtudio, verum profiteri didicimus, Galliæ parenti aborſum iſtum, ſeu mavis monſtrum cum Hieronymo dicere, adjudicamus: qui in Galliis quoque hæreſim ſuam publicavit, licèt delicatiores Hiſpani Barcinone id factum ſcribant.

II. Vt probem ſententiam meam, vel potiùs Gennadii Maſſilienſis, adeoque Galli, non remoti ab illis temporibus ſcriptoris, cujus ideo auctoritatem non erat quòd hac in re tam facilè Baronius elevaret, nitar Hieronymi teſtimonio, ex cujus vera interpretatione tota pendet hujus controverſiæ definitio. Quæ Gallum faciunt Vigilantium, duo ſunt apertiſſima loca, quæ nulla cavillatione ſubverti vel eludi poſſunt. Qui Calagurritanum in Hiſpania doceat, unus eſt locus; qui ſi conniventibus vel potiùs luſciciosis oculis inſpiciatur, ut favere huic opinioni videtur, ita acriùs intuentibus aliam omnino ſpeciem præfert.

III. Muniamus ſententiam noſtram antequam alterius præſidia expugnemus. In ipſo operis adversùs Vigilantium exordio ait Hieronymus multa in orbe monſtra generata fuiſſe, quorum aliqua enumerat. Mox addit. *Triformem Geryonem Hiſpaniæ prodiderunt. Sola Gallia monſtra non habuit, ſed viris ſemper fortiſſimis & eloquentiſſimis abundavit. Exortus eſt ſubitò Vigilantius &c.* Nihil diſertiùs potuit dici ut originem hominis, non in Hiſpania ſed in Gallia quæreremus. Sed liberat nos iſto labore Hieronymus, qui ad ipſos penè hominis lares nos manu ducit. Saltem patrinam liquidò ait eſſe Convenarum urbem ad radices Pyrenæi : quæ deductis eò Hiſpanarum regionum fortioribis viris, à Pompeio Magno condita eſt, ſcilicet ut pacatiorem poſt diſceſſum ſuum relinqueret Hiſpaniam. Alioqui quod magnum operæ pretium feciſſet, vilem latronum & graſſatorum gregem in Aquitaniæ regione includendo. Libuit tamen Hieronymo, in Vigilantium excandeſcenti, originis illi contumeliam exprobrare; arrepta ex Tito Livio locutionis occaſione, qui aliquoties objurgat Hiſpanos quòd bellantes latrocinia potiùs quàm militiam exercerent. Sic ergo loquitur Hieronymus de Vigilantio : *Nimi-*

rum respondet generi suo, ut qui de latronum & convenarum natus est semine; quos Cn. Pompeius, edomita Hispania, & ad triumphum redire festinans, de Pyrenæi jugis deposuit, & in unum oppidum congregavit. unde & Convenarum urbs nomen accepit. Deinde ut sciretur quibus ex Hispaniæ populis conflata erat colonorum multitudo qui à Pompeio deducti erant, subjungit elegantem periodum, dummodo levi emendatione juvetur lectio, quæ in editionibus vitio laborat. *Huc usque*, inquit, *latrocinetur contra Ecclesiam Dei, & (*lege *nec) de Vectonibus, Arebacis, Celtiberisque descendens, incurset Galliarum Ecclesias, portetque nequaquam vexillum Christi, sed insigne diaboli.* Ex Vectonum, Arevacorum, & Celtiberorum populis, qui vicini sunt apud Plinium, & fortitudinis fama apud veteres inclyti, delecti sunt milites, qui descendentes in Aquitaniam, Convenarum urbem incolerent; atque adeo Vigilantius indidem vetustam originem trahebat. Vnde colligit acriter Hieronymus, si ex origine peti possit auctoritas latrocinii exercendi, coërcendam esse Vigilantio deprædandi licentiam & latrocinandi contra Ecclesiam Dei extra urbis suæ sinum, quæ tam infaustis auspiciis dicata est, non autem incursandi ceteras Galliarum Ecclesias

vexillo Christi prælato & Christianæ fidei tessera ; cùm potiùs penes Vigilantium hæreseos auctorem & propagatorem sit insigne diaboli, ementitus ille Christianæ religionis titulus.

IV. Subjungam tertium testimonium, quo & in Gallia ortum Vigilantium & in Galliis venenum suum sparsisse probatur. *Galliæ vernaculum hostem sustinent, & hominem moti capitis atque Hippocratis vinculis alligandum sedentem cernunt in Ecclesia.* Vnde quoque conficitur, etsi apud Gennadium dicatur Vigilantius parochiæ Ecclesiam rexisse in urbe Barcinonis, id referendum ad prius aliquod tempus. Familiaris fuerat vir iste sanctissimo & nobilissimo viro Paulino Nolano Episcopo, ut patet ex mutuis Paulini & Hieronymi epistolis: qui domo Aquitanus, è Burdegala, Vigilantium Aquitanum quoque è Convenis socium itineris & fortasse ordinationis habere potuit ; eo discrimine, ut hic à Paulino commendatus matriculæ & canoni Barcinonensi sub Presbyteri nomine adscriptus sit, Paulino interim libera & nulli Ecclesiæ adstricta ordinatione collata. quod solis egregiis personis beneficium conferebatur, ut Paulino isti, Hieronymo nostro, & paucis aliis. Ea tempestate fuerit è clero Barcinonensi, ut

teſtatur Gennadius: videtur tamen poſtea in Galliarum Eccleſiam aliquam tranſmigraſſe, ubi ſedens docebat. quod eſt Epiſcoporum & Preſbyterorum proprium. Non me latet peregrinis ſacerdotibus indultam olim facultatem ut in aliena Eccleſia populum alloquerentur; ſed aliquando, non autem munere perpetuo, quod iſthic videtur tribui Vigilantio. Id ſaltem negari non poteſt, blaſphemias à Vigilantio propoſitas in Galliarum Eccleſiis. Quare dubitandum non eſt ſanctos Preſbyteros Riparium & Deſiderium Gallos fuiſſe, non Hiſpanos, ut vulgò putant, qui dolebant parochias ſuas vicinia iſtius fuiſſe maculatas, ut ait Hieronymus. Vnde quoque colligitur, quod jam dicebam, adſcriptum fuiſſe ille tempeſtate Vigilantium alicui in Galliis Eccleſiæ. Quod altero quoque diſerto teſtimonio probatur: *Quia ad radices Pyrenæi habitas, vicinuſque es Iberiæ, Baſilidis antiquiſſimi hæretici & imperitæ ſcientiæ incredibilia portenta proſequeris &c.*

V. Qui Calagurritanum ac proinde Hiſpanum fuiſſe Vigilantium exiſtimant, eum proferunt Hieronymi locum qui hominem iſtum cum claro illo oratore Quintiliano committit & Calagurritanum fuiſſe ſignificat. Porrò certum eſt Quintilia-

ni patriam fuisse Calagurrim in Hispania. *Iste caupo Calagurritanus*, inquit, *& in perversum propter nomen viculi mutus Quintilianus, miscet aquam vino, & de artificio pristino suæ venena perfidiæ catholicæ fidei sociare conatur.* Si aliquid intelligo in dicendi genere Hieronymiano, cognominem fuisse utriusque patriam significat, sed longissimo inter se differre intervallo; cùm patria Quintiliani sit Calagurris in Hispania, coloniæ dignitate ornata quondam, Vigilantii autem sit viculus Calagurris, nempe propter urbem Convenarum. Vnde aliud quoque prodit discrimen, hunc esse mutum Quintilianum, alterum verò celebrem & insigni eloquentia rhetorem. Ceterùm perstringit ardelionem istum quòd cauponariam exercuerit ea fide qua solent hujus negotiationis artifices, nempe miscendo aquam vino; quam fraudem in religionis doctrinam invehere conetur, perfidiam genuinæ fidei consociando. Cauponum illud vitium faceto disticho insinuat Martialis, ludens in cauponem Ravennatem, qui fraude collegis suis contraria, vinum etiam non rogatus miscebat aquæ ob illius penuriam in urbe Ravenna; quæ paludibus cùm restagnet undique, limpidæ aquæ scaturiginibus caret.

Callidus imposuit nuper mihi caupo Ravennæ,
Cùm peterem mixtum, vendidit ille merum.

DISSERTATIO DE ORIGINE & progressu cultus beatæ Mariæ virgini in Montesserrato exhibiti.

I. CVM piorum locorum vetustas auctoritatem ipsis, non solùm apud vulgus, sed apud viros graves & prudentes harum rerum æstimatores conciliare soleat, non alienum erit de Montisserrati sanctissima domo paucis disserere, quæ fidelium votis atque officiis frequentata, ob divina ex beatissimæ Mariæ opitulatione accepta beneficia per universum orbem Christianum celebratur. Plerique officio se satisfeciſſe suo putant si ad tempora pœnitentiæ à Ioanne Garino peractæ antiquitatem istam referant, rei gestæ narrationem in ulteriora quàm par sit fortasse promoventes. Nos verò post expensa quæ in archivis ejus monasterii monumenta servantur, ut fidem nullam detrahimus iis quæ antiquitus scripto tradita vidimus, ita quæ conjecturis ducti recentiores comminiscuntur, nec admittimus, nec sanè respuimus; ne quis præjudicio nostro impediri se putet quò minùs judicio suo fruatur.

II. Illud unum polliceri possumus, nos exordia pietatis erga virginem glorioſiſſimam in hoc monte cultam longè antiquiora demonſtraturos quàm ſint Vvifredi Comitis tempora, quæ in annum circiter nongenteſimum incidunt. Cultus illius fundamenta jeciſſe Francos, quando Ludovici Regis ductu & Caroli Magni illius patris auſpiciis Barcinonam civitatem à Sarracenorum ſervitute vindicarunt, nullus mihi videtur dubitandi locus ſupereſſe, ſi rerum ea tempeſtate geſtarum ſeries expendatur. Obſeſſa Barcinone anno DCCCVI. & à Mauris erepta Gallicorum armorum pondere atque Chriſtianorum indigenarum deditione, ad caſtrum quoque Terraciæ eadem felicitate pugnatum eſt, Gothis, ſive indigenis, Gallorum vindicum arma foventibus; ut docent Regis Caroli Calvi literæ. Terracia oppidum non ignobile in Vallenſi pago ſitum, eſt in conſpectu Montiſſerrati, modico ab ejus radicibus intervallo. Eſt in eodem quoque Vallenſi pago ſancti Cucufatis monaſterium à Ludovico tunc excitatum in ruderibus caſtri Octaviani. Quid vetat quin ſuam quoque in beatam Mariam pietatem protulerit oratorio in montis illius jugis excitato, qui ſciret montem Sionis olim à Deo

electum ut templum in eo sibi sistendum doceret, atque illo proinde exemplo, victoriarum suarum veluti trophæum in jugis illis poneret, altare dicatum Deo exercituum in honorem beatæ virginis matris, longè augustius quàm fuerunt aræ à Iulio Cæsare in Pyrenæis montibus positæ ob subactas Hispanias.

III. Sed ne conjecturis solùm agere videamur, quas solas in aliis non probamus, necesse est in ulteriora progredi, unde nostra fulciri poterat argumentatio. Anno Dcccxxv. accidit infausta illa & nefanda Aizonis Gothi proditio, qui à comitatu regio ex Gallia secedens, Ausonam per dolum invasit, & auxilio Abderrhamenis Sarraceni copias ingentes in hanc provinciam inferentis, avulsit à regno Gallico quicquid à Rubricato amne usque ad Sicorim & Iberum intercipitur. Quæ tamen ab Aizone vix retenta, in Sarracenorum ditionem mox integra cessere; donec victricibus armis Vvifredi Comitis Barcinonensis ex parte repetita sunt, propagato per varias bellorum vices in reliquam regionem sequentium Comitum imperio, qui tandem Ilerdam & Dertusam recepere. Vvifredus ille, cui Pilosi cognomen hæsit, primus Manresæ oppidum cum adjunctis agris ipsoque Monte-

ſerrato uſque ad Equalatam eripuit à Sarracenis, adjecta regioni iſti Manreſenſis comitatus nomenclatura & dignitate. Tum ad Auſonenſem pagum profectus cum exercitu, Mauris ex eo undequaque pulſis, ad reſtaurandas Eccleſias animum convertit anno octingenteſimo octuageſimo octavo. Tunc Eccleſiam Vici Auſonenſis luculentis reditibus donavit, & monaſterium Rivipullenſe ordinis ſancti Benedicti à ſe conditum ſumma cum munificentia locupletavit. Inter cetera illi contulit Eccleſiam beatæ Mariæ in cacumine Montiſerrati poſitam, ut patet ex tabulis donationis, quas Lotharius Rex Francorum confirmavit, facta mentione diſerta Eccleſiæ beatæ Mariæ ſitæ in cacumine Montiſſerrati. En Eccleſiam beatæ Mariæ dicatam; quæ ne latere poſſet, in montis cacumine ſita eſſe dicitur. Editus locus, aſper, & aditu difficilis, ab hominum conſuetudine, ab urbibus & vicis remotus, ipſoque Moniſtrollo nondum condito, evincit Eccleſiam illam non fuiſſe miniſterio parochialis Eccleſiæ deſtinatam, ſed pietati colendæ erga virginem. Quandiu Sarraceni montem obſederunt, non tantum erat Chriſtianis otium ut de illa extruenda cogitare poſſent. Reſtat ergo ut condita fuerit ante proditionem

Aizonis, id est, ante annum DCCCXXV. atque post recuperatam Barcinonem, id est, post annum octingentesimum sextum. Antea quippe Sarraceni, regionis istius domini, qui vix necessaria cultui divino templa tolerabant, vetuissent proculdubio agrestes Ecclesias, ne daretur Christianis occasio conventus agendi, unde coïtiones adversùs rempublicam aliquando oriri possent.

IV. Scio quid replicari possit, nempe necessarium non esse ut ab anno DCCCVI. ad annum DCCCXXV. conditus Ecclesiæ istius coërceatur, cùm potuerit ante Maurorum in Hispanias irruptionem, quæ accidit anno DCCXIV. sub Gotthici regni tempus, ædificata fuisse. Quod si admittimus, ut de Francorum gloria, quam hoc opere commendare volo, aliquid detrahetur, ita major Ecclesiæ vetustas adjicietur. quod est præcipuum hujusce dissertationis propositum. Enimvero præter causas à nobis superiùs relatas de consilio excitandæ Ecclesiæ in montis istius jugo, hæc una non parvi debet esse momenti quæ ex veteri traditione in scriptis redacta proficiscitur. Refertur itaque in veteribus chartis imaginem beatæ Mariæ natum sinu suo complectentis, colore fucam, sed opere eximio perpolitam, fulgentium

gentium per noctem luminum indicio à pastoribus deprehensam, in spelunca montis, ad quam sedulo studio vaccæ, relicto grege, appellere solitæ, crassiores suis congregalibus, quæ per tesqua montis errantes lætiùs pascebantur, ad caulas redibant. Ea novitate perculsi vicini, atque adeo Franci regionis indeptæ domini, unà cum Gotholensibus indigenis consilium sumpserunt de construenda Ecclesia ubi manifestè se Deus adorandum colendamque matrem suam his testimoniis demonstrabat.

V. Non me latet quid eruditus aliquis objicere posset ex synodo Francofordiensi indicta jussu Hadriani Papæ & auctoritate Caroli Magni, ubi hæresis Felicis Vrgellitani damnata est, tum ex conventu Parisiensi habito sub hoc nostro Ludovico, scilicet illis synodis imaginum adorationem, quam Græci constituerant in secunda synodo Nicæna, vetitam fuisse. Sed observare oportet adorationem quidem prohibitam, non autem aut usum imaginum, quem Concilia illa probant disertè, aut etiam honorem, quem non damnant, ea lege ut modum non excedat. Qui modus tandem egregiè à synodo Tridentina explicatus est juxta mentem beati Gregorii Papæ, quam sequi se

profitebantur Episcopi Gallicani in illis synodis, & à qua non erat aliena synodus Nicæna secunda, si ejus sensum genuinum non vitiasset perversa Latina interpretatio synodo Francofordiensi proposita.

VI. Florentem sanctitate locum clariórem reddidit Ioannis Garini anachoretæ præruptam inhabitantis rupem ob castigatissimos illius mores & austeriorem disciplinam per regionem omnem sparsa fama; adeo ut immundus spiritus, qui nobilem juvenculam filiam Comitis Barcinonensis vexabat, se ab energumenæ corpore discessurum non esse pervicaciter assereret nisi Garini hujus imperio. Quibus artibus tendebat insidias anachoretæ hujus virtuti; & divinum numen eadem opera fideles tum infirmitatis humanæ, tum divinæ benignitatis stupendo exemplo admonere satagebat. Ducitur puella, Comitis jussu, cum frequenti famulitio ad montanam Ecclesiam beatæ Mariæ, ejus opem præstolatura, adhibitis Garini quoque precibus ex condicto, cui energumena sistitur. Ille verò, qui humanis viribus nimiùm fidebat, formæ venustate captus, suggerente quoque tentatore libidinis faces, orationis locum sibi, remotis interim arbitris, dari exposcit, cum

dæmone puellæ corpus vexante, sed ipsius interea mentem pestiferis concupiscentiæ æstibus devastante, luctaturus. Secesserant palatini ministri in Ecclesiam, preces suas cum hominis pii, ut putabant, orationibus conjuncturi. Ille verò, secreti occasione arrepta, puellam comprimit; & sceleris mox ab ea publicandi magnitudine, pœnæque imminentis terrore, subsidium ab audacia petens, stupri crimen homicidio cumulat, cadaver immerentis puellæ egesta humo condit, seque præcipitem dedit in fugam. Attamen, ne tot olim rectè factorum merces periret, scelerato homini pœnitentiæ spiritum Dei bonitas injecit. Ex more jam tunc recepto & à graviorum scelerum reis usurpato Romam Garinus contendit, pœnitentiæ beneficium à Romano Pontifice impetraturus & criminis indulgentiam post exacta indictæ pœnitentiæ intervalla. Septennium elapsum erat ex quo Roma redux in speluncis & dumetis latebat, nudus corpore, vitam ferinam ducens, Nabuchodonosoris exemplo, quando Comes Barcinonensis ad Montemserratum orationis causa se conferens, venationem quoque aprorum, qui sunt in eo monte frequentes, exercuit. Occurrit novæ & inexpectatæ feræ species, humana forma, sed

ſquallenti atque horripili cute, & inceſſu quadrupedante, obſtinatoque ſilentio terrens potiùs ſpectatores quàm demulcens. Objicitur conſpectui Comitis, qui portentum iſtud Barcinonem adduci jubet, procurandum non ex gentilium ſed ex Chriſtianorum more conſultis peritis. Dum illi fruſtra laborant, Deus arcanum ſuum aperuit ex ore infantium & lactentium. Quippe alter è filiis Comitis, qui per ætatem balbutiebat, palam omnibus ſeriò mirantibus in hanc vocem erupit: *Garine, dimiſſa tibi ſunt peccata.* Quo verbo perculſus primùm iſte, mox recreatus ob certam criminis ſui remiſſionem, quam ingenti miraculo ſolutæ ad verba infantis linguæ Deus omnibus patefecerat, ne tanto beneficio ingratus videretur, crimina ſtupri & homicidii à ſe patrata quondam, cum pudore qui operabatur ſalutem, gemebundus confitetur, indictam ſibi pœnitentiam ejuſque à ſe geſtæ modum ediſſerit. Noluit Comes divino judicio reluctari, ſed potiùs ei quem Deus ſuæ gratiæ reſtituerat, ſuam injuriam condonavit. Enimvero ut defunctæ natæ honor funeris non denegaretur, accedit ad ſpeluncam; ex qua non deforme cadaver, ſed venuſtas humana major erupit, prodeunte puella è ſepulchro, quæ, Dei

excitantis imperio, sibi post fata superstes fuit, consiliumque Domini aperuit de ampliore condenda in hoc monte ad Dei virginisque laudem basilica. Nulli posthac dubium fuit quin delectus esset à divino numine locus iste ad delenda per pœnitentiam crimina quantumlibet atrocia, cùm præjudicio adeo insigni sancita esset veniæ illis impertiendæ pollicitatio.

VII. Res gesta nulla temporis nota nec Comitis nomine consignata est in veteri membrana ante trecentos annos perscripta. Vnde liberum fuit recentioribus narrationem ad tempora Vvifredi Comitis promovendi, ut vetustate decus aliquod Ecclesiæ beatæ Mariæ pararent, cujus initia cum Garino conjungebant. Sed nos, qui vetustiora huic domui exordia ex antiquis tabulis constituimus, liberi sumus ab hac servitute, quæ, prætextu pietatis, veritati officit.

VIII. Itaque temporibus Garini magnum incrementum accepit Ecclesia beatæ Mariæ, constructo à Rivipulli Abbate ex collatitia fidelium pecunia monasterio. Ei Priorem cum duodecim monachis præfecit, qui curam gererent fovendæ peregrinorum illuc confluentium pietatis. Prioris atque monasterii mentio aperta in veteribus membranis ab anno

milleſimo quadrageſimo, & frequentes alodiorum huic monaſterio collatorum donationes leguntur ab anno decimo quinto Henrici Regis Francorum in tabulario ejus monaſterii; adeo ut circiter illa tempora ſtupendum Garini eventum accidiſſe putem, qui conditum monaſterii anteceſſit, ut dicebam. Neque eſt quòd aliquis puellarum monaſterium his rupibus affixum cum recentioribus quibuſdam comminiſcatur, quo ſe filia Comitis rediviva cum ſociis concluſerit. Id enim abſque ullo veterum actorum teſtimonio aſtruitur; refragante quoque huic inſtituto loci aſperitate & ſolitudine, quæ ne ſuſpicari quidem patiuntur puellare monaſterium aliquando hic poſitum fuiſſe.

IX. Congruit cum ea quam adnotavi temporis epocha collata Garino anno tertio Philippi Regis, id eſt, anno milleſimo ſexageſimo tertio, ab Vdalardo Vicecomite Barcinonenſi & Viva ejus uxore donatio caſtri de Bonifacio ſive de Gardia, quo potitur hodie monaſterium. Pœnitentis quippe Garini fama omnium oculos ad ſe converterat, hujus præcipuè Vdalardi, qui fortaſſe puellæ redivivæ pater erat, facili permutatione nominum Comitis & Vicecomitis in narratione de qua

non constat ex actis ea tempestate confectis. Iuvat hanc conjecturam quòd nulla extant veterum Cormitum Barcinonensium, alioqui liberalium in pios locos, in hanc domum collata beneficia, sed solius Vdalardi Vicecomitis, ut dixi. Sanè tantopere Deo grata fuit restitutio Garini post ruinam, quam perennibus lacrymis & jejuniorum afflictatione delevit, ut ejus ossa cum eximiæ sanctitatis opinione in hujus Ecclesiæ sacrario hodie quoque asserventur.

X, Infinitum esset ea persequi miracula quibus Dominus hanc sacratissimam domum continuatis beneficentiæ suæ donis illustravit eorum preces exorando qui se tutelæ virginis glorioſissimæ in hoc monasterio cultæ committebant olim, seque hodie illius præsidio devovent; quorum vota piè pronuntiata vix unquam irrita sunt, nisi quando visum fuerit divino numini ex eorum repulsa saluti fidelium suæque gloriæ melius consulere.

XI. Peregrinorum huc adventantium copiam Iacobi I. Regis Aragonum literæ testantur datæ anno MCCXVIII. quibus tuitionem suam illis impertitur, liberosque esse jubet, tum in rebus quas secum duxerunt, tum in corpore, ab omni judiciaria districtione, à die qua se itineri ac-

cinxerint usque ad reditum ; *ita quòd nec debito, nec offensa, nec aliqua alia ratione ab aliquo occupentur seu pignorentur.* Quæ privilegia tuitionis, paulò licèt uberiora, indulta in Concilio Claromontano sub Vrbano II. meminimus iis qui cruce suscepta Hierosolymitanum iter, pugnaturi pro fide, aggrediebantur.

XII. Invitavit quoque Christianos ad hanc peregrinationem frequentandam Bonifacius IX. Papa literis datis anno octavo pontificatus sui ; quibus huic Ecclesiæ communicavit die nativitatis beatæ Mariæ & septem sequentibus indulgentiam illam plenariam quæ ab Honorio tertio, petente beato Francisco, concessa fuerat Ecclesiæ de Portiuncula nuncupatæ in civitate Assisii. Harum indulgentiarum infrequentia, quæ pœnarum à canone inflictarum & quarumlibet aliarum onere pœnitentes solvebant, quæque ob labores varios exantlatos, sumptus in itineribus expensos, & pericula vitæ adita, per quandam veluti compensationem ultramarinis & Romanis peregrinationibus olim concedebantur, tanto cariorem fecit locum cui hoc privilegium tribuebatur, cuique cælestis Reginæ præsentia & opportuna postulantibus suffragia favebant.

XIII. E prioratu in abbatiam evexere hoc monasterium Martinus V. & Eugenius IV. summi Pontifices; atque in eam postea vetustam abbatiam sanctæ Cæciliæ ejusdem montis jugo impositam sequentes Pontifices transfudere; collata insuper jurisdictione quasi episcopali in basilica Montisserrati & oppido Monistrollo subjacente cum Bruci & Marganelli rusticanis parochiis; adeo ut Montisserati monasterium se nullius esse diœcesis asserat, in eaque sit hodie possessione; literis quoque apostolicis huic intentioni faventibus, quæ hoc monasterium *Vicensis sive nullius diœcesis* nuncupant. Reformationem Congregationis Vallisoletanæ Alexandri VI. summi Pontificis auctoritate, postulante Ferdinando Rege Catholico, in hoc monasterium inductam hodie quoque fovent Abbas & conventus; licèt belli vigentis occasione à Generalis Castellani ditione & obedientia sint exempti Pontificiis literis ea de re datis.

DISSERTATIO DE ORIGINE monaſterii Scalæ-Dei apud Bigerros, in diœceſi Tarbienſi.

I. ORIGINEM monaſterii Scalæ-Dei inveſtigantibus duo quædam certa conſtituenda ſunt, prior nempe domus illius conditus in agro qui vulgò dicitur *Capadur*, deinde ſubſecuta tranſlatio eum in locum quem hodie occupat. Vtriuſque loci ſitus proponendus eſt, & temporum epocha paulò accuratiùs obſervanda. Ac primò quidem ſciendum eſt Aturrum fluvium è ſummo Pyrenæi jugo digreſſum vallem illam apud Bigerros ſecare quæ deſinit ad municipium Campanum, famoſum ob butyri copiam, quod venale defertur ad civitates quæ inſigniores ſunt apud Occitanos & Aquitanos, ſcilicet hinc Toloſam & Narbonem uſque, illinc Burdegalam, Aginnum, Auſcios, Bajonam, Aquas, & Palum in Benearnio. In ſuperiori parte Campanæ vallis uſque ad montium prærupta adjacet oræ Aturri regio quædam agri montani, quamplurimis domibus ruſticis exculta, quam vulgo vocant *Capadur*, & quæ in veteri inſtrumento vocatur *Capatur*, quaſi

diceres *Caput Aturri*. quod quidem fluvii caput est in fastigio montis cujus declivia nomen illud occupavit.

II. Ea in regione condita olim fuerat abbatia Scalæ-Dei, indito nomine boni ominis capti ex celsissimis montium vicinorum jugis, quæ in scripturis sacris propter Sionem Dei majestatem velut præsentis & orationum ascensiones significant. Visuntur illic hodie veteris domus maceriæ; cujus fundamenta jacta fuerant in agro Comitis Bigorritani proprio, ut docet veteris schedæ statim proferendæ fides. A quo tamen agro Centullus secundus Comes præcipuam partem, petitione Fortonis viri nobilis fractus, avulserat. Dein, post obitum Centulli, pudore & pœnitudine ductus Forto juri sibi cesso renuntiavit in commodum monasterii ex auctoritate & consensu Petri Comitis Bigorræ atque Beatricis Comitissæ ejus uxoris. Proferenda sunt & expendenda vetustæ chartæ verba, ut rectè primæ illius fundationis tempus constitui possit. *Grangiam de Cabatur, ubi abbatia primitus facta fuit, Forto de Vico, qui locum illum à Centullo Comite impetraverat, consensu & voluntate Vvillermi Bigorritani Episcopi & Petri Bigorræ Consulis ejusque uxoris Beatricis dedit Valcherio Abbati Morimundensi & Ber-*

nardo Scalæ-Dei Abbati in manu Vvillermi Auxienſis Archiepiſcopi & Romanæ Eccleſiæ Legati.

III. Si extaret integrum iſtius donationis inſtrumentum, patefaceret primam monaſterii originem, quam tamen beneficio Comitis Bigorritani deberi ſatis perſpicuè docet cùm in agri ſive grangiæ dominicæ parte conſtructum oſtendat. Domus quippe religioſæ conſtructio, imò verò & abbatiæ dignitas hanc Fortonis donationem antecedit, utpote collatam in Bernardum jam tunc Abbatem Scalæ-Dei. Cùm autem in Valcherium quoque Abbatem Morimundenſem collata fuiſſe dicatur, metiendum eſt illius tempus ex annis Valcherii, qui Galterus dicitur in annalibus Ciſtercienſibus ab Angelo Manrique conſcriptis, ubi obiiſſe illum ſcribitur anno MCXXXI. poſtquam per quinquennium Morimundenſem abbatiam rexiſſet, ab anno ſcilicet MCXXVII. uſque ad annum MCXXXI. Sed in priorem hujus quinquennii annum non poteſt conjici, quoniam Centullus ſecundus Comes adhuc ſuperſtes erat anno MCXXVII. ut manifeſtè docent acta à nobis laudata in hiſtoria Benearnenſi lib. IX. cap. VII. Donatio autem Fortonis incidit in annos

Petri Bigorræ Comitis, qui etiam Marciani vicecomitatu potiebatur, atque Beatricis Comitissæ ejus uxoris. Hæc cùm filia foret Centulli secundi & Mabiliæ Centulli conjugis, cujus nomen huic veteri schedæ debetur, hereditario jure comitatum paternum obtinuit, ejusque nomen ac dignitatem cum Petro marito communicavit; cujus successionis initia, de quibus laborabamus in capite octavo ejusdem libri, ex istius chartæ auctoritate annum MCXXXII. antecedunt.

IV. Quare ut hunc articulum concludam, necessum est ut in hoc intervallum quod intercedit ab anno MCXXVIII. usque ad annum MCXXXI. donatio Fortonis conjicienda sit. Ceterùm abbatiæ dignitas promovenda est in tempus anterius, ut dixi, scilicet ad tempora Centulli secundi, qui ab anno MCXIV. comitatum obtinuit. Quòd autem intra fines istos coërceam primum monasterii conditum movet me & Bernardi primi Abbatis ætas, qui prætergredi non potuit exordia Centulli, tum etiam quòd Petrus Comes & Beatrix in actis donationum suarum preces pro se atque Centullo patre Mabiliaque matre excipiant, omissa Centulli avi & Bernardi fratris mentione; de quibus non tacuissent, si

prima monasterii constitutio eorum curæ deberetur.

V. Egregium profectò virum & virtute monastica clarum fuisse hunc Abbatem Bernardum oportuit, qui domum suam in ipsis cunabulis insignium pietate monachorum frequentia adeo instruxerit ut ex sua familia potuerit deducere colonias in Hispaniam; ubi nova monasteria instituit, quas filias vocare solent; inter quæ primum fuit Olivæ monasterium, quod auctore Bernardo conditum est anno MCXXXIV.

VI. Translatum fuit monasterium illud cum veteri abbatiæ dignitate in locum à priore dissitum quinque leucarum intervallo, intra fines comitatus Bigorritani, retento veteri Scalæ-Dei nomine, quod hodie etiamnum supersest ad ripam Rossii fluvii, nemoribus & præcelsis collibus cinctum; quarum uni impositum est castrum de Malovicino, de *Mauvesi* vulgò dictum, quod caput est vicariæ ejusdem nominis.

VII. Eum locum donaverant olim Azenario Priori sanctæ Christinæ duo viri nobiles, Arnaldus Vicecomes Levitanensis, & Raymundus de Burgo. Monasterium illud sanctæ Christinæ, quod obiter admonendum videtur, situm erat in fau-

cibus Pyrenæi, post superatam vallem Aspæ, in confinio Benearnii & Aragonensis regni, ad hospitium peregrinantibus illac & mercatoribus præbendum; possidebaturque à Canonicis regularibus beati Augustini donec arrepta occasione bellorum in Gallia ab hæreticis excitatorum Philippi II. Hispaniarum Regis opera destructum fuit, & bona piis locis distributa Romani Pontificis auctoritate; Prioriſque dignitas ac beneficium additum fuit Capitulo metropolitano Cæsaraugustæ, ceu monuimus in historia Benearnensi. Porrò Azenarius locum à viris illis nobilibus sibi collatum, de illorum consensu donavit Bernardo Abbati Scalæ-Dei anno MCXLII. quo *transmutatio facta est*, ut loquuntur & docent veteres chartæ.

VIII. Postmodum Petrus Marciani Vicecomes & Beatrix ejus uxor Bigorræ Comitissa eo in loco elegantem Ecclesiam & satis amplum monasterium construxerunt atque latifundiis aliquot & dominiis locupletarunt ad alendos monachos inibi Deo militantes; sola hac adjecta conditione, ut orent pro redemptione animæ Petri Comitis atque Beatricis, hujusque patris Centulli Comitis & Mabiliæ matris. Additumque insuper fuit,

ut iidem monachi viverent sub instituto Cistercienſium ; cujus ordinis particeps facta fuit Beatrix in vigiliis, jejuniis, & orationibus, & *inter fratres Scalæ-Dei soror numerata de consensu mariti sui*, ibique deinceps sepulta fuit.

IX. Dedicata autem fuit Ecclesia in honore beatæ Mariæ semper virginis anno Christi MCLX. *die* XXII. *Septembris*, *Epacta* XXII. *Indictione* VIII. *Concurrente V. Papa Alexandro Romanæ Ecclesiæ præsidente, regnante Ludovico Francorum Rege, & Henrico Anglorum Rege & Normannorum & Aquitanorum Duce.* Dedicationi huic præsentes fuerunt Gulielmus Archiepiscopus Auscitanus, B. Bigorritanus, Vitalis Aturensis, R. Lascurrensis, Gulielmus Aquensis, A. Convenensis, Bonushomo Conseranensis, & R. Tolosanus Episcopi. Totam porrò fundationem ceteraque confirmavit eadem die Centullus III. Petri & Beatricis filius *in manu Vitalis Adurensis Episcopi*, præsentibus Petro Comite ipsius Centulli patre & aliis quibusdam qui in charta toties citata nominantur.

X. Ad extremum monemus variis domus istius religiosæ direptionibus per bella plusquam civilia & hæreticorum dilaceratione factum ut egregiis illis monumentis

tis careamus quæ teſtarentur & Verolenſis abbatiæ in agro Aragonenſi à Bernardo Scalæ-Dei Abbate conditum, miſſis eò familiæ ſuæ monachis anno milleſimo centeſimo quadrageſimo ſexto, & datum anno MCL. Fiterii monaſterio apud Navarros conſtruendo celeberrimum illum Caſæ-Dei monachum Raymundum, eum videlicet qui poſtea militaris Calatravæ ordinis in Hiſpaniis auctor fuit, ſancti Gaudentii oppidi civem, (nempe diœceſis Convenenſis) ut ait vetus charta ab eruditiſſimo nobiſque amiciſſimo Ohienarto laudata libro II. Notitiæ utriuſque Vaſconiæ cap. III. Ex qua etiam charta illud addiſcimus, Fiterii monaſterium & pleraque alia, *velut filias*, Abbatis Scalæ Dei viſitationi ſubjecta fuiſſe. Hæc ſcribebam apud oppidum Vicanorum Aquenſium, quod hodie Bagnerias appellant, in gratiam religioſorum piiſſimorumque virorum monachorum Scalæ-Dei anno MDCLIX. XIII. Kalend. Octobris.

DISSERTATIO DE THECA reliquiarum ſancti Ioannis Baptiſtæ quæ ſervatur in Eccleſia Dominicanorum Perpinianenſium.

I. IN monaſterio fratrum Dominicanorum in urbe Perpiniani ſtudio ac pecunia Iacobi I. Regis Aragonum circiter annum MCCLII. condito ſunt inſignes ſancti Ioannis Baptiſtæ reliquiæ, nempe pars brachii ſiniſtri paulò infra cubitum reciſi ad extremam manum in digitos quinque diſtinctam, quibus ungues intimè adhærent, pelle pauliſper corrugata, carnei, licèt marcidi, coloris, oſſa & nervos ipſoſque ductus venarum, quæ veluti livorem quemdam retinent, circumtegente, extantibus in metacarpio vinculorum veſtigiis.

II. Harum reliquiarum fidem cùm exploraret Iacobus Prior de Aſpirano Canonicus regularis ordinis S. Auguſtini, eam in rem à Petro, dein à Raimundo Epiſcopis Elnenſibus delegatus, anno MCCCLXXVII. receptis gravium religioſorum teſtimoniis, in acta retulit ea quæ nos hic in pauca contrahimus. Anno MCCCXXIII. elegantis formæ adoleſcens acceſſit ad F.

Petrum de Alenia monasterii illius religiosum castigatæ vitæ, qui pretiosum sibique carissimum pignus, Compostellam pergens, apud eum deposuit, ea lege, ut sibi postmodum reduci redderetur, alioqui ad monasterium dono suo perventurum. Tradidit ergo thecam seu mavis loculum ligneum incrustatum, longitudine palmi unius ac semis, amplitudine & latitudine quadrantis, in qua pars illa brachii erat recondita, depicta in operculo sancti Ioannis præcursoris imagine alis ad humeros adornata, manu sinistra caput in disco, dextra librum inscriptum tenente. Latera verò thecæ continent decem & octo versus, singulos duodecim syllabis & pedibus senis eorumque ultimo ferè Iambico constantes, uncialibus literis Græcis vetustis descriptos. Peregrini reditu inutiliter expectato, tandem Alenia jam morti proximus monasterio sacrum depositum dono dedit juxta voluntatem adolescentis; quem nemo dubitavit fuisse angelum, qui ut Perpinianensibus Ioannem Baptistam jam tum à quingentis annis ut loci patronum colentibus gratificaretur, pignus reliquiarum hujusce martyris eò detulerat. Interim, quemadmodum acta illa docent, plurima miracula patrata sunt à Deo in curatione morborum varii gene-

ris, implorato ab ægris beati Ioannis auxilio, & vice versa, dolore tum brachii sinistri tum capitis afflictis iis qui reliquiarum veritati fidem detrahebant. Quam ut firmiùs comprobarent religiosi, circiter annum MCCCLXX. unum è suis Athenas miserunt Guillermum Albertinum, qui literarum in pergameno descriptarum interpretationem à peritis linguæ tum Græcæ tum Latinæ exquireret; quam retulit tandem literis attestatoriis Archiepiscopi Athenarum munitam, quas R. P. Lotius Dominicanus theologiæ professor in Perpinianensi universitate edidit anno MDXC. nosque hic inserendas duximus cum veteri illa versione ab Archiepiscopo Thebano adornata.

III. *Nos frater Antonius Dei & apostolicæ sedis gratia Archiepiscopus Athenarum ac Reverendissimi in Christo Patris & Domini Iacobi permissione divina Patriarchæ Constantinopolitani tam in temporalibus quàm spiritualibus Vicarius generalis notum facimus per præsentes literas Priori & fratribus conventus Perpiniani ordinis Prædicatorum Elnensis diocesis & universis suprascriptarum in Græca & Latina lingua scripturarum cupientibus intelligere veritatem quòd frater Guillermus Alberti ejusdem ordinis præsentavit & legit coram*

nobis & Reverendo Patre Domino Archiepiſcopo Thebano necnon & aliquibus diſcretis viris in Græca & Latina lingua bene peritis quandam litteram ſigillo præfati conventus ſignatam, in qua continebatur quòd ipſe frater Guillermus interpretari faceret & transferri ſuprà adnotatas Græcas literas in literam & linguam Latinam; quarum tenor, ut omnibus nobis patuit, eſt quoddam carmen ſtylo Græco ſatis profundo & rhetorico ad laudem præcurſoris Chriſti beati Ioannis Baptiſtæ ad devotionem reliquiarum ejus orantes provocans & ad devotionem pariter inducens. Quapropter ſupradictus Pater Dominus Archiepiſcopus Thebanus Hebræa, Græca, & Latina linguis & literis ſufficienter imbutus, devotione prædicti ſancti affectus & ſupradicti fratris Guillermi ſupplicatione humili, ſupraſcriptam de Græco in Latinum de verbo ad verbum tranſtulit cum magna deliberatione ac noſtra & aliorum multorum in utraque lingua peritorum approbatione, nihil addito, nihilque remoto. In quorum teſtimonium ſigillum noſtrum impendenter apponendum duximus, necnon per manus publici Notarii hæc omnia in Latina lingua ſcripta fideliter conſtrui & ſignari mandavimus, ut patet volentibus intueri.

IV. Quæ Græcè ſunt in operculo thecæ deſcripta, Archiepiſcopus Thebanus ſic vertit. Supra caput : *Sanctus Ioannes*

Præcursor. In libro manus dextræ: *Clama Præcursor, Minister Verbi. Pœnitens ostende naturam mortalium.* Ad pedes: *Quid te vocabimus, Prophetam, Angelum, Apostolum, aut Martyrem?* In lateribus loculi sunt descripti versus Græci, quos vetus ille interpres sic vertit.

Deus descendit in omnium salvationem.
Veni tu, Præco, declarare verbum.
Omnia tua miratu plena extant.
Dixit Gabriel nativitatem tuam extranee.
Patris renitentiam punire vult,
Pœnam autem mutitiam infert citò.
Supra apparuisti virtutes ter beatas
Melior Prophetis, æqualis Apostolis.
Martyrum apparuisti ornamentum plenum quid, beate.
Non gustans cibum quæliumcunque quæ in natura sunt.
Genuflectens adjuva omnes, ut mos est,
Præbens succursum adjacentibus voto
Honorabili tui positioni reliquiarum.
Negotiorum volutiones, & revolutiones vitæ,
Sanitatem corporis cum lætitia ligans;
Benedicens autē ipse & gubernans, ut tibi fas est.
Fers alas, adæquatus angelis,
Materialis existens immaterialiter, ut salvator dixit.

V. Ex ipso literarum stylo & contextu manifestum est Antonium fuisse commu-

nionis Latinæ Archiepiſcopum, præcipuè cùm illa tempeſtate Athenas & vicinas regiones obtinerent Catalani. unde Coronæ Aragonum quæſitum Ducatus Athenarum & Neopatriæ nomen. Porrò Antonius, ut pleniori juriſdictione frueretur, adjunxit ſuæ vicariam auctoritatem Iacobi Patriarchæ Conſtantinopolitani, ejus nempe qui à Romano Pontifice inſtitutus erat, non autem Patriarchæ Græci degentis in urbe Conſtantinopolitana.

VI. His per tranſennam adnotatis, pergendum eſt ad examen veteris verſionis; quæ facta eſt *de verbo ad verbum*, ut teſtatur Antonius Athenienſis. Quod ipſe quoque deprehendi, comparando verſus qui ſuperſunt integri in loculi lateribus cum verſibus tranſlationis. Adeo enim ſcrupulosè textum ſequitur interpres ut nec ordinem dictionum pervertat, nec pura Latina adhibeat. unde obſcurior redditur ſententia interpretationis. Sanè quæ ſunt in loculi operculo deſcripta, apprime reſpondent verſioni veteri quam exhibuimus. Græca autem ſic ſe habent. Supra caput ὁ ἅγιος Ιωάννης ὁ πρόδρομος. In libro manus dextræ. φώνει ὁ πρόδρομος ὑπηρέτης λόγου. Μετανοεῖν δείκνει ἡ φύσιν τ̃ βεστῶν. Ad pedes. τί σε καλέσωμεν προφήτην, ἄγγελον, ἀπόστολον, ἢ μάρτυρα. Ceterùm ex decem

& octo versibus ex quibus integra inscriptio constat, supersunt tantùm duodecim, sex aliis unà cum incrustatione thecæ deperditis. Quare alteram paulò fa iliorem aggressus sum interpretationem, ut lector genuinam versuum sententiam absque labore assequatur; relicta tamen sex versuum deperditorum versione, nisi si quando juvanda fuit dictionis alicujus supplemento.

VII. Ponam itaque versus qui supersunt, ecclesiasticos illos quidem & ad tropariorum similitudinem modulationi aptos, sed elegantioris quoque sententiæ.

. . . . . .

. . . . . .

Ἀπαύστα τά σου θαύματος πλήρη εἰσι.
Λέγει Γαβριὴλ τ̃ γέννησίν σου ξενως.
Παιδὸς τ̃ ἀπείρειαν τιμωρῶν θέλει,
Δίκην ὃ τ̃ κωφεύειν εἰσφέρει πάχος.
Υ ωφέλει ὤφθης ἀρετῶν τερισολβίων,
Κρείττων τερεφητῶν, ἴσος ὢν ἀποστόλων.

. . . . . .

. . . . . .

. . . . . .

. . . . . .

Τῇ τιμία σου θήκῃ τῇ τ̃ λειψάνων.
Πεασμάτων ἐλίσσεις τε, χ̣ τροφὰς βίου,
Ρῶσιν σώματος, σὺν θυμηδία δέων.
Εὐλογῶν δ' αὐτὸς, κυβερνῶν ὡς σοι θέμις.

φέρεις πτέρυγας, ὡς ἰσαγγέλοις,
Ενυλος ὢν, ἄϋλος, ὡς σωτὴρ ἔφη.

VIII. Eos versus sic vertendos duximus, admixta in locum deficientium, ut dixi, veteri versione.

Deus descendit in omnium salvationem.
Veni tu, Præco, declarare verbum.
Omnia tua miraculi sunt plena.
Nativitatem tuam exponit Gabriel extra ordinem.
Patris vult punire incredulitatem.
Pœnam statim infert, ut sit mutus.
Apparuisti superior ter beatis virtutibus,
Potior Prophetis, Apostolis æqualis.
Martyrum apparuisti ornamentum plenissimum, beate.
Non gustans cibum qualiumcunque quæ in natura sunt.
Genuflectens adjuva omnes, ut mos est.
Præbens auxilium procidentibus ex voto
Ad honorabilem tuarum loculum reliquiarum.
Rerum complicationes & vitæ vicissitudines,
Salutem corporis cum jucunditate nectens.
Benedicens autem ipse & gubernans, ut tibi fas est.
Fers alas, ut æquatus angelis,
Materialis cùm sis, materiæ expers, ut salvator dixit.

IX. Non dissimulandus est error Lotii in versu nono, ubi Ioannes dicitur mar-

tyrum decus & ornamentum pleniſſimum. quod interpres ſic è Græco expreſſerat, *plenum quid*, πλήρες τι. cujus dilectionis adjectio auget prioris verbi ſignificationem. Putavit autem Lotius interrogandi vicem *quid* habere, ſicque diſtinxit contra mentem auctoris & interpretis. Nos autem, ne quis iterum ceſpitaret, maluimus ſenſum reddere & *pleniſſimum* vertere, non autem *plenum quid*.

X. Quod autem præfert verſus decimus, Ioannem nihil ediſſe, id poſitum eſt ad demonſtrandam ejus auſteriorem ac ſeveriorem abſtinentiam juxta phraſim à Domino uſurpatam, qui ait in evangelio Ioannem veniſſe nec manducantem nec bibentem. Obſervanda eſt locutio undecimi verſus, qua ſic imploratur auxilium Ioannis ut ipſe quoque illud petat à Deo, *genuflectens*, id eſt, γονυπετῶν Græcè.

Ex decimo tertio addiſcimus verſus iſtos ad uſum hujus thecæ ſive loculi quo conduntur reliquiæ ſancti Ioannis fuiſſe compoſitos. Sed decimi ſeptimi & decimi octavi, quibus tota inſcriptio concluditur, ſententia eſt elegans. Alludit ad alas in imagine depictas ac ſi eſſet unus ex angelis, quibus uſus vetuſtiſſimus Eccleſiæ ex ſcripturis petitus alas tribuit. Auctoritatem verò huic angeli nomenclaturæ addit

ex dicto Christi, qui in evangelio angeli nomen dedit Ioanni. Vnde concludit auctor posse dici Ioannem materiæ expertem, licèt sit ex materia concretus, ἔνυλος ὢν, ἄϋλος.

XI. Alteram eorum versuum interpretationem ab Hersenio Episcopo Græcorum Nicosiæ in Cypro factam anno MCCCCVII. edidit Lotius: quam nos omittimus, quoniam paulisper ab exacta sententia textus deflectit; quamvis disertè exponat hanc esse capsam reliquiarum sancti Ioannis. Hoc enim verbum capsæ usurpat. Hujus versionis novæ perquirendæ occasio petita fuit ex lite quæ in causa appellationis pendebat coram Antonio Abbate monasterii sanctæ Mariæ de Regali in urbe Perpiniani siti delegato à Benedicto XIII. quam fratres Prædicatores interposuerant adversùs prohibitionem à Bartholomæo Episcopo Elnensi sibi factam ne publicè exponerent has reliquias in die festo decollationis beati Ioannis, eo prætextu quòd auctoritate Romanæ sedis nondum essent approbatæ. Delegatus, recensitis actis illis primis à Priore Aspirani confectis, pluriumque curationum postmodum factarum, etiam per anulos contactu brachii vim curatricem indeptos, testimoniis, in pos-

ſeſſione veteri reliquias illas publicè exhibendi fratres Prædicatores conſervandos decrevit anno MCCCCVII. deſinente.

XII. Quare cùm in hac urbe Perpiniani ægritudo quædam nos detinuiſſet, poſt ſolutam quam cum Regis Hiſpaniæ delegatis ex mandato glorioſiſſimi Regis noſtri de limitibus utriuſque regni collocutionem habueramus, exiſtimavimus nihil nos ab officio noſtro alienum facturos ſi poſt Archiepiſcopos Athenienſem & Thebanum, noſtrum quoque de verſiculorum ſenſu ſuffragium adjungeremus, & fugientes Græcas literas ſiſteremus huic noſtræ lucubrationi per intervalla febris elaboratæ inſertas. Actum Perpiniani anno MDCLX. VI. Nonas Maij. Quo die hinc diſcedimus, Toloſam ad ſedem noſtram redituri.

FRAGMENTA.

I.

Adversùs satyras.

I. PRODIERAT in lucem infaustis auspiciis libellus quidam, tacito auctoris nomine, pro asserendis Presbyterorum parochialium juribus adversùs regularium varios conatus, quibus illa perturbari querebatur. Putavit partium suarum esse Ioannes Bagotius Societatis Iesu Presbyter pietate & eruditione clarus hominis impetum contundere; habiturumque operæ suæ fautores Episcopos sperabat, quòd eorum dignitatem auctoritatemque, libello illo læsam, suo disertè vindicaret; non omissa tamen regularium cura, quibus tuendis tractatum penè integrum absumpsit. Interim cleri Gallicani cœtus generalis habitus est Parisiis; quam in civitatem se contulerant dilecti à provinciis singulis Episcopi duo, totidemque secundi ordinis delegati, viri

sanè muneri ad quod destinati fuerant non impares, utpote qui pietatis, ingenii, eruditionis, prudentiæque dotibus erant singulariter instructi. Alienum itaque ab officio suo esse cùm existimassent indiscussos relinquere & libellum anonymum eique adversum Bagotii tractatum, cùm in eis de sacramento pœnitentiæ & aliis capitibus ad salutem fidelium Episcopis specialiter & principaliter commissam pertinentibus ageretur, dispunctionis illius curam delegarunt selectis quibusdam ex primo & secundo ordine viris; qui negotium illud studiosè amplexi, diuturno & serio labore quod sibi munus mandatum erat frequentibus ea de re ad cœtum cleri relationibus factis impleverunt. Pupugerat Episcopos, inter cetera, definitio illa Bagotii qua velut ex D. Thomæ doctrina scripserat posse Romanum Pontificem omnes episcopales functiones in singulis diœcesibus, non expectato propriorum Episcoporum consensu, per se vel per alios à se delegatos perficere. Huic de se factæ expostulationi respondit scripto Bagotius; professusque est, inter cetera, sententiam suam illam eo se modo intelligere quo potestas Pontificis explicata fuerat à Concilio Florentino, prout ego synodi illius verba

interpretatus fueram in præfatione voluminis noſtri de concordia ſacerdotii & imperii; tandemque eum in ſenſum articulum ſuum clero Gallicano oblatum expolivit quo poteſtatem inter atque illius uſum diſtinxit; hujuſque modum à jure & regulis in eo expreſſis petendum docuit juxta noſtram de ſenſu decreti Florentini ſententiam.

II. Dum iſta ſatis calidè agerentur apud cœtu cleri, libellus quidam emerſit inſcriptione ſua pollicitus ſententiæ Bagotianæ confutationem, quam trahendam aiebat ex Concilii Florentini & Glabri teſtimoniis deſumptis, ut ipſe dicebat, è libro noſtro de concordia. Itaque ſtatim auſpicatur opus illud ſuum ab exhibitione commentationis ejus quam in decretum Concilii edideramus in corpore voluminis, omiſſa interim quam in præfatione operis uberiorem & minùs invidioſam decreti illius interpretationem præbueramus. Hac autem ſcribendi arrepta occaſione, contendit ex noſtris illis principiis non tantùm falſam eſſe Bagotii opinionem, quatenus abſque ullo diſcrimine poteſtatem gerendi vel delegandi functiones omnes pontificales in ſingulis diœceſibus invitis earum Epiſcopis Papæ permittit, ſed porrò nullum jus competere

competere Romano Pontifici agendi aliquid in aliena diœceſi aut regulares alioſve cœtus ab Epiſcoporum juriſdictione eximendi. Deinde in auctoritatem Papæ per univerſas Eccleſiæ partes diffuſam plenus Luthero, Calvino, & Antonio Spalatenſi debacchatur, veterem illam conqueſtionem Gregorii M. adversùs Ioannis Conſtantinopolitani audaciam detortis interpretationibus ad ſuum propoſitum trahendo. Tandem Ianſeniani erroris confixi dolore preſſus, quamvis de poteſtate in miniſteriis obeundis ſolùm ageretur, ille propoſiti ſui tenax, quod præcipuum animo volvebat, ſe ad diſſerendum accinxit de auctoritate Papæ in definiendis articulis fidei, quam non ſolùm infallibilem non eſſe dixit, ſed potiùs nullam, eam lectoribus per ludibrium irridendam propinando, advocatis aliquot è Bagotii Apologetico teſtimoniis, ac ſi cauſam illius ageret.

III. Sparſo per urbem & apud collegas noſtros clancularíis artibus libello illo, amici quidam meæ famæ ſtudioſi me monuerunt doli mali quo auctor ille veteratoriè in me utebatur, ut incautis ex meo nomine, quod operi ſuo præſcribebat, faciliùs perſuaderet quos ille errores ſeu potiùs hæreſes congerebat, vel à

me doceri, vel ex libri mei definitionibus colligi. Has artes ego quoque etiam non monitus agnoveram. Sed contemnendum existimabam latentem post columnas mali nominis debitorem, præcipuè cùm opusculum istud à nostris Episcopis non solùm contemptu sed etiam indignatione communi jam exceptum viderem. Attamen nolui deesse consilio amicorum, conquestusque sum tandem apud religiosissimos patres de injuria mihi facta ab auctore libelli, qui errores suos obtento nomine meo tegere vellet, in eorumque me consortium & evictionem vocare. Fassus quidem sum me opere illo nostro scripsisse regendam juxta canones Ecclesiam à Pontificibus Romanis, hancque esse regulam quam ipsimet sibi præscribunt; sed auctorem illum dissimulasse dixi exceptionem quam illo eodem opere docui, quoniam propositum illius funditus evertebat, scilicet penes sedem apostolicam plenam potestatem esse canones illos remittendi & temperandi quando res ita ferunt, eaque dispensandi auctoritate usos esse summos Pontifices à mille & ducentis annis tam in occidente quàm in oriente. Adjunxi etiam priori conquestionis capiti devolutum auctorem ad subsannandam & traducendam auctoritatem

ſummi Pontificis in decidendis controverſiis fidei, cùm ſummopere auctoritas illa & colatur & ſuſcipiatur ab Eccleſia Gallicana, cujus ea de re ſententia patefacta erat in tribus epiſtolis datis ad Innocentium X. & Alexandrum VII. à cœtu Epiſcoporum in cauſa Ianſenianæ hæreſeos, & ex ejus mandato à me compoſitis. Petivique tandem à religioſiſſimo cœtu daret operam ut libellus ille quantocyus conquireretur, quò debita cenſura à cœtu notari poſſet, interim verò ut auctoritate publica Regis ejus lectio vetaretur, interpellato Domini Cancellarii præſidio.

IV. Summo applauſu ab univerſis excepta eſt conqueſtionis meæ ratio, omniumque ſuffragiis decretum ut Dominus Epiſcopus Meldenſis provinciæ Pariſienſis delegatus, cujus ſingulares animi dotes Gallia colit, à ſuper illuſtri Cancellario fratre ſuo libelli ſuppreſſionem impetraret. Cautumque præterea ut expoſtulatio mea unà cum decreto in acta publica redigeretur, quò poſteris conſtaret quantopere ab hæretici illius vecordia clerus Gallicanus abhorreret. Debuerat cedere tot procerum ſacrorum judicio, niſi in animum induxiſſet per calcatam quæ patribus debetur pietatem gradus

ad parricidalem famam sibi facere. Quare post quindecim mensium silentium, quas interim meditatus erat adversùs summi Pontificis & Episcoporum auctoritatem profanas definitiones, quasi conquestioni meæ responderet, prælo commisit, longissima epistola ad me directa ab errorum sociis postmodum publicanda.

V. Posuit in fronte excerptam ex actis publicis cleri expostulationem meam cœtusque sanctissimi decretum, cujus auctoritatem observationibus suis, quas subjungit, infringi posse sperabat. Ait decretum illud à me subornatum & suppositum. Quasi suspicio falsi in me cadere possit, qui quondam Parlamenti Navarræ Præses in criminis illius reos lege Cornelia frequenter egi, qui tria juris præcepta per totum vitæ decursum in statu seculari laudabiliter, quod ad hominum judicium attinet, implevi, quique in statu ecclesiastico castigatiorem, quantum fieri potuit, instituti mei tenorem sequi summopere curavi. In huius ergo criminis societate conjuncti mihi erant & Præses comitiorum, qui actis subscripsit, religiosissimus & candore animi atque sinceritate conspicuus Dominus Archiepiscopus Narbonensis, tum qui acta illa subscriptione sua firmata publicarunt, tum cœtus secreta-

rii, moxque pro meritis in Ecclesiam quisque suis, hic Coadjutor Archiepiscopi Viennensis creatus, alter Episcopus sancti Papuli. Sed quàm falsus sit animi, qui sola falsi allegatione adversùs decretum quam patitur damnationis infamiam diluere se posse confidebat, vel saltem ex schola rhetorum, quam excoluisse declamatoria sua oratione cupit videri, didicisse potuerat, docentibus magistris accusationem ejus criminis quod non est verosimile, se ipsa refelli, non expectata rei exceptione. Quid autem alienius à verosimili quàm virum non alioqui vecordem octoginta hominibus attentis & sagacibus, qui deprehendere reum possent in manifesto scelere, falsum decretum obtrusisse? Facetus autem homo vult sibi plaudere doloremque suum minuere alterius calumniæ remedio quam comminiscitur, asserens tam odiosè exceptam ab universo cœtu conquestionem meam ut ab amicis quoque meis palam irrisus fuerim. Addere debuerat id patere ex decreto quod ea de re latum est, nisi quòd ab eo se liberatum putat sola audacia falsi conficti.

VI. Enimvero derisum tunc me fuisse fatebor si unquam ea fuerit infelicitas mea ut quæ in cœtu celebrium eruditione

& dignitate virorum, tum in senatibus & consiliis regiis, tum in aliis provinciarum & urbium conventibus, sæpius de negotiis publicis & privatis edisserui, non fuerint prono audientium favore recepta. Ita nec pipulo aliquis unquam ante fores me distulit, nec convicio in os affecit, neque à tergo ulla ciconia pinsit. Ingratus autem erga sanctissimum illum Episcoporum & Presbyterorum conventum fuerim, si me ingentes illi gratias debere non fatear ob singularem illam humanitatem quas meas sœpe de negotiis ecclesiasticis & politicis extemporaneas commentationes excipiebat, quasque frequenter à me licèt invito & sponte tacente exigebat; tantum aberat ab eorum quæ à me dicebantur subsannatione & ludibrio. Quare callidè se gessit tenebrio ille dum capiti suo velum obtendit sub quo lateret, ne duplicis calumniæ nota frons ejus inurenda ex veteri lege calumniatorem in hominum oculis velut in theatro cum elogio criminis traduceret.

VIII. Istis calumniæ præsidiis paratus, eadem bona fide aggreditur conquestionis & capitum de concordia à me citatorum dispunctionem. Contendit primùm nullam mihi fuisse causam conquerendi de testimonio Glabri, sed præcipuè

Concilii Florentini ab eo in priore libello adducto, cùm eo usus fuerit juxta interpretationem meam, pro confutanda scilicet Bagotij opinione, quæ permittit Papæ omnes episcopales functiones per se vel per delegatos suos obeundas absque consensu Episcoporum. Atque adeo in eadem illa interpretatione se iterum prolixiùs jactat in hac epistola ut fidem faciat, ex meis quoque principiis, suæ doctrinæ, quam tamen profert ultra limites rei controversæ. Deinde progreditur ad ulteriorem disquisitionem capitum illorum libri de concordia in quibus contendebam contrariam auctoris menti sententiam comprehendi & explicari; ubi vafris cavillationibus, quam apertis verbis expressi, mentem meam obscurare, torquere, & quasi per vim mihimet ipsi eripere conatur.

VIII. Tandem pondere veritatis velut in equuleo distentus fateri cogitur meas definitiones suis opinionibus adversari, atque adeo de illis mecum satis inhumanè digladiatur, mihique velut capitale læsæ antiquitatis crimen objicit quòd derelicto veteri jure canonico, novum amplexus sim, sicque argentum meum versum sit in scoriam, ut ipse scribit ex Propheta. Ex qua narratione patet stu-

por hominis, qui cùm nullam mihi conquerendi causam fuisse velit ex eo capite quòd dicerem eum alienam à meo sensu opinionem mihi affinxisse, idque se demonstraturum toto hoc libello profiteatur, attamen in eas ipse tandem se deductum videt angustias ut mecum confligere de principali capite disputationis cogatur, de potestate scilicet supra canones apostolicæ sedi pridem juxta canones quæsita, & de viribus juris novi, quod veteri derogat.

IX. Hæc velut in folle & quasi per aversionem dixi, ut faciliùs larvati hominis vafrities detegatur, qui causæ conjectionem mutat, & quod de singulari quadam Bagotii opinione vera vel falsa, de qua sola tunc agebatur, discutiendum sibi proposuerat, ad generalem quæstionem de potestate universali Pontificis Romani in omnibus causis & casibus transfert, ut eam funditus evertat.

X. Bagotius, quemadmodum dicebam initio, invitatus ab Episcopis ut apertiùs mentem suam aperiret, non alio duce ab hoc labyrintho extricare se voluit quàm decreto Concilii Florentini juxta interpretationem quam illi adhibueram in præfatione operis de concordia. Ex adverso tamen stat adversa-

rius, qui ex mea quoque interpretatione dirimendam litem vociferatur. Itaque cùm ab utroque litigantium delectus arbiter, addictus sim formulæ quam mihi ipsi & aliis præcripsi, non possum defugere auctoritatem nec judicii ferendi onus detrectare. Quod ut faciam breviter, sed robustè, observare debeo verba decreti Florentini, comparata Græca oratione cum Latina, me illo proposito expendisse ut pateret sincera mens patrum, ne ampliùs decreti verbis quidam è nostris Theologis, ut factum olim temporibus Concilii Tridentini, terrerentur quò minùs illis liquidò subscriberent. Itaque dixi potestatem regendi universalem Ecclesiam tribui quidem per decretum illud summo Pontifici, ea tamen lege ut modus in illa potestate exercenda sequendus sit quem & acta Conciliorum & canones exhibent. Vnde ex Grecis Latina sic dispungenda dicebam: *quem ad modum & in actis Conciliorum & in canonibus continetur*, ὰτὶ τῦ, *quemadmodum etiam*, prout hodie legitur in editis. Sanè in capite octavo libri tertii errorem lectionis illius dolo Abrahami Cretensis, qui primus Concilium Latinè vertit, tribuendum scripseram. Sed re meliùs expensa, doli invidiam interpreti detraxi, & ex hodierna

lectione priorem patrum sensum colligi posse scripsi in præfatione operis; quamvis emendari debeat juxta veterem lectionem saltem in voce *etiam*, cujus loco legitur *&* apud Nauclerum, Fulgosium, & Antoninum, qui referunt verba decreti temporibus suis editi. Si quis verò castigationem illius vocis, quamvis apertiùs decreti sensum patefaciat, insuperhabeat, nihil demi perspiciat de vera decreti sententia, quam primus, ut puto, publicavi. Ex hac probè intellecta Bagotius controversam petitionem suam Episcoporum cœtui probavit, docens potestatem Papæ in singulis diœcesibus juxta modum in canonibus præscriptum esse exercendam & in casibus à jure expressis, fortean si necessitas urgeat supplendæ negligentiæ prælatorum, ad evidens commodum & ædificationem Ecclesiæ atque fidelium. Sed adversarius meam sententiam & decreti concepta verba in pravum sensum detorquens, non in eo hæret ut modus potestatis exerceatur juxta canones, sed addit amplius quod à malo est, nempe sic exercendam juxta canones ut nihil Papæ liceat supra canones, atque adeo cùm secundùm canones Episcopi nihil agere possint in aliena diœcesi absque consensu proprii Episcopi, eandem esse causam

Papæ, qui iisdem canonibus subjicitur. Hæc consecutio additur quidem ab adversario decreti verbis & meæ interpretationi. Sed jam olim damnata est ab actis Conciliorum & canonibus, & tandem anathemate in auctoribus suis fulgurita, ut ostendam suo loco; ubi Glabri mentem, & quodnam sit illius testimonii pondus, expendam. Quis ergo non faveat conquestioni meæ, cùm videat & Concilio & mihi portentum illud schismaticæ imò & hæreticæ nequitiæ imputari quod majoribus hostiis procurari debeat, si non effuso, quod nolim, saltem suffuso adversariorum sanguine, quoadusque eos sceleris sui pudeat & pœniteat.

XI. In quamplurimis sanè operis nostri locis diserte scripsi in canonibus & decretis Pontificum veram esse regendæ universalis Ecclesiæ regulam, quam sibi ceterisque ea religione observandam proponunt ipsi summi Pontifices ut si per obreptionem contrarium illis aliquod apostolicæ sedis rescriptum importuna petentium suggestione elicitum fuerit, irritum esse decernant. Sed longissimè distat hæc definitio ab illa quam adversarius invehit opinione. Ista enim Papæ adimit omnem auctoritatem de canonibus ipsis decernendi, seu per remissionem & tem-

perationem juris vel aliam dispensationem, seu per specialem in causa aliqua derogationem. Quare consultò observavi in mea conquestione ea omnia quæ de canonum viribus & auctoritate à me scripta fuerant sic capienda quemadmodum veteres Pontifices atque tandem Pius IV. de Concilii Tridentini canonibus & decretis constituerant, scilicet juxta illam regulam componendas esse controversias ecclesiasticas. Deinde subjunxi caput aliud, quo nefaria adversarii opinio aliena & à veritate & à mea mente demonstrabatur, nempe regulam illam accipiendam esse cum exceptione auctoritatis pontificiæ in dispensationibus canonum concedendis, qua summos Pontifices jam mille & ducentis abhinc annis usos fuisse in occidente & oriente notavi docuisse me ejusdem operis libro tertio per quatuor integra capita.

XII. Sed urget adversarius, & in me velut mirmillonem retiarius scilicet emeritus agit, meque non suis tantùm sed meis quoque retibus captum ludibrio lectorum traducendum exponit. Asserit, veluti juris sui fiducia fretus, inanem esse querelam meam, etiam positis quæ descripsi potestatis pontificiæ fundamentis in remissione canonum. Quod ut evincat,

minutis ad pleroſque paragraphos notis id unum præ ſe fert, hoc vel illo loco nihil detrahi ſuæ opinioni. Quod joculare eſt, quaſi ſcilicet ſingulæ periodi ad controverſiam nondum exortam dirigi debeant. Hic monendus (ut reſipiſcat, ſi qua illi pars ſanæ mentis ſupereſt) quatuor illa capita voluminis noſtri ſuperiùs laudata complecti longiſſimam & eruditam, præfiſcine dixerim, diſſertationem de antiqua auctoritate ſummi Pontificis in diſpenſatione canonum. Hanc materiem methodo quadam noſtris auctoribus intacta, propoſitis à vetuſtate petitis exemplis, & progreſſu illius juris animadverſo, in unum corpus compegi. Veterem diſpenſandi modum eum docui qui verſabatur in venia canonis violati & in viribus reſtitutis, tum ordinationi, tum ceteris actionibus, quæ ſummo jure ex vi canonum erant nullæ, ceterùm à ſexcentis annis invaluiſſe uſum remittendæ obligationis canonum, ne ſcilicet per factum contrarium violati cenſeantur. Porrò ut quàm vetuſtus eſſet uſus poteſtatis illius pontificiæ demonſtraretur, recludenda fuerunt ſcrinia antiquitatis eccleſiaſticæ, & quæ ſparſa erant in unum colligenda, quò manifeſtiùs pateret in omni cauſarum genere uſurpata diſpenſationum

possessio. Itaque nunc de .....
Heic subsistit auctor.

II.

De advocatione Comitum.

QVI de seculari advocatione tractant, ejus originem repetunt à Concilio Africano. In quo sanè viros graves hallucinatos fuisse suspicor, & in eum errorem impegisse ductos verbis lemmatis quod Dionysius exiguus canoni LXXV. præfixit *De defensoribus Ecclesiarum ab Imperatore poscendis.* Tamen si canonis verba expendantur, & ejus consuetudinis ratio habeatur quæ tum in Ecclesia vigebat, facilè sententiam veram patrum assequemur. Episcopi intercessionem suam erga Principes iis præstabant qui potentum vi oppressi, de injuriis suis apud Ecclesiam conquerebantur & ejus auxilium flagitabant, ut docet canon octavus Concilii Sardicensis: *Honestum est autem ut Episcopi intercessionem his præstent qui iniqua vi opprimuntur, aut si vidua affligatur, aut pupillus expolietur; si tamen isthæc nomina justam habeant causam aut petitionem.* Sed quia molestum erat tam frequentibus querelis Imperatoribus negotium facessere, & ut

adeundi comitatus præcluderetur occasio Episcopis Afris, quibus solenne erat ob leves causas in comitatum proficisci, ut docet canon octavus Sardicensis, illud consilium inierunt patres ut ab Imperatore defensionem pauperum alicui sedulo & industrio demandari poscerent, qui delegata jurisdictione oppressos tueretur. Verba canonis sunt hæc: *Ab Imperatoribus universis visum est postulandum, propter afflictionem pauperum, quorum molestiis sine intermissione fatigatur Ecclesia, ut defensores eis adversùs potentias divitum cum Episcoporum provisione delegentur.* Itaque defensores isti, quos constitui poscebat Concilium, non poterant dici Ecclesiarum defensores, sed pauperum. Tamen mirari subit cur Episcopi de his defensoribus petendis essent adeo solliciti, cùm pauperiorum & tenuium injuriis jam prospectum & cautum esset legibus publicis, quæ unicuique civitati defensores suos, qui plebis parentes dicerentur, jam dederant; quorum munus in eo præcipuè versabatur ut plebem & decuriones ab omni improborum insolentia & temeritate tuerentur, parentis vicem plebi exhiberent, descriptionibus rusticos & urbanos non paterentur affligi, officialium insolentiæ & judicum procacitati salva reverentia

pudoris occurrerent, & similia id genus peragerent quæ constitutionibus huic magistratui concedebantur *L. 4. §. & passim Cod. De defensoribus civitatum.* Itaque eò feror ut mihi persuadeam non in eam præcipuè curam incubuisse Concilium Africanum ut pauperibus defensores delegandos procuraret, qui jam erant constituti, sed ut in delegandis defensoribus Episcoporum suffragia suum locum obtinerent, eo scilicet colore quòd Episcopis pauperum sublevatio esset velut ex officio concredita. Hæc est canonis sententia, si rectè verba ista perpendantur: *ut defensores eis adversùs potentias divitum cum Episcoporum provisione delegentur.* Sanè ratio habita est hujus adeo justæ petitionis, non quidem statim atque Principibus porrecta fuit, sed post aliquot annos; ut patebit liquidò, si quis calculum ineat & componat annum CCCXCVIII. (quo est habita synodus illa Carthaginensis in qua de istis defensoribus est constitutum) & annum CCCCIX. legis ab Honorio editæ qua ad Afrorum postulata videtur omnino rescribere. Iubet enim defensores civitatum Episcoporum ac clericorum æquè ac honoratorum & possessorum decreto constitui & sedis prætorianæ auctoritate firmari;

mari ; ita ut si quid à qualibet persona contra disciplinam publicam in læsionem possessorum fieri cognoverint defensores, referendi habeant potestatem ad Præfectos prætorio ; magistros militum, magistros officiorum, & Comites sacrarum largitionum. *L. 8. Cod. De defensorib. civitatum.* Iustinianus non solùm obliteratam & detritam defensorum dignitatem restituit, sed etiam auxit Novella XV. qua inter cetera cavet ut ex honestioribus civibus eligantur, sed decreto Episcopi, cleri, & honoratorum, ut patet ex epilogo Novellæ. Quamvis autem nullum apud me dubium superst quin sententia Afrorum eò præcipuè tendat ut defensorum delegationi interfint Episcopi, tamen inficias non eo quin Zonaras eò mentem canonis trahat quasi scilicet Episcopi coërcendorum potentium unà cum defensoribus auctoritatem sibi demandari peterent. αἰτοῦσιν οἱ ἀπὸ συνόδου ταύτης τὸν βασιλεῖς, δοθῆναι ἑνὰς ἐκδίκους, ὥστε μὴ τὸ ἐπισκόπων ἀναφέλειν τὰς τῶν πλουσίων τυραννίδας, inquit Zonaras canone LXXXI. Græcæ collectionis. id est. *Postulant ab Imperatore hujus synodi patres ut defensores aliqui constituantur qui simul cum Episcopis potentiorum tyrannidem reprimant.* etsi nullum subsidium interpretationi Zonaræ conferre possit

collectionis Græcæ textus, quin potiùs liquidò ostendat quæsitam tantùm suffragii episcopalis in constituendo defensore necessitatem : ὥστε ἀδίκους τούτοις μὴ τοὺς ἐπισκόπων παρρησίας ἐπιλεγῆναι καὶ τοῦ πλουσίων τυραννίδος. Hoc perspectum fuit Balsamoni, qui canonem sincerè sic enarrat ut verba ista *cum Episcoporum provisione* ita reddat, *cum Episcoporum electione.* Ἀνάγκη πᾶσα ἐπίκειται τοῖς ἐπισκόποις ἀντιλαμβάνεσθαι τῶν ἀδικουμένων. ἐπεὶ δέ τινες, ὡς ἔοικεν, ἐπίσκοποι λέγοντες περὶ πτωχῶν καὶ καταπονημένων οὐκ εἰσηκούοντο, πεπτώκασιν οἱ πατέρες παρακελεύσασθαι τοῖς βασιλεῦσιν ὥστε δοθῆναι διὰ τούτων μὴ τοὺς τῶν ἐπισκόπων ἐπιλογῆς ἀδίκους χάριν τοῦ ἀναστέλλεσθαι τὰς τῶν πλουσίων τυραννίδας, καὶ οὕτω παυθῆναι τὴν ἐπιφερομένην ἀπασιν ὀχλησιν τοῖς ἐκκλησίαις ἐκ τῶν προσερχομένων αὐταῖς διὰ τὸ ἀδικεῖσθαι παρὰ τῶν δυναστευόντων. id est. *Necesse habent omnino Episcopi eos qui injuria afficiuntur defendere. Quia autem nonnulli, ut est verisimile, Episcopi, cùm de pauperibus & afflictis dicerent, non exaudiebantur, statuerunt patres ut Imperatores admonerentur, ut cum Episcoporum electione ab eis darentur defensores pro reprimenda divitum tyrannide; ut sic cesset assidua Ecclesiarum perturbatio, qua ab eis afficiuntur qui ad eas accedunt quod à potentioribus injuria affecti sint. Rectè autem sibi persuasit Balsamon* D . . . . ***.

* *Hic hasit auctori calamus.*

Illustrissimus Cardinalis Baronius putat eosdem esse defensores istos cum iis quorum frequens mentio apud Gregorium M. in regesto, qui negotia quamplurima defensoribus Ecclesiæ Romanæ demandat. Sed pace tanti viri dixerim, alii sunt defensores è clero petiti à defensoribus Principis auctoritate constituendis è cœtu civium. De his loquitur Africanum Concilium, vt vidit etiam Theodorus Balsamo. De alteris statuit Concilium Chalcedonense, cui accepto ferenda est prima defensorum Ecclesiæ cognitio; quorum mentionem facit canon XXIII. eisque vagantium Constantinopoli clericorum ab urbe expulsionem commendat. His ab Episcopo ex cleri gremio selectis tuendarum viduarum, orphanorum, & imbecillium hominum, qui ecclesiastico indigerent auxilio, cura committebatur. Qua in parte Episcoporum vices subibant, & studio suo, sedulitate, & gratia erga potentes aut ipsos judices juvabant eos qui ad Ecclesiæ patrocinium se conferrent. Id apertè docet canon secundus Concilii Chalcedonensis, quo cavetur ne clerici se immiscеant secularibus negotiis, nisi fortè *orphanorum & viduarum earumque quæ sine provisione sunt personarum, quæ maximè ecclesiastico indigent adjutorio*

propter timorem Domini causa deposcat. ἢ ὀρφανῶν καὶ χηρῶν ἀπορουμένων, καὶ τῶν πορευόντων τὰ μάλιστα τῆς ἐκκλησιαστικῆς βοηθείας, διὰ τὸν φόβον τοῦ Θεοῦ. Porrrò eos qui suppetiis Ecclesiæ foveri debent, Zonaras rectè interpretatur esse eos qui, ut injurias & vim potentium propulsent, ad Ecclesiam confugiunt, aut certè ut criminis perpetrati veniam adipiscantur, sacrorum locorum asylo se committunt, vel in libertatem proclant. οἷοί εἰσιν οἱ τῇ ἁγίᾳ ἐκκλησίᾳ προσφεύγοντες, δεδιότες δυνάστας ὑφ' ὧν ἀδικοῦνται, ἢ πταίσαντες ἴσως, καὶ τὸν τῆς ἐκκλησίας ζητοῦντες ἐπικουρίαν, καὶ οἱ ἀδίκως εἰς δουλείαν ἑλκόμενοι, καὶ ἄλλοι τοιοῦτοι, δι' οὓς ἔκδικοι γίνονται. *Zonaras in can.* III. *Chalcedon.*

III.

Explicatio canonis XVII. *Ancyrani.*

Τοὺς ἀλογευσαμένους καὶ λεπρωθέντας, ἤτοι λεπρώσαντας, τούτους προστάττει ἡ ἁγία σύνοδος εἰς τὸν χειμαζομένους εὔχεσθαι.

Versio antiqua quæ extat apud Isidorum.

Hos eosdem sanè, non solùm leprosos crimine hujuscemodi factos, sed & alios isto morbo suo replentes, placuit inter eos orare qui tempestate jactantur, qui à nobis energumeni intelliguntur.

Versio Dionysii Exigui.

Eos qui irrationabiliter vixerint, & lepræ injusti criminis alios polluerint, præcepit sancta synodus inter eos orare qui spiritu periclitantur immundo. Quidam codices habent *inusti.* Halitgarius lib. 4. cap. 8. *incesti.*

Alia versio antiqua, edita ex vetustissimo codice MS. Christophori Iustelli.

Pro his qui in animalibus ut animalia fraciscunt, vel in masculis leprosi efficiuntur, de his præceptum est ut cum eis qui tempestatem patiuntur orare.

Epitome Hadriani I. Papæ.

Vt masculorum vel pecorum concubitores inter dæmoniacos tantùm orent.

Versio Gentiani Herveti.

Eos qui rationis expertia animantia inierunt, & quasi leprosi sunt vel fuerunt, jussit sancta synodus inter hyemantes orare.

Ferrandus Diaconus cap. 149.

Vt hi qui sicut muta animalia vixerunt, inter energumenos orent.

MARCA.

Alexius Aristinus Diaconus Constan-

tinopolitanus (qui vixit circiter annum MCXXX.) in synopsi canonum ita compendio explicat hunc canonem Ancyranum: ὁ λεπρὸς ἀλογευσάμενος, ἢ ὁ λεπρωθεὶς τοῖς χειμαζομένοις συνδύοιτο. Eadem verba repetit Symeon Logotheta in sua canonum epitome.

Zonaras hunc canonem interpretatur ac si dictio λεπρούς poneretur, non pro significando lepræ morbo, sed pollutione & immunditia quæ sit similis ei quam leprosis præscribit lex Mosaica: οὐ ζώοις ἀλόγοις συμφθαρέντας καὶ λεπρούς ὄντας, ἀντὶ δὲ ἀκαθάρτους καὶ μεμιαμμένους. τοῦτο δὴ καὶ τὸν Μωσαϊκὸν νόμον ὃς οὐ λέπρεσι ἀκαθάρτοις ἐνόμιζεν. Subjungit: ἤτοι λεπρώσαντας. quod sic insulsè explicat: ἤγουν καὶ αὐτὰ τὰ ζῶα μιάναντας, ac si curam animalium gerere aliquam synodus debuisset. χειμαζομένοις non putat sumendos pro dæmoniacis: quia qui ex eorum numero per intervalla laborant, tunc eis communicare permittitur canone Timothei Alexandrini. Quod concedendum erit, inquit, eadem ratione his bestiariis; tolleturque distinctio præscripta canone præcedenti de variis peccatorum pœnis. In quo planè hallucinatur. Sic enim intelligendus est hic canon ut orationes quæ fiunt in loco dæmoniacis designato non ever-

tant quæ constituta sunt superiori canone quoad modum & tempora pœnitentiæ horum sceleratorum. Tandem postquam vana isthac argumentatione ingenium suum torsit, sic concludit : τί οὖν ὅτι εἰς τοῦτο χειμαζομένους ἄγεσθαι, οὐκ ἔχω εἰπεῖν. Balsamo in hoc canone leprosos interpretatur quemadmodum Zonaras, id est, immundos. Non probat etiam eorum interpretationem qui χειμαζομένους pro dæmoniacis accipiunt ob eandem rationem quam attulit Zonaras. Sed voluit illo videri peritior, & χειμαζομένους accipit pro iis qui sub narthece Ecclesiæ audiunt sacras scripturas : quoniam, inquit, audientes similes sunt iis qui tempestate jactantur, nec sinuntur ad portum ecclesiasticum salutis ingredi. Quo nihil absurdius dici potuit. Quos enim canon relegat ad foresEcclesiæ, ubi erat energumenorum statio, (Neque enim cum fidelibus orabant juxta canonem apostolicum LXXIX.) hic in media Ecclesia collocat cum audientibus. χειμαζόμενοι τοίνυν καθήσονται χυείως οἱ ἐν τῇ νάρθηκι ἱστάμενοι καὶ ἀκροώμενοι τῶν θείων γραφῶν, τόπον ἐπέχοντες χειμαζομένων, καὶ εἰς τὸν ἐκκλησιαστικὸν λιμένα τῆς σωτηρίας, εἰσελθεῖν μὴ κωλυχειμαζόμενοι.

IV.

Quis sit proprius Sacerdos.

L. 35. Cod. De Episcopis & Clericis. Ἐχέτω πόλις ἴδιον ἐπίσκοπον ἐχέτω. *Unaquæque civitas proprium Episcopum habeto.* Lex ista refertur à Photio in Nomocanone tit. VIII. cap. I.

Ἴδιος ἐπίσκοπος dicitur etiam canone tertio & sexto Concilii Antiocheni. Proprius etiam Episcopus dicitur can. IX. Concilii Africani; & canon decimus ejusdem Concilii loquitur de Presbytero qui est à proprio Episcopo condemnatus. Et in Canone XXXI. Apostolor. Εἴ τις πρεσβύτερος καταφρονήσας τοῦ ἰδίου ἐπισκόπου. Canone etiam XV. Apostolorum.

Meminit quoque ἐπισκόπου ἰδίου canon XVI. Concilii Nicæni, & canon VIII. Concilii Chalcedonensis.

Ad istum exemplum dicuntur proprii Presbyteri sive sacerdotes qui in Ecclesiis parrochialibus ordinati sunt; ut in Concilio Nannetensi habito anno DCLVIII. dicitur proprius Presbyter qui præest Ecclesiæ parrochiali. In synodo Romana Gregorii VII. tum Eugenii & Callisti secundi decernitur Ecclesias committi de-

bere propriis ſacerdotibus, non autem conductitiis. Vnde in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio tertio dicitur proprius ſacerdos qui præeſt Eccleſiæ parrochiali.

Illi etiam dicuntur Preſbyteri cardinales à Vvaltero Aurelianenſi Epiſcopo in capitulis ſynodalibus ab eo editis anno DCCCLXIX. ut ſignificaret eos vacanti Eccleſiæ præfectos in titulum ſive incardinatos; ut de ejuſmodi Preſbyteris loquitur Hincmarus in ſuis capitulis Rhemenſibus. Quod incardinandi verbum traxit ex epiſtolis Gregorii I. qui commendatos Epiſcopos vacantes ad regendam ad tempus quandam Eccleſiam opponit Epiſcopis incardinatis, id eſt, epiſcopatui vacanti in perpetuum regendo mandatis, ac ſi Eccleſiæ epiſcopali veluti cardini infixi & inſerti eſſent.

Iſtud referri poteſt ad Preſbyteros quos diximus cardinales; qui ſic addicti ſunt Eccleſiis ad quas ἰδίκως ordinati ſunt juxta canonem ſextum Concilii Chalcedonenſis ut ab iis diſcedere abſque Epiſcopi proprii ſententia non poſſint; ut docet canon XV. apoſtolicus, Nicæni Concilii canon XVI. Antiocheni can. III. Quamvis Epiſcopi auctoritate ab una Eccleſia in aliam ejuſdem diœceſeos poſ-

sint transferri, ut monuit loco superiore Hincmarus, & docet apertè Novella Iustiniani, in authenticis, ubi determinatur synodus clericorum.

V.

De Presbyteris, ubi ordinandi sint.

PRESBYTERI & reliqui clerici ordinandi sunt specialiter in Ecclesia civitatis aut vici, vel in martyrio, aut monasterio, juxta Concilium Chalcedonense. Vnde patet nondum Ecclesias publicas constitutas fuisse in possessionibus seu in villis: quamvis paulò pòst possessionum domini, qui eas adscriptiorum numerosorum opera excolebant, oratoria à se in possessionibus illis exstrui ab Episcopis impetrarint. quorum oratoriorum meminit Iustinianus in Novellis. Illis autem oratoriis nulli adsignabantur speciales clerici. Attamen id fieri posse docet egregius Novellæ locus in authent. *Adscriptitios*. Cod. De Episc. & cler. ubi habetur exceptio ad legem Leonis & Anthemii. Illi enim constituerant in l. *Iubemus*. 36. ejusd. tit. ne adscriptitii ordinari possent clerici, nisi dominorum possessionum, unde oriundi sunt, evidens con-

curreret consensus. Iustinianus verò constituit adscriptitios in ipsis possessionibus, in quibus adscripti sunt, clericos etiam præter voluntatem dominorum fieri posse; dummodo per substitutum agriculturam, qui adscripti erant, exercerant. Hinc explicari debet locus Concilii Agathen. cap. XXI. quo permittitur dominis, propter fatigationem familiæ, ut Missas teneant in oratoriis villarum sive possessionum; exceptis diebus solemnibus, in quibus accedere tenentur ad Ecclesias civitatum.

ORATIO HABITA BARCINONE die XV. *Julij anni* MDCXLIV. *ad Provinciales & alios Superiores ordinum religiosorum illius urbis.*

NIsi me publica utilitas, Reverendi Patres, ad evocandum hunc venerabilem cœtum impulisset, non illibenter vestro meoque labori pepercissem. Quid autem in hoc temporis articulo à vobis exigam, paucis docebo; præsertim cùm mihi res agenda sit cum gravibus & cordatis viris, quibus res honestas aperuisse, persuasisse est. Novit unusquisque vestrum quibus ex causis, iisque necessariis, hæc provincia ab imperio Regis Catholici recesserit, qui cladem & excidium toti Cataloniæ, immisso valido exercitu, minabatur. Consultatione habita cum gravissimis & lectissimis ex ordine vestro viris, illa se dein tuitioni & dominio glorioſissimi atque invictissimi Principis Ludovici XIII. Regis Christianissimi contulit, qui gladium à faucibus & jugum à cervicibus Catalanorum amovit, validissimis copiis in provinciam transmissis, & sumptibus inexhaustis ad vitæ, famæ, fortunarum, civium denique omnium præ-

fidium profusissimis impensis; cujus exemplo Rex Ludovicus XIV. ejus natus, unà cum matris sapientia & pietate præcellentis Reginæ consilio, summis viribus hanc quoque provinciam hereditario jure ex pactis conventis suæ fidei commissam ab hostium invasione tuetur. Satis compertæ sunt hostium artes, qui quod vi nequeunt, dolo obtinere tentant, subornatis malè credulorum mentibus & ad sua studia per inanium pollicitationum fascinationes pellectis. Quod apertè docet scelerata illa & proditoria aliquot Ilerdensium conjuratio, qui à nostris extra muros civitatis ejecti, & ab hostibus ipsis deinde repulsi, meritas proditionis suæ pœnas luunt. Itaque ne hostilis versutia per reliquam provinciam serpat, omni labore innitendum est. Quod aliter consequi non possumus nisi quod consiliis ipsi ab initio constituistis, Reverendi Patres, id porrò studiis quoque vestris & hortamentis confirmetis pro ea qua apud populum non immeritò valetis gratia, & pro eo quo Regem Christianissimum prosequimini devoto cultu, qui labores vestros, præter privilegiorum vestrorum tuitionem, beneficiis suis prolixè cumulabit.

Quare à vobis enixè contendo ut in

hæc quatuor monita, quæ vobis proponam, omni cura atque sollicitudine incumbatis. Primum est, ut prædicatoribus districtiùs injungatis quatenus è pulpito frequenter populum commonefaciant de fide quam Regi Christianissimo inviolatam præstare tenetur; non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam, ut loquar cum Apostolo, id est, non formidine pœnæ, sed eo officii sui sensu quo ad Dei mandata exequenda obligatur.

Secundum est, ut eadem mandata Confessariis detis, nempe ut inter functionem audiendarum confessionum pœnitentes ad Regis obsequium impellant, id que eò studiosiùs satagant quò ea quæ specialiter in hujus ministerii executione monita traduntur, fidelium animis efficaciùs & penitiùs imprimuntur.

Tertium quod à vobis exigo, illud est, ut inter Missarum solemnia, juxta D. Pauli præceptum, antiquorum patrum traditionem jam ab ipso Tertulliano testatam, ipsiusque Missalis Romani contextum, Regis Christianissimi specialis & expressa ab omnibus sacerdotibus fiat commemoratio, ita ut non tantùm Regis mentio generaliter injiciatur, sed Ludovici nomen disertè exprimatur, quemadmodum

exigit usus Ecclesiæ quotidianus; ne alioqui suspicio inde nascatur, aliud animo geri, aliud verbis simulari.

Vltimum & quartum monitum illud est, ut Religiosos vobis subditos in ea quam de rebus publicis & Regis Christianissimi obsequio exposui sententia contineatis; aut si qui renitantur, eos tamquam perduellionis reos mulctis regularibus castigatos à provinciis vestris expellatis, vel apud Magistratus deferatis; ne isti, ob negligentiam Superiorum, istius criminis adeo atrocis & pernicioſi cognitioni extraordinariæ se immiscere cogantur.

Hæc sunt quæ à vobis sequenda fore nullus omnino diffido, cui perspecta est illa quam erga patriam & Regem Christianissimum geritis animi propensio & observantia cultusque singularis. Ego verò apud Regis nostri piæque ejus ac semper augustæ matris majestatem studia vestra publicare & omnibus officiis fovere non desinam.

ITINERARIVM
A Lutetia in Galliam Narbonenſem anno MDCLIV. menſe Novembri.

DA veniam ſi te, Regina Lutetia, læti
Linquimus. In patriam nos pia cura vocat.
Sævit hiems, properamus iter; nix illud ademit.
Concreta hanc tumidus ſparſerat Eurus aqua.
Mox autem celeres Borea ſtridente per auras,
Cuncta obſtipatum comprimit arva gelu.
Sic quæ damna viæ nobis infeſta videntur,
Propitio fiunt numine ſubſidia.
Imbribus hibernis nam quæ madefacta ſolebat
Sorbere & rhedas triſtis equoſque via,
Indurata gelu facilem ſe præbuit actis
Curribus, & timidos commoda mulſit equos.
Nos quoque concuſſos recreant libata Niverni
Præſulis eximio fervida menſa mero.
Aſt juga quadrupedantibus exſuperanda ſuperſunt,
Scandere præruptus quæ rigor ille vetat.
Aſpirat felix Auſter, flatuque ſecundo
Frigore conſtrictam ſolvit abundè viam.
Tandem ſic Araris Rhodanique allabimur oris;
Vrbs ubi Lugdunum tollit in aſtra caput.
Qui tenet antiſtes toto celebrem orbe cathedram,
Collegas lautis excipit officiis,

Et

Et quem Palladiæ sacra ornat vitta Tolosæ,
Et quem Montalbani infula sacra tegit.
Postridie incorruptæ exordia matris aguntur,
Qua primùm ille fuit festus in urbe dies.
Rhetor ubi Augusti steterat dicturus ad aram,
Nunc posita est Christo quæ fovet ara pios.
Numinis auspiciis hic nos committimus undæ,
Quà Rhodano placidas Sagona miscet aquas.
Antiquis sese ostentat decorata colonis
Quæ populos mater jure Vienna regit.
At pius antistes nos in sua tecta recepit
Condriaci, oppidaro splendidus hospicio.
Hic adimunt fessis elegantia vina labores,
Quæ vena felix divite fundit humus.
Turnonum Musis devota sacraria pandit,
Percelebre eximiis quos habet ædituis,
Clara situ, sacra pollensque Valentia sede
Dum pastore caret, trudimur in stabulum.
Vivarium impositum rupi despectat euntes,
Elvia gens regimen suscipit unde sacrum.
Exin quæ lætis se attollit Arausio campis,
Sede quoque & synodis nobilitata suis.
Inclyta Romano succedit Avenio fastu,
Orbi quòd pridem Gallula Roma fuit.
Egressi tandem fluvii vectoris ab undis,
Bellicadrum faustis tangimus ominibus.
Expandit se dein candente obseptus oliva
Agger, quem cingunt Bacchus & alma Ceres.
Ducit ad insignem antiquo splendore Nemausum,
Romanis olim quæ fuit aucta viris.

Amphitheatralis reſtant monumenta furoris,
Quæ violavit trux Gothus & atra dies.
Chriſti indepta fidem, atque novis ornata colonis,
Clarior evaſit, Pontificiſque throno.
Monſpelium advehimur, quò nos tractoria Regis
Legitimis promptos evocat obſequiis.
Conventus Occitanæ tunc gentis agebat
Contius, Hiſpano victor ab hoſte redux.
Quem Reges atavi decorant, quos ille viciſſim
Ingenii exæquat dotibus atque animi.

De vino Frontinacenſi in Septimania.

APOPHORETVM.

INDIA quem præſtat Moſchi ſe jactet honore,
Qui ſolo nares ſiccus odore ferit.
Frontinacum generoſa tibi dum vina miniſtret,
Moſchum, in queis, vincit mixtus odore ſapor.

IACOBI SIRMONDI

Dissertatio de anno Synodi Sirmiensis & de fidei formulis in ea editis.

I. QVo anno æræ Christianæ quibusve Consulibus congregatum sit Concilium Sirmiense, quot præterea numero & quænam in eo conditæ sint fidei formulæ, non una est inter antiquos & ævi nostri scriptores controversia. Etenim ut de anno priùs differamus, [a] Socrates & [b] Sozomenus convocatum tradunt post Sergii & Nigriniani consulatum, qui fuit annus Christi CCCLI. At Baronius toto sexennio ab his differt, celebratum docens anno CCCLVII. consulatu Constantii Augusti nono & Iuliani Cæsaris secundo. Socrati & Sozomeno adstipulatur Dionysius Petavius in [c] Animadversionibus ad Epiphanium. Mihi cur potior Baronii sententia videatur, ratio est non obscura, ejusmodi certè cui Socrates & Sozomenus refragari nequeant. Testatur enim uterque illorum Concilio Sirmiensi adfuisse inter ceteros Episcopos Hosium Cordubensem &

a *Lib.* 2. *c.* 24.
b *Lib.* 4. *c.* 5.
c *Pag.* 306

Georgium Alexandrinum. At certum est, si Concilium referas ad annum CCCLI, nec Hosium illi adesse nec Georgium potuisse. Nam quod ad Hosium quidem attinet, si ejus lapsus, quo ad Arrianæ perfidiæ subscriptionem impulsus est, in synodo Sirmiensi contigit, ut Socrates & Sozomenus affirmant, synodum post Hosii exilium coactam fateri necesse est. Quorsum enim, si præcesserat synodus, in eaque ad Arrianos jam transierat Hosius, Hosio exilium instigantibus Arrianis à Constantio fuisset imperatum? Hosii verò exilium qui accuratiùs ratiocinantur, in annum Christi CCCLVI. incidisse statuunt, argumento epistolæ Athanasii ad Solitarios, quæ catholicorum antistitum exilia ordine percensens, post mentionem Paulini Trevirensis, & Luciferi Sardiniæ, Eusebii Vercellensis, Dionysii Mediolanensis, quorum ille à Concilio Arelatensi anno CCCLIII. reliqui à Mediolanensi anno CCCLV. sedibus suis sunt ejecti, & post Liberii Papæ relegationem, quæ aliquanto pòst secuta est, Hosium extremo loco adnumerat, eumque narrat à Constantio primùm in aulam accitum, atque in Hispaniam remissum, tum inde rursus post datas ultro citróque litteras iterum accersitum, & pro

Pag. 603.

exilio Sirmii anno integro detentum. Quare si Hosii exilio posterior ejus lapsus fuit, ut ostensum est, exilij autem initium anno congruit CCCLVI, non potest synodus Sirmiensis, in qua lapsus dicitur, ad annum referri CCCLI. Quod ipsum pariter ex Georgio Alexandrino, quem Socrates & Sozomenus huic quoque synodo interfuisse volunt, liquidò comprobatur. Georgius namque sedem Alexandrinam pulso Athanasio invasit anno incunte CCCLVI. post consulatum Arbetionis & Lolliani, ut populi Alexandrini publicæ litteræ declarant, quæ apud Athanasium exstant post epistolam ad [a] Solitarios. Quî ergo potuit ille in Sirmiensi Concilio, si anno CCCLI. celebratum est, inter Episcopos sedere qui Episcopus nondum erat, cathedramque Alexandrinam quinto demum pòst anno adeptus est?

[a] Pag. 856.

II. Sed de anno synodi Sirmiensis, in qua Photinus damnatus est, cur conjecturas quærimus, cùm de illo nobis, post sancti Hilarii professionem, quam in ejus fragmentis testatam videmus, ambigere non liceat? [b] *Ad tollendum*, inquit, *ex episcopatu Photinum, qui ante biennium jam in Mediolanensi synodo erat hæreticus damnatus, ex plurimis provinciis congregantur sacerdotes.* ET POST ALIA. *Inter hæc Sir-*

[b] Pag. 29.

mium conventur. Photinus hæreticus deprehensus, & à communione jam pridem unitatis abscissus, nec tum quidem per factionem populi potuit amoveri. Ergo cùm Mediolanensem synodum Arbetione & Lolliano Consulibus anno CCCLV. celebratam fuisse constet, ac Sirmiensem biennio pòst convocatam testetur Hilarius, cui dubium esse queat quin vera & certa sit Baronii sententia, qui anno CCCLVII. adscribendam censuit? Anno autem CCCLI. non potuisse, ut aliis placet, synodum celebrari quis ambiget, si meminerit anno illo bellicis adversùs Magnentium motibus Pannoniam arsisse universam, & Sirmium ipsum, quod Idacii Fasti docent, non in Constantii, sed in Vetranionis tyranni potestate usque ad anni exitum fuisse? De hoc igitur priori capite, hoc est, de synodi nostræ anno, jam satis. Nunc alterum de formulis in ea conditis expendamus.

Socrates lib. 2. c. 22. Sozomen. lib. 4. c. 3. & 3.

III. Socrates [a] enim tres in hac synodo editas commemorat, primam contra Photinum, quam à Marco Arethusio dictatam refert, alteram Latinè scriptam, quæ Hosii blasphemia dicitur ab Hilario, tertiam quæ Consules habuit, & à Socrate [b] postea recitatur, cùm agit de Concilio Ariminensi. Ceterùm duplex in

[a] *Lib. 2. c. 25.*

[b] *Ibid. c. 37.*

his verbis, ut Nicolaus Faber in præfatione ſua obſervat, Socratis fuit hallucinatio. Vna, quòd primæ formulæ auctorem Marcum facit, cùm tertiæ auctorem non primæ dicere debuerit. Altera, quòd hanc tertiam in ſynodo Sirmienſi editam putat, cùm ex Hypatii & Eufebii conſulatu, quem adſcriptum habuit, ad annum CCCLIX. pertinere liqueat, & Sirmii quidem, non tamen in ſynodo, ſed in fortuito paucorum Epiſcoporum congreſſu, præſente Conſtantio compoſitam fuiſſe doceat epiſtola Germinii, quæ legitur in fragmentis Hilarianis. [a] Secluſa porrò rejectaque à ſynodo Sirmienſi hac tertia formula, reliquæ ſunt duæ priores, quas in ea ſynodo ſcriptas agnoſcunt Hilarius in libro de ſynodis & Athanaſius de ſynodo Seleuciæ & Arimini: quarum alteram, quæ adversùs Photinum promulgata eſt, ut orthodoxam vel ab orthodoxis non abhorrentem interpretatur & commendat Hilarius; alteram, quam Hoſii blaſphemiam nominat, ut impiam & Arrianam, tum à Gallis meritò repudiatam oſtendit, tum ab orientalibus poſtmodum in ſynodo Ancyrana duodecim oppoſitis capitibus accuratè confutatam. Qua in re mirum nec injuria videri poterat tam diſcrepantes fidei

[a] Pag. 44.

regulas ab una & eadem ſynodo prodiiſſe, niſi exploratum eſſet, non ab iiſdem, ſed à diverſis diverſæque ſententiæ Epiſcopis conditas fuiſſe. Quod enim jam antè acciderat in ſynodo Sardicenſi, ut diviſi inter ſe orientales atque occidentales Epiſcopi ſuas utrique ſynodicas prorsùs diſſimiles conſcriberent, hi pro Marcello & Athanaſio, illi contra Marcellum & Athanaſium, id ipſum contigiſſe liquet in Sirmienſi: ad quam cùm diverſi, ut Socrates & Sozomenus tradunt, orientis & occidentis Epiſcopi convenissent, utriſque poſt damnatum communi calculo Photinum ſuas ſeorſim fidei formulas edere placuit, quas pro germanis ſynodi placitis in varias oras tranſmiſerunt. Orientales Græcam, qua Photini dogmata confutantur, occidentales Latinam edidere, quæ Hoſii blaſphemia nuncupata eſt: in qua rejecto homouſio ſimul atque homœouſio, τὸ ἀνόμοιον, diſſimile, hoc eſt, liquidus meruſque Arrianiſmus ſanciebatur.

Pag. 310. IV. Verùm reclamat hoc loco vehementerque obſiſtit Petavius, & contendit in ſynodo Sirmienſi unicam duntaxat, id eſt, primam illam contra Photinum conditam formulam fuiſſe, Hoſianam verò alteram Sirmii quidem & anno CCCLVII, non tamen in ſynodo, quam in eum an-

num cadere posse negat, sed à paucis Episcopis, qui apud Constantium tunc fortè convenerant, compositam arbitratur, & sententiam suam conjecturis adstruere conatur. Sed conjecturis quis locus esse possit contra certam & apertam Phœbadii Episcopi auctoritatem, qui adversùs ipsam Hosii formulam scribens ex instituto, eam in synodo natam sub libri sui finem disertè significat, *Non sum nescius*, inquit, *antiquissimi sacerdotis & promptæ semper fidei Hosii nomen quasi quendam in nos arietem temperari. Sed non potest ejus auctoritate præscribi, qui aut nunc errat, aut semper erravit. Nam si nonaginta ferè annis malè credidit, post nonaginta illum rectè sentire non credam. Aut si nunc rectè, quid de his opinandum est qui ab eodem signati fide, in qua tunc ipse erat, de sæculo transierunt. Quid & de ipso pronuntiaretur, si ante hanc* SYNODUM *dormisset?* Si hæc longo pòst tempore scripta essent à Phœbadio, tamen spernenda tanti viri auctoritas non esset. Nunc verò cùm ea scribat quæ oculis ipse cernebat, & missam ad Gallos Hosii perfidiam ex synodo missam profiteatur, de ea re quænam potest justa esse dubitatio? *Lib. contra Arrianos.*

V. Restat ergo ut Petavii conjecturas discutiamus, & has testatæ veritati officere non posse ostendamus. Sirmiensem ait *Pag. 311.*

formulam à ſynodo Ancyrana laudari, Hoſianam contrà blaſphemiam, ut quæ Arrianæ & ἀνομοίου hæreſi conſentiret, rejici penitùs & explodi. proinde conſentaneum non videri ut à ſynodo Sirmienſi utraque prodierit. Hæc prima illius argumentatio; cui nos aliud agentes jam ſuprà occurrimus, cùm formularum iſtarum unam ab orientalibus, alteram ab occidentalibus in ſynodo Sirmienſi conditam fuiſſe docuimus. Itaque abſurdum non eſt, in ſynodo Ancyrana, cui Baſilius Epiſcopus præerat, idem qui præcipuas in Sirmienſi contra Photinum partes egerat, ut patet ex [a] Epiphanio, approbari ab Epiſcopis orientalibus Sirmienſem formulam priorem, quam ipſimet condiderant, reſpui autem damnarique Hoſianam ab occidentalibus Arrianis conditam, à quibus in Anomœi quæſtione diſſidebant. Atque hunc in modum ſatis opinor factum eſt primæ Petavii objectioni. Proxima, qua ex ſynodica Ancyrani Concilii demonſtrare nititur longo poſt Sirmienſem ſynodum intervallo Hoſianam formulam extitiſſe, nullius item eſt momenti. Neque enim ſcribunt in illa [b] ſynodica Baſilius Ancyranus & ceteri Epiſcopi ſe poſt ſynodum Sirmienſem diuturnam quietem egiſſe, ut videri vult Peta-

a *Hær.* 73.

Pag. 312.

b *Epiph. hær.* 73.

vius, sed diuturnam optasse. Quod verò addit de Georgii Laodiceni litteris, quas recitat [a] Sozomenus, ex quibus confici putat inter synodos Sirmiensem & Ancyranam longius temporis spatium interceſſiſſe, nullas etiam vires habet, aut contra Petavium ipsum habet, qui Hosii lapsum, de quo uno Georgii litteræ loquuntur, anno CCCLVII. contigisse non inficiatur. Re vera autem, cùm synodum Ancyranam sub Paschales sequentis anni ferias celebratam sit in confesso, nihil est incommodi ut anni spatio quod inter synodum utramque interceptum est ea omnia gesta sint quæ in Laodiceni litteris commemorantur.

[a] *Lib. 4. c. 12.*

VI. Nec virium plus habet tertia Petavii ratiocinatio quam duxit ab Hilario ut Hosii formulam in synodo editam non fuisse concludat. Hilarius, inquit, in libro de synodis post Hosianæ blasphemiæ discussionem subjicit deinceps Gallorum rogatu orientalium fides omnes, diversis & locis & temporibus conscriptas, in quibus & priorem synodi Sirmiensis formulam recenset. Alio ergo extra synodum tempore Hosianam exstitisse censuit. At quis non videt in his verbis Hilarii, non Hosianam cum formulis orientalibus, ad quas nihil attinebat, sed ipsas

Pag. 313.

inter se orientales solas comparari, quas diversis locis & temporibus conditas in unum conferebat & digerebat Hilarius?

Pag. 314. VII. Reliqua est ergo postrema auctoris judicio validissima ratio ex Sulpitii Severi verbis petita, qui libro II. sacræ historiæ synodum Sirmiensem antiquiorem facere videtur Arelatensi & Mediolanensi: quarum altera cùm anno CCCLIII. habita sit, altera CCCLV, necesse est Sirmiensem dicamus post illas anno CCCLVII. collocari non posse. Gravisque omnino & exceptione major Severi auctoritas foret, si hæc ab illo sic asserta esse constaret. Sed Severo tribui non debent quæ Severi re vera non sunt. Quis enim, si mentem propiùs adjiciat, non statim animadvertit Sirmiensis synodi aut rerum in ea gestarum nullam apud Severum extare mentionem, ac titulum istum, qui in editione Sigoniana legitur, CONCILIUM SIRMIENSE ARRIANUM, cùm in superioribus non exstet, adscititium atque adulterinum videri? maximè cùm ea quæ titulo mox subjiciuntur de Athanasio & Marcello ad Sirmiense Concilium nullatenus pertineant, sed ad Sardicensem, de quo superiùs diximus, Arrianorum conventum; in quo ea quæ pro Athanasio & Marcello apud Sardi-

cam rectè ab orthodoxis judicata fuerant, contrariis decretis infringere & abolere conati sunt. Quare si quis titulus hîc figi debuit, CONCILIUM SARDICENSE ARRIANUM potiùs quàm Sirmiense dici opportuit.

VIII. Ita confutatis rejectisque omnibus quæ contrà obtendebantur, manet integra Baronii sententia, Concilium Sirmiense biennio post Mediolanense Hilario tertè celebratum, in annum Christi CCCLVII. incidisse, Hosii verò Sirmiensem blasphemiam, quam refellens Phœbadius in synodo editam significat, non in fortuito quopiam alio Episcoporum congressu, sed in eodem ipso Sirmiensi Concilio conflatam esse.

SEQUENS doctissimi viri Dionysii Petavii dissertatio edita est cum Rationario temporum anno MDCXXXVI. quum opus illud suum tertiò emitteret.

DIONYSII PETAVII de Photino hæretico ejusque damnatione in quinque synodis facta, ac de duplici Sirmiensi contra illum synodo, & formulis in posteriore editis, Dissertatio: in qua nova quædam & vulgò haud satis comperta ecclesiasticæ historiæ capita produntur.

AD LECTOREM.

SCRIPSI *de Photino hæretico, deque Sirmiensi contra eum facta synodo, tum de variis fidei formulis per illud tempus editis non pauca neque vulgò cognita in Epiphanianis Animadversionibus: quæ cùm ejusmodi essent ut propter subtilitatem & obscuritatem nonnisi longa explicari disputatione possent, ab Rationarii historici, quòd tertiò jam edimus, angustiis excludenda putaveram. Nam nulla, quod fateri necesse est, ecclesiasticæ pars histostoriæ vel impeditior est vel ignota magis, non hac ætate solùm, sed duodecim abhinc ferme seculis. idque non falsò à me dici sciet qui illa legere ac perscrutari voluerit. Sed cùm ex eo*

tempore quo Epiphanius noſter in lucem exiit quoſdam eſſe compererim qui ſe noſtra illa non probare dicerent, cœpi omnem hanc hiſtoriam, & quæ de ea commentatus illic eram, attentiùs relegere. Quod cùm ſæpe & accuratè feciſſem, duo ſum aſſecutus; alterum, ut illa mihi, quæ tùm ſcripſeram, non minùs quàm antè placerent; alterum, ut in iis recolendis nova etiam occurrerent alia quæ haud paullò abſtruſiora prioribus eſſent & digniora ſcitu & nullius hactenus vel leviſſima ſuſpicione perſtricta. Hæc mihi juſtiſſima viſa ratio eſt cur quæſtionem illam tam eleganti auctam acceſſione mandarem huic opuſculo, & univerſam damnati Photini hiſtoriam ac Sirmienſes fidei formulas exponerem. quod hoc & altero capite quàm potero breviſſimè complectar.

DE PHOTINO HÆRETICO eiſque damnatione.

Photini hiſtoria, & ſynodorum contra eum celebratarum tam à catholicis quàm ab hæreticis. Oſtenditur duas fuiſſe Sirmienſes: quarum prior hactenus ignota in lucem extrahitur.

CAPVT I.

PHOTINVS Sirmii, quod Pannoniæ oppidum eſt, Epiſcopus, [a] Marcelli Ancyræ Epiſcopi in adoleſcentia diſcipulus, & [b] ſub eo Diaconus aliquandiu vixit. Is de Chriſto pravè ſentiens, [c] Pauli Samoſateni inſtauravit hæreſim, ob eamque ſæpe damnatus eſt tam ab catholicis quàm ab ipſis Arianis.

a *Sever. lib.* 2. *Hiſt.*
b *Hilar. frag.*
c *Epiph. Har.* 71.

[d] Severus Sulpicius auctor eſt ipſum unà cum Marcello præceptore ſuo ſynodi judicio condemnatum eſſe etiam ante Sardicenſem. Ac videtur ea ſynodus Conſ-

d *Lib.* 2. Primò damnatus in ſynodo Conſtanti-

nopolitana ab hæreticis.

stantinopolitana fuisse quæ post famosum illud Tyri conciliabulum anno Christi CCCXXXVI. imperante adhuc Constantino peracta est. de qua Socrates lib. I. cap. XXXVI. & Tripart. lib. III. cap. IX. Nam Marcellus in illa depositus. quamquam de Photino nulla apud Socratem fit mentio. Porrò cùm Athanasius post id tempus cum ambobus istis communicasset, ab iisdem Arianis absens condemnatus est, ut ait Severus. quod ad synodum Antiochenam pertinet,[a] in qua depositus est Athanasius.

a *Socrat. lib. 2. c. 10.*

Secundò in Sardicensi à catholicis.

Pòst Sardicense Concilium anno CCC. XLVII. celebratum est, in quo Athanasius, & Marcellus pristinum in locum restituti sunt; ut ex synodica constat,[b] quæ apud Theodoretum legitur.[c] Epiphanius refert in eadem synodo Photinum damnatum & gradu esse dejectum; cujus in synodica nulla extat mentio.

b *Lib. 2. c. 8. Tripar. 1. cap. 24.*

c *Hær. 71 N. 1.*

Tertiò in Mediolanensi à catholicis.

Exinde Mediolani catholicorum celebrata synodus est, biennio antequam Valens & Vrsacius in Ecclesiam recipi se postulantes, Iulio & Athanasio supplices libellos obtulissent. *Igitur ad tollendum* (ait[d] Hilarius) *ex episcopatu Photinum, qui ante biennium jam in Mediolanensi synodo erat hæreticus damnatus, ex plurimis provinciis congregantur sacerdotes, hoc magis soli-*

d *Hilar. in frag.*

citi atque anxii, turbari rursum miscerique omnia, quòd jampridem plures Episcopos reos vel falsorum in Athanasio judiciorum vel communionis hæresis Arianæ ab Ecclesia fuerat necesse resecare. Quam opportunitatem nacti Vrsacius & Valens, Romanæ plebis Episcopum adeunt, recipi se in Ecclesiam deprecantur &c. Huic synodo Romani Pontificis interfuere Legati, in eaque hæresis Ariana proscripta est, & Vrsacius ac Valens á communione suspensi, rogata venia in gratiam recepti sunt. quatuor alii Episcopi Arianæ sectæ cùm Arii perfidiam damnare noluissent, irati exierunt. Cujus rei fidem faciunt imprimis epistolæ duæ, [a] altera Concilii Ariminensis ad Constantium, altera Liberii Papæ, quam per Luciferum Episcopum ad eundem Constantium Imperatorem misit cùm ab eo solicitaretur uti Athanasii depositioni subscriberet, paullò antequam iret in exilium. Hanc epistolam primo loco commemorabo; in qua Liberius Constantium, hortantem ut cum Arianis Episcopis consentiret, ita compellat. *Quæ est pax, clementissime Imperator, cùm sint ex partibus ipsis quatuor Episcopi, Demofilus, Macedonius, Eudoxius, Martyrius, qui ante annos octo, cùm apud Mediolanum Arii sententiam hæreticam noluissent damnare, de Concilio iratis animis exie-*

[a] *Extat in calce operum Luciferi, & in frag. Hilar.*

runt. In [a] altera synodi Ariminensis epistola catholici Episcopi de Vrsacio & Valente sic apud eundem Constantium quæruntur ; ut è Græco vertit Epiphanius Scholasticus in Tripartita. *Quapropter Vrsacius & Valens, quoniam participes & concordes Ariani dogmatis erant, à nostra sunt communione segregati. Quam ut reciperent, cognoscentes delicta quibus peccaverant, pœnitentiam atque veniam impetrare poscebant ; & rescripta eorum hæc ita se habere testantur, per quæ criminum veniam consecuti sunt. Erat enim tempus quo hæc gesta noscuntur quando Mediolani synodus celebrata est præsentibus Romanæ Ecclesiæ Presbyteris. Cognoscentes verò simul etiam post mortem dignum memoria Constantinum cum omni integritate & examinatione conscriptam exposuisse fidem : qui cùm ab hac luce baptismate percepto discesserit, & ad præmia debitæ pacis abierit, incongruum esse judicamus post illum aliquid novitatis admittere.* Hanc epistolam Latinè conceptam retulit Hilarius in fragmentis, sed concisam, & omissis plurimis quæ in Græco sunt mutilam. Ita enim verba illa, quæ descripsimus, illic leguntur. *Ideo Vrsacius & Valens in suspicionem ejusdem hæreseos Arianæ venerunt aliquando, & suspensi erant à communione, & rogaverunt veniam ; sicut eorum continent scripta : quam meruerunt tunc*

a *Extat apud Athan. lib. de Syn. p 676. Socra. lib. 2. Theodore. 2. c. 19. Tripar. 5. cap. 21.*

temporis à Concilio Mediolanenſi & aſſiſtentibus etiam Legatis Romanæ Eccleſiæ, Conſtantino præſente. In hoc cùm magno examine fuiſſet conſcriptum quod tenens baptizatus ad quietem Dei comm gravit, nefas putamus inde aliquid mutare. Ex his colliguntur quatuor quæ ad Mediolanenſem iſtam ſynodum illuſtrandam pertinent. Primùm, in ea damnatos Arianos, ac proinde celebratam eſſe ab Epiſcopis catholicis. Deinde Romanæ Eccleſiæ Preſbyteros vel, ut habet Hilarius, Legatos interfuiſſe. Quòd autem Conſtantino præſente facta eſſe apud eundem Hilarium legitur, id in Græco non extat: neque de Conſtantino M. verum eſt, uti neque de ejus filio juniore Conſtantino, ut ex illius ſynodi tempore paullò pòſt evidens fiet. De Conſtante itaque loquuntur; cujus juſſu, utpote catholici Principis, coacta videtur illa ſynodus. Quod ſi verum eſt, tum ſanè reliqua, quibus ejus mortis & baptiſmi meminerunt, ad Conſtantem, non ad Conſtantinum, pertinebunt. Sed ea res alterius eſt diſputationis ac loci. Tertiò indidem conſtat Vrſacium & Valentem in Mediolanenſi Concilio Arianæ poſtulatos hæreſis veniam exoraſſe & in integrum reſtitutos eſſe. Quartò annus quoque quo illa ſynodus eſt congregata,

Illuſtratur Mediolanenſis ſynodus.

ex Liberii epistola conficitur. Nam dicit ante octo annos quàm ad Constantium illam epistolam scriberet, Mediolani eam habitam fuisse. Porrò scripsit ad Constantium Liberius antequam in exilium mitteretur, adeoque anno Christi trecentesimo quinquagesimo quinto. Quare octavus annus ante hunc erit annus Christi CCCXLVII. ut Sardicensem synodum brevi intervallo Mediolanensis consecuta sit, eodemque anno celebrata. Biennio pòst, cùm Athanasius Constantis & Constantii auctoritate ac decreto ab exilio revocatus esset, Alexandriamque profectus, & catholica res meliore jam loco esse cœpisset, Valens & Vrsacius, qui in ditione Constantis erant, & ad potentiorum nutum voluntatem ac religionem suam fingere jamdudum instituerant, ut antea cum Ecclesia catholica, ita cum Athanasio redire in gratiam è re sua esse statuerunt. Itaque libellum obtulere primùm Iulio Papæ: in quo & illa omnia conficta esse fassi sunt quæ contra Athanasium objecta fuerant, & Arrianam perfidiam anathemate damnarunt: *Sicut per priorem libellum* (inquiunt) *nostrum, quem apud Mediolanum porreximus, & nunc & semper anathematizasse hac manu nostra, qua scripsimus, profitemur.*

Hæc in Latino eorum libello apud Hilarium ; cui iſta ſubjicit : *Hæc epiſtola poſt biennium miſſa eſt quàm hæreſis Photini à Romanis damnata eſt.* nempe in Mediolanenſi ſynodo, ut ex iis patet quæ paullò antea ſcripſit Hilarius ; biennio antè Mediolanenſem ſynodum cui Romani interfuere Legati peractam eſſe quàm Valens & Vrſacius cum Athanaſio dato libello reconciliati ſunt.

Ceterùm Vrſacii & Valentis iſta reconciliatio perperam in Annalibus confertur in annum CCCL. poſt mortem Conſtantis, qui XV. Cal. Febr. interemptus eſt. Etenim certiſſimum eſt ſuperſtite Conſtante ambos illos reſipuiſſe ac libellos dediſſe. quod Athanaſius ipſe dubium eſſe non patitur [a] in epiſtola ad ſolitarios, ubi iſtos ait poſt Conſtantis obitum ab Arianis adductos eſſe ut ad vomitum redirent & ab Athanaſij pariter atque Eccleſiæ catholicæ communione deſciſcerent, cauſſantes metu ſe Conſtantis & ingratiis ad ſimulandam hanc pœnitentiam eſſe compulſos. Hoc verò falsò illos allegaſſe dicit Athanaſius, quòd neque tum ullus Palatinus aut Notarius ad eos miſſus ſit qui illos cogeret, quemadmodum ipſi deinceps inſtituerunt facere, ſed nec Imperator quidem adeſſet, verùm ſponte ipſi

Vrſacii & Valentis reconciliatio ſuo tempori reſtituta.

[a] *Pag.* 640.

Romam advolaſſent, & in medio Eccleſiæ cœtu pœnitentiæ libellos palam protuliſſent. Hæc Athanaſius. Ex quibus perſpicuum eſt Conſtante adhuc vivo Valentem & Vrſacium Iulio pariter & Athanaſio ſupplicaſſe. quod anno CCCXLIX. contigit, biennio poſt Mediolanenſem ſynodum, quæ ante annos octo quàm Liberius ad Conſtantium epiſtolam daret indicta ponitur ab eodem Liberio. Quocirca tertia Photini damnatio in Mediolanenſi catholicorum ſynodo facta eſt, ut ex his omnibus conſtat.

Quartò damnatus eſt Photinus in Sirmienſi Cõcilio à catholicis.

Quartò damnatus idem eſt in Sirmienſi ſynodo, non illa celebri cui Ariani præfuerunt, Imperatore Conſtantio, ac Baſilio Ancyrano præcipuas partes illius ſuſtinente, ſed in altera, cujus ex annalium hiſtoriarumque monimentis hodie memoria omnis excidit, quam nos ex Hilarii fragmentis, velut è parietinis ac ruderibus, ſepultam ac penè obliteratam eruimus. Synodum ergo Sirmienſem à catholicis & occidentalibus in cauſſa Photini celebratam eſſe dico priorem illa quæ in eadem urbe ab Arianis & orientalibus eſt habita. Quod ex verbis Hilarii colligitur quæ hujus capitis initio poſuimus. Refert enim Hilarius ad tollendum ex epiſcopatu Photinum congregatos eſſe

Episcopos post biennium quàm in Mediolanensi synodo damnatus fuerat, ac per eam occasionem Valentem & Vrsacium, qui in Mediolanensi synodo cum catholica Ecclesia in concordiam redierant, cum Athanasio reconciliatos esse. Quod superstite Constante factum esse & anno Christi CCCXLIX. paullò antea demonstravimus. His ista subjicit Hilarius. *Verùm inter hæc Sirmium convenitur. Photinus hæreticus comprehensus, olim reus pronunciatus, & à communione jampridem unitatis abscissus, ne tunc quidem per factionem populi potuit* * *admoveri.* Hinc de loco synodi illius constat, nempe Sirmii eam habitam fuisse, neque Photinum de sede pelli potuisse, quòd populus seditione facta Episcoporum conatui restitisset. * cor. *amoveri.*

Nam quòd Sirmiensis ista synodus diversa sit ab ea quæ postea contra Photinum eundem celebrata est ab Arianis, quæque vel unum fidei decretum vel etiam duo condidit, de quibus mox agetur pluribus, his argumentis ostenditur. Primùm ex tempore, quod ab Hilario significatur, & à nobis illustratum est hactenus. Biennio quippe post Mediolanensem synodum, & sex annis antequam Liberius relegaretur, adeoque anno CCCXLIX, Sirmii congregata est illa synodus, Probatur Sirmiensis prior synodus.

At verò famoſum illud Concilium, cui Baſilius Ancyranus interfuit, ut minimum biennio pòſt, Chriſti CCCLI. celebratum eſt, ut autem aliis placet, nono pòſt anno Chriſti CCCLVII. de qua re poſtea. Deinde quia Photinus in priore illa propter populi factionem amoveri non potuit, in poſteriore verò ab Arianis & Conſtantio habita omnino dejectus eſt, ut Sozomenus refert libro IV. in fine capitis ſexti. Tertiò quòd Concilium Sirmienſe, de quo Hilarius ſcribit, occidentales ſoli celebrarunt, decretumque ſuum ad orientales miſerunt Epiſcopos, ut idem teſtis eſt Hilarius; qui *decretum de Photino ab occidentalibus* factum *ad orientales relatum* aſſerit, orientales verò *mente callidos, ingenio ſubtiles, malitia pertinaces, occaſionem revolvendi ejus quod Athanaſii abſolutione eſt diſſolutum quæſiſſe judicii, & reſcribentes de Photino, Marcelli mentionem, velut inſtitutionum talium magiſtri, addidiſſe; ut mortuam de Athanaſio ipſo jam tempore quæſtionem & veritatis judicio conſepultam in publicam recordationem cauſſæ novitas excitaret, & ſubrepens per Photini damnationem Marcelli nomen inveheret.* Hæc Hilarius: quorum ex antecedentibus, atque ex hiſtoria Severi, hæc ſententia eſt. Marcellus Photini magiſter, cùm ab Arianis unà cum Photino depoſitus

esset, ut suprà demonstravi, in Sardicensi Concilio in integrum restitutus erat. Verùm cùm pristinum errorem postea resumpsisset, *Athanasius hunc à sua communione suspendit; habuitque ille hanc verecundiam ut tanti viri judicio notatus, sponte concederet*, ut Severus narrat. Quod Athanasii judicium Photini damnatione ac Sirmiensi synodo anterius fuisse testatur Hilarius, atque *his quæ in Photinum gerenda erant auctoritatem præbuisse*. Itaque orientales, decreto illo contra Photinum ab occidentalibus misso, rescripserunt, non solùm Photini damnationem approbantes, sed Marcelli insuper addentes; ut hoc modo Sardicensis acta Concilii labefactarent, & quæ ibi de Marcello & Athanasio constituta erant, irrita facerent. Quippe ambo, uti diximus, à Sardicensi synodo sedibus suis restituti sunt. Hujus autem convelli auctoritas infringique videbatur damnato Marcello, quem illa sublevarat, & ad Athanasi damnationem, quem perinde complexa synodus erat, aditus præstrui. Hæc ab Hilario ad eum modum gesta narrantur. Vnde illud apparet, Sirmiensem hanc synodum occidentalium fuisse, & quidem catholicorum; primùm quia Valens & Vrsacius hujus occasione synodi cum catholicis & Athanasio penitùs concordiam

inierunt ; ut ex Hilario ſuprà docuimus. Deinde quòd idem Hilarius, paucis interjectis, occidentales iſtos, qui Sirmii convenerant, ea re commendat quòd decretum ſuum ad orientales miſerint bono more inſtitutoque, non ut eos ad aſſentiendum cogerent, *ut nunc*, inquit, *agitur*, ſed ut certiores illos facerent. *De Photino autem, ſicuti mos poſcebat, ad orientales epiſtolæ fiunt, non injuria extorquendi, ut nunc agitur, adſenſum, ſed inſtruendæ univerſorum ſcientiæ conſuetudine.* Quamobrem occidentalium iſte confeſſus Sirmii factus non poteſt idem eſſe cum altero in quo Baſilius cum Photino commiſſus eſt, cui ſoli orientales propemodum interfuere. Ac videtur Conſtans Imperator, catholicæ fidei ſtudioſiſſimus Princeps, ejus promovendæ & in occidente ſanciendæ gratia, primùm Mediolani Epiſcopos congregaſſe, ut de Arianis, ac præſertim Valente & Vrſacio, cognoſcerent, & quæ nuper in Sardicenſi Concilio decreta erant, denuo firmarent, deinde Sirmii, ut Photinum è gradu dejicerent. quod ne fieret, populus interceſſit. Conſtans verò, antequam vim adhibere poſſet, è vita ſublatus eſt. Itaque nova deinde ſynodo opus fuit ad deponendum Photinum.

Quinta igitur & postrema Photini damnatio in eadem urbe Sirmio biennio post priorem facta est anno CCCLI. quo depositus est iterum Photinus & episcopatu pulsus, (quod obtineri hactenus non potuerat) atque etiam collatione cum Basilio Ancyrano habita convictus ac prostratus est. Cujus synodi ratio quia perplexa est & multis obstructa difficultatibus, nec levis de actis illius controversia, seponemus ei explicandæ caput alterum, in quo quæ ad illam pertinent, brevi complectemur.

Quinta Photini damnatio in Concilio Sirmiensi ab hæreticis habito.

De tribus fidei formulis Sirmii editis, è quibus sola prima in Concilio adversùs Photinum illic peracto facta esse monstratur.

CAPVT II.

CVM jam quartò episcopalibus sententiis notatus ac depositus Photinus, invitis omnibus sedem suam retineret, demum adversùs eundem Sirmiensis altera synodus est collecta; in qua Constantii Imperatoris auctoritate rursus ille damnatus, episcopatu cedere cogitur. Synodum hanc celebravere orientales potissimùm episcopi. Nam Hilarius libro

de synodis formulam fidei cum anathematismis illic editam sic inscribit: *Exemplum fidei Sirmio ab orientalibus contra Photinum conscriptæ*: ac proximè antè, tunc eam esse propositam refert *cùm Photinus episcopatu dejectus est.* Vnde, quod superiori capite diximus, constat alteram hanc Sirmiensem esse synodum ab ea quam occidentales biennio antè in eadem urbe fecerunt.

Duo sunt hac de synodo quæstionis capita, alterum de anno quo peracta est, alterum de fidei formulis quæ in ea publicatæ feruntur. Quod primum attinet, Socrates libro II. cap. XIX. Græcæ edit. & Sozomenus lib. IV. cap. VI. testantur eum annum fuisse post consulatum Sergii & Nigriniani, quo nulli consulatum gesserunt ob bellicos tumultus. Hic est annus Christi CCCLI. At Baronius in annum CCCLVII. illam conjicit. De fidei formulis non minor est controversia. Nam tres omnino extant ejus urbis inscriptæ nomine, quæ in eadem Sirmiensi contra Photinum collecta synodo propositæ narrantur à [a] Socrate, [b] Sozomeno, ac [c] Nicephoro.

a *Lib.* 2. *cap.* 30.
b *Lib.* 4. *c.* 6.
c *Lib.* 9. *c.* 38.

Prima formula Sirmiensis.

Primæ auctor fuisse perhibetur Marcus Arethusius, ut scribit Socrates, Græcèque concepta est cum anathematismis XXV.

Ea Græcè apud Athanasium legitur [a] in libro de synodis, & [b] Socratem loco jam citato. Latinè autem apud Hilarium libro de synodis & in Tripartita libro IV. cap. VII. In ea damnantur anathemate qui dicunt filium *de non extantibus aut ex altera hypostasi esse, vel fuisse tempus aut seculum quando non erat.* Nulla porrò in illa mentio fit οὐσίας, nisi quòd damnantur qui dicunt πλατυσμὸν τῆς οὐσίας, *collatationem substantiæ* esse filium. Hujus fidei formulæ ac Sirmiensis synodi & Photini depositionis, quod subit mirari, nullam mentionem facit in ejus hæresi [c] S. Epiphanius; sed solius Sardicensis occidentalium synodi meminit, in qua damnatus est, secundùm quam Constantium adiisse, ac se injustè depositum querentem, judices impetrasse, ac missos esse Thalassium, Datianum, Cerealem, Taurum, Marcellinum, Evanthium, Olympium, Leontium, quos ex ordine senatorio fuisse Socrates indicat. Coram his & Episcopis pluribus descendisse illum in certamen cum Basilio Ancyrano prodit Epiphanius, ac Socrates, & Sozomenus. Qui ambo significant, finita jam synodo Sirmiensi, & post depositum in eadem Photinum, disputationem illam esse factam qua convictus Photinus & exauctoratus est. Verùm apud eundem

[a] *Pag.* 693.
[b] *Lib.* 2. *c.* 30.
Anathematismo 6. & 7.
[c] *Hær.* 71.

d *Hær.* 73. *n.* 2. Epiphanium [d] in Semiarianorum hæresi Basilius aliique Episcopi in synodica Ancyrani conciliabuli meminerunt Sirmiensis synodi ejusque actorum adversus Photinum.

Secunda formula. Secunda fidei formula apud Sirmium edita est Latino sermone; ut testantur Athanasius, Socrates, Hilarius, qui eam describunt, Sozomenus, aliique. Hujus inscriptio est apud Hilarium ejusmodi: *Exemplum blasphemiæ apud Sirmium per Osium & Potamium conscriptæ.* In ea prohibitum est fieri mentionem nominum οὐσίας, ὁμοουσίου, & ὁμοιουσίου, quia nusquam in scripturis leguntur. Eandem postea supprimere conati sunt Ariani, interposita auctoritate Constantii, ut iidem scriptores referunt.

Tertia formula. Tertia formula Latinè itidem Sirmii concepta est notatis Coss. Eusebio & Hypatio, qui annus Christi fuit CCCLIX, eaque à Valente & Vrsacio Ariminum perlata. quæ apud Athanasium & Socratem extat. Sed eam in Sirmiensi contra Photinum synodo editam non fuisse perspicuum est; idque Nicolaus Faber in præfatione ad Hilarii fragmenta olim animadvertit.

Nos in Animadversionibus ad Epiphanium, ante annos quatuordecim, cùm de hoc

hoc argumento longam disputationem faceremus, duo quædam exposuimus; alterum, Sirmiensem illam postremam synodum eo anno peractam fuisse quem habet Socrates, Christi CCCLI, non, ut plerisque persuasit annalium ecclesiasticorum conditor, anno CCCLVII. Alterum; è tribus illis fidei formulis quas paullò antè commemoravi, solam primam in illo Concilio scriptam fuisse, secundam verò non in synodo ipsa Sirmiensi, sed aliquot annis postea editam in consessu paucorum Episcoporum. Horum primum veterum illorum, quos citavi, auctoritate nititur, præsertim Socratis; qui ut sæpius, ita nunquam temerè aut falsò notas illas consulatuum adhibet, sed ex actis publicis ac fastis haud dubiè depromptas. quo major illis habenda fides est, maximè ubi nulla in contrarium idonea sunt argumenta; cujusmodi certè hic nulla sunt. Nam quæ in annalibus opponuntur, satis iis responsum est in Animadversionibus ad Epiphanium, ac paullò pòst ea prorsùs irrita & inania esse constabit, ubi quod posterius est è duobus à me positis ostendero, secundam de tribus fidei formulam non in Sirmiensi contra Photinum synodo, sed alio tempore ac diverso cœtu præsulum in lucem exiisse. Quod illic dis-

putatum latiùs, ut in pauca contraham, his maximè de causſis asſeritur.

Imprimis auctores sunt [a] Epiphanius & [b] Hilarius, cùm secunda ista formula publicata esſet, atque è Sirmio in orientem perlata, vehementer exasiſſe Basilium Ancyranum Episcopum alioſque Semiarianarum partium, cùmque ab Georgio Laodiceno sectæ ejusdem patrono literas accepiſſent quibus de Eudoxii perditiſſimi Ariani vesania certiores illos faciebat, (quem refert [c] Sozomenus, poſtquam ecthesim illam ab Osio expreſſam, ab Valente & Vrsacio missam recepiſſet, gratulationis plenas ad eos scripsiſſe literas quòd ipsorum opera vera in occidente fides reviviſceret) his commotum Laodicenum Georgium, ad Basilium & Epiſcopos qui cum eo Ancyram convenerant epiſtolam dediſſe qua eos hortabatur ut Antiochenæ immo orientali Eccleſiæ succurrerent. Porrò Ancyram ideo sese contulerant ut encænia celebrarent novæ basilicæ quam à se conditam Basilius ibi dedicabat. Igitur Ancyræ Semiarianorum Concilium habitum est paullò ante Pascha, ut eorum synodica testatur apud Epiphanium: in quo fidei formulam istam, quæ secunda apud Sirmium edita est, damnarunt, & adversùs eam longiſſimam

a *Hær.* 73. *n.* 2.

b *Lib. de syn.* Probatur secundam formulam non in Sirmiensi magna synodo editam fuiſſe.

c *Lib.* 4. *c.* 12.

aliam ectheſim cum anathematiſmis ediderunt. Poſt ſynodum deinde legati ad Imperatorem Conſtantium profecti, Baſilius ipſe, Euſtathius Sebaſtenus, Eleuſius Cyzicenus, & Leontius Preſbyter, qui hoc ab eo peterent, ὥστε κρατεῖν τὰ ἐν Σαρδικῇ, καὶ ἐν Σιρμίῳ, καὶ ἔτ ἄλλαις συνόδοις κεχριμένα, ἐν αἷς συνεδόκει ὅμοιον εἶναι κατ' οὐσίαν τῷ Πατρὶ τὸν Υἱόν. *Vti rata hæc eſſent quæ apud Sardicam & Sirmium & in aliis ſynodis decreta fuerant; in quibus communi conſenſu definitum erat ſimilem eſſe ſecundùm ſubſtantiam patri filium.* ut ſcribit Sozomenus, qui Imperatorem narrat ea legatione commotum revocaſſe omnia quæ per Anomœos extorta fuerant, à quibus ſecunda illa Sirmienſis profeſſio dictata erat.

Ex his omnibus validum argumentum efficitur quo ſecunda illa formula Sirmienſis oſtenditur nequaquam in Sirmienſi contra Photinum collecta ſynodo condita fuiſſe. Etenim Sirmienſi huic ſynodo non ſolùm Baſilius interfuit, ſed penè etiam præfuit. Præcipuæ certè in ea partes illius fuerunt; ut qui in ejus omni actione floruit, eademque finita, datis ab Conſtantio judicibus cum Photino congreſſus eſt, eumque ſuperavit. quod Epiphanius, Socrates, Sozomenus, aliique narrant. Quid igitur fingi abſurdius p-

teſt quàm in illa ipſa ſynodo eam fidei conceptam eſſe formulam præſente Baſilio quam is paucis pòſt menſibus adeo deteſtatus eſt uti contra eam cœtum coëgerit Epiſcoporum, acerrimoque decreto, & anathemate jugularit, & ad illam evertendam legatus ad Conſtantium Sirmium uſque pervenerit? An talem unquam ectheſim coram ſe dictari paſſus eſſet, à qua tantopere diſſidebat? Nam in illa τῆ οὐσίας, ὁμοουσίου, & ὁμοιουσίου vocabula ex æquo rejecta ſunt, ex Anomœorum ſententia. At Baſilius Semiarianarum fautor partium τὸ ὁμοιούσιον propugnabat, & Anomœos, quos apud Epiphanium & Hilarium formulæ illius auctores Ancyrana ſynodus facit, pejus quàm catholicos oderat. Quòd ſi invitus illi Sirmii ſubſcripſiſſet, age num Ancyram reverſus, Sirmienſem ſynodum adeo commendaſſet, aut ejus decreta fideique ſanctionem confirmari ab Imperatore petiiſſet? Nonne id egiſſet potiùs ut ea Conſtantii decreto rejiceretur? [a] Sanè in Ancyrani Concilii ſynodica optaſſe plurimùm ſe aiunt Epiſcopi ut poſt Sardicenſem ſynodum & Sirmienſem, in qua Photinus damnatus eſt, quietis eſſe ſibi liceret, ſed quoniam ex Illyricianorum literis & Georgii Laodiceni didicerint confoſſam tot ſyno-

a *Apud Epiphan. hær. 73. n. 2.*

dorum decretis hæresim caput efferre cœpisse, ideo se Ancyræ congregatos ea omnia denuo confirmasse quæ in Antiochena synodo & Sardicensi, ὡ᾽ ἀνείληφεν ἡ ἐν Σιρμίῳ συνόδος, *quam Sirmiensis synodus est amplexa*, constituta fuerant. Non igitur secunda illa formula Sirmii edita ad eam synodum pertinere potest quæ contra Photinum est habita.

Præterea ex hac rei apud Sirmium Ancyramque gestæ narratione colligitur eandem formulam absente Basilio Ancyrano esse conscriptam. Quod si verum est, non potuit Sirmiensis Concilii tempore fieri. Nam princeps, ut jam diximus, actionis illius ac synodi Basilius Ancyranus fuit, isque finito Concilio cum Photino disputavit. Quod autem Sirmio tum abfuerit cùm ecthesis illa dictata est, è [a] Sozomeno probatur: qui refert Eudoxium, Acacium, & Vranium, cùm ab occidentalibus Episcopis Valente, Vrsacio, & Germinio formulam istam, qua de agimus, accepissent Osii subscriptione firmatam, ejus dogma, in quod ipsi cum Aëtio consentiebant, audacter ac palam divulgare cœpisse. quod indignè ferens Georgius Laodicenus, certiorem de tota re Basilium ac reliquos Ancyranæ synodi præsules fecit; ut & ipsi in synodica sua

[a] *Lib.* 4. *c.* 12.

testantur. Quare non videtur illius formulæ conscius fuisse Basilius. Quippe ab solis occidentalibus Episcopis dictata, ad orientales deinde missa pervenit ; ut ex Sozomeno colligitur.

Quinetiam illius inscriptio, quæ apud Hilarium, Athanasium, & Socratem legitur, satis indicat eam à paucis Episcopis, non à plena synodo profectam. Hilarius enim hoc ei lemma præscribit: *Exemplum blasphemiæ apud Sirmium per Osium & Potamium conscriptæ.* Tum sic eadem incipit: *Cùm nonnulla putaretur esse de fide disceptatio, diligenter omnia apud Sirmium tractata sunt & discussa, præsentibus sanctissimis fratribus & coëpiscopis nostris Valente, Vrsacio, & Germinio.* quod exordium Græcè itidem apud ceteros extat. Quare paucis, uti dictum est, ab Episcopis condita est hæc fidei professio, non ab generali synodo. Longè enim aliter Sirmiensis Concilii ecthesim proponit & inscribit Hilarius eodem in libro de synodis. *Exemplum*, inquit, *fidei Sirmio ab orientalibus contra Photinum conscriptæ.* Hîc ab orientalibus hoc est plena in synodo scriptam ait Sirmiensem illam formulam, alteram nonnisi ab uno alterove. Ad hæc Hilarius idem, postquam secundam hanc Sirmiensem ecthesim & Ancyrani contra illam

Concilii decreta proposuit, ita loquitur: *Dignum autem est conscientia communi etiam ceteras eorundem Episcoporum orientalium diversis & locis & temporibus conscriptas fides noscere &c.* quæ postquam præfatus est, duas, non ampliùs, formulas describit, alteram Sardicensis synodi, alteram Sirmiensis contra Photinum. Hanc verò commemoraturus, ita scribit: *Consequens est autem ut eam nunc fidem retractemus quæ non olim tunc cùm Photinus episcopatu dejectus est conscripta est.* Itaque Sirmiensis hæc formula diverso vel loco vel tempore ab ea conscripta esse debet quæ secunda Sirmiensis dicitur. At loco diversa non est. Tempore igitur diversa sit oportet. Huic argumento, quod ex Hilarii testimonio petitur, robur addit sanctus Vigilius, & opinionem nostram adstruit, dum in libro quinto adversùs Eutychem duos illos conventus Episcoporum atque synodos distinguit, unam orientalium, qui contra Photinum apud Sirmium collecti sunt, quos catholicos appellat, eorumque decreta commendat, alteram Episcoporum aliquot, ut Osii, Valentis, Vrsacii, Germinii, & aliorum, quibus universos ait orientales Episcopos contrariis restitisse decretis. Sed Vigilii verba, quibus egregiè id quod volumus affirmat, melius est adscri-

bere. De Ancyrana itaque orientalium ſynodo contra ſecundam Sirmienſem formulam habita ſic ille ſcribit. *Deinde adversùs ſacrilegam impiæ profeſſionis unitatem, quæ per Oſium, Valentem, Vrſatium, & Germinium, ceteroſque ſimilis pravitatis apud Sirmium fuerat conſcripta, univerſi orientales Epiſcopi convenientes, alias, id eſt, duodecim ſententiarum definitiones ediderunt, quæ Nicæno Concilio non continentur.* De Sirmienſi porrò Concilio, in quo Photinus poſtremò damnatus antea fuerat, hæc ſubjicit: *Illius verò catholici Concilii apud Sirmium contrà Photinum ex toto oriente congregati quis ſufficiat multiplices fidei ſanctiones comprehendere, quæ apud Nicænam ſynodum, quia talis rei neceſſitas fuerat nulla, non ſunt omnino ſancita: quæ nullus fidelium audet reſpuere aut cunctatur recipere qui non vult cum Photino anathematis eorum ſententiæ ſubjacere.* Hæc Vigilius: quæ non aliunde quàm ex Hilarii libro de ſynodis accepit. Hic enim Ancyranæ ſynodi ab Semiarianis præſide Baſilio habitæ decreta prædicat & commentario illuſtrat; quæ etiam duodecim numero refert, totidem anathematiſmis expreſſa, quæ cum auctoribus ſuis orientalibus Epiſcopis pro catholicis amplectitur. Cùm autem Hilarius decreta iſta condidiſſe *orientales Epiſcopos in unum congrega-*

tos absolutè scripserit, Vigilius putavit omnium orientalium concursu celebrem fuisse synodum illam. In quo falsus est. Pauci enim convenerunt, hoc est, numero duodecim, quorum nomina synodicæ Ancyranæ subscripta sunt apud [a] Epiphanium. Non enim plena fuit ista synodus, sed provincialis duntaxat, & per occasionem dedicandæ apud Ancyram basilicæ collecta; ut ipsimet testantur in synodica sua. Inter hos Episcopos nominatur Eustathius Sebastenus; quem sanctus Basilius Cæsareensis Episcopus [b] in epistola ad occidentales illi ipsi Ancyranæ interfuisse synodo & cum hæreticis *homoüsion* damnasse scribit. qui locus [c] in septima synodo citatur. Hæreticos igitur istos fuisse scivit qui hæc meliùs è propinquo nosse potuit Basilius. Quamquam nulla litera extat in illorum anathematismis ac synodica tota quæ τὸ ὁμοούσιον condemnet. Sed quia τὸ ὁμοιούσιον præcisè receperunt, suppressa mentione alterius, pro hujus damnatione Basilius istud habuit. Nisi fortè altera quæpiam apud Ancyram celebrata synodus est in qua nominatim damnatum sit τὸ ὁμοούσιον. quod ego non puto. Itaque vera est, ut opinor, conjectura nostra.

a *Hær.* 73. *n.* 11.

b *Epist.* 74.

c *Pag.* 390. *edit. Rom. Græcolat.*

Sed ut ad Vigilium revertar, perpicuum est Ancyranam ab eo synodum, iti-

dem ut ab Hilario, dici contra Osii & aliorum blasphemam formulam celebratam fuisse. Est hæc verò, ut sæpe docui, secunda illa Sirmiensis professio quam in diversa synodo ab ea quæ Photinum damnavit editam esse mox idem Vigilius indicat, dum hanc synodum orientalium contra Photinum, *catholicum Concilium* appellat; cujus sanctiones collaudat, similiter atque Hilarius, & alii quidam veteres perinde ac recentiores fecerunt. At illum cœtum Episcoporum qui secundam apud Sirmium professionem condidit, hæresis & impietatis arguit. Hujus conventiculi & impiæ professionis ab Osio non tam editæ quàm vi ac suppliciis extortæ meminit Fœbadius Aginnensis, ubi hanc synodum appellat. Ex quo perperam aliqui concludunt Sirmiensem ab eo contra Photinum intelligi synodum. Sed errant. Synodus enim qualiscunque conventus Episcoporum interdum dicitur. cujusmodi tum profectò fuit, quando Constantii potentia & tyrannide freti Ariani nefariam ab Osio fidei formulam extorserunt. de qua vide, si lubet, quæ in Epiphanianis Animadversionibus notavimus.

Dissolvuntur argumenta contra nos opposita.

Satis pro opinione nostra disputatum est hactenus. Vnum illud restat argumentum quod ex illorum temporum historia

duci invictum putatur à quibusdam adversùs Socratis aliorumque veterum sententiam, quæ Sirmiensi postremæ contra Photinum synodo præfinit annum Christi CCCLI; quam nos ab recentioribus haud meritò damnatam ac verissimam esse monstravimus. Qui enim potuit, inquiunt, Sirmii jussu Constantii celebrari tum ulla synodus, cùm Pannonia, cujus opidum illud est, à tyrannis obtineretur? Nam post Constantis obitum (qui ineunte contigit anno CCCL.) Magnentius in Galliis & Italia, Vetranio in Pannonia, cui præerat, dominatum arripuerunt. Sed accurata notatio temporum istorum inane hoc esse irritumque docebit.

Constans enim Constantii frater à Magnentio tyranno cæsus est, & Magnentius ipse tyrannidem invasit anno ineunte Christi CCCL, decimoquinto Cal. Febr. Coss. Sergio & Nigriniano; ut Idatius in fastis, Socrates, Sozomenus, [a] aliique narrant. Magnentius Gallias, Italiam, & Africam obtinuit; eodemque anno Vetranio, qui peditum magisterio præditus Illyricum curabat, imperium & ipse usurpavit apud Sirmium Calendis Martii, ut ait Chronicon Alexandrinum. Ex quo castigandus est Idatii codex, qui Calendas Mai notat, errore librariorum,

[a] *Zosim. 2. Victor in Cæs.*

qui literam *i* pro *r* posuerunt. Hunc enim scribit in Cæsaribus Victor eis mensem decimum in ordinem redactum esse ab Constantio. quod VIII. Cal. Ian. accidisse testis est Idatius; apud quem etiam perperam id confertur in annum eum qui inscribitur *Post consulatum Sergii & Nigriniani*, & est Christi CCCLI. Nam istud evenit antecedente anno, Coss. Sergio & Nigriniano, decimo mense nondum expleto ab Martio. Vetranione summâ potestate ita, uti diximus, exuto, Constantius Illyricum obtinuit. At sequente anno (qui fuit Christi CCCLI.) Magnentius IV. Cal. Octobris ut refert Idatius, ad Mursam Illyrici opidum victus est à Constantio, & anno deinde tertio, Christi CCCLIII. apud Lugdunum sibi necem conscivit. Quocirca anni CCCLI. majori parte, hoc est, prioribus mensibus, & ab Octobri deinceps, Illyricum in potestate fuit Constantii, potuitque Sirmii Episcoporum habere conventum.

Cùm igitur Vetranione dejecto Constantius Sirmii moras faceret, ac Photinus in eadem urbe nefariam vulgaret hæresim, Ariani Episcopi, quos in comitatu semper habebat Constantius, ut pro catholicis sese gererent, atque ab hæresi alienos se esse monstrarent, Imperatori

persuadent ut Sirmium ex orientis partibus Episcopos cogeret. quod ab illo factum esse anno ipso CCCLI. testatur Socrates. Neque verò constat quot illic Episcopi fuerint. Sed illud certum est, pauciſſimis exceptis, orientales omnes fuisse. Socrates Valentem solum Mursorum Episcopum nominat & Osium Cordubensem. Sed de Osio fallitur, ut in Animadversionibus ad Epiphanium ostendimus. Causſa autem erroris hæc illi fuit, quòd aliam fidei formulam, quæ in eadem urbe postea decreta est, Osius subscriptione sua probare coactus est. quam quidem in Sirmiensi Concilio quod adversùs Photinum celebratum est publicatam esse falsò arbitratus est Socrates. Quamobrem Sirmiensis illa synodus orientalium fuit Episcoporum. Vnde sanctus Hilarius libro de synodis fidem quæ tum illic publicata est expositurus, ita præfatur: *Exemplum fidei Sirmio ab orientalibus contra Photinum conscriptæ.*

Cur autem plerique omnes, qui tum Sirmii convenerunt, orientales essent, ac præter unum alterumve nullus occidentalium accesserit, nulla fingi causſa potest alia nisi quòd occidentem, hoc est, transalpinas regiones, & Italiam Magnentius occupabat. Nisi causſa hæc fuisset, ac si Constantius occidentem in ditione

sua tenuisset, quis dubitat quin Sirmii, quæ urbs occidentalis erat imperii, habitam synodum frequentiores ex occidente celebraturi fuerint Episcopi? quemadmodum Arimini postea factum, & antea, Sardicæ. Atque hoc non leve est argumentum quo Magnentianis temporibus indicta illa synodus ostenditur.

Hilarii locus ex fragmentis illustratur, in quo de Photino agit ac synodis contra eum factis. unde pleraque eorum probantur quæ iisdem de rebus observavimus.

CAPVT III.

CVM ex Hilarii potissimùm fragmentis expressa sint ea quæ de Photini damnatione synodisque contra ipsum habitis capite primo docui, visum est ipsius locum integrum hic exscribere, ut singulorum probationes in promptu habeantur; quibusdam additis scholiis, quibus velut radiis illustratus, planus legentibus ac facilis occurrat: quem alioqui desperatæ obscuritatis esse, ac neque verbis neque sententiis cohærere, docti quidam homines arbitrati sunt.

HILARIVS.

Supereſt ut quid de Marcello & Photino geſtum ſit, pauciſſimis dicam. Photinus Sirmienſis Epiſcopus fuit à Marcello imbutus. Nam & Diaconus ſub eo aliquandiu fuit. Hic corruptis innocentiæ moribus ac diſciplinis, turbare evangelicam veritatem perſiſtebat novis prædicatibus. Et hoc ita ſæpe eſt, ut cùm incrementa vitiorum detrimenta in amore Dei fecerunt, veſanum depravatæ ſcientiæ ſtudium increſcat. [a] *Igitur ad tollendum ex epiſcopatu Photinum, qui* [b] *ante biennium jam in Mediolanenſi ſynodo erat hæreticus damnatus, ex plurimis provinciis congregantur ſacerdotes,* [c] *hoc magis ſoliciti atque anxii, turbari rurſum miſcerique omnia, quòd jampridem plures Epiſcopos reos vel falſorum in Athanaſio judiciorum vel communionis hæreſis Arrianæ ab Eccleſia fuerat neceſſe reſecare.* [d] *Quam opportunitatem nacti Urſacius & Valens, Romanæ plebis Epiſcopum adeunt, recipi ſe in Eccleſiam deprecantur, & in communionem per veniam admitti rogant. Julius ex conſilio veniam, quam orabant, impertit, ut cum lucro catholicæ Eccleſiæ, vires quoque detraheret Arrianis, cùm eos qui unitatem antè turbaverunt conſilii hujus & audaciæ pœnitentes in communionem catholicam per veniam reconciliatæ pacis admitteret. Et quia non eſt niſi de*

Pag. 23. edit. Pariſ. anni 1598.

veritate confessio, nisi de vitio pœnitentia, nisi venia de admisso, Valens & Vrsacius admittendi, ut orabant, in communionem, de Athanasii innocentia, de judicii falsitate, de Arrianæ hæresis piaculo talibus literis antè profitentur.

Sequitur libellus quem suapte manu Valens perscripserat, & Vrsacius subscripserat, Iulio Papæ oblatus.

PERGIT HILARIVS.

[a] *Hæc epistula post biennium missa est quàm hæresis Photini à Romanis damnata est.*

Sequitur libellus alter Valentis & Vrsacii post aliquantum temporis à superiore ad Athanasium & Episcopos missus.

HILARIVS.

Superioribus igitur literis datis venia indulgetur, orantibus reditus ad catholicam fidem cum communione donatur; maximè cùm Sardicensis synodi veritatem ipsæ orantium veniam literæ continerent. [f] *Verùm inter hæc Sirmium convenitur. Photinus hæreticus comprehensus, olim reus pronuntiatus, & à communione jampridem unitatis abscissus, nec tum quidem per factionem populi potuit* * *admoveri.* [g] *Sed idem Athanasius Marcellum, qui post recitationem libri quem scriptum ediderat (nam hunc quoque*

* cor. amoveri, vel admoveri.

nos

nos habemus) sententia synodi Sardicensis episcopatui erat redditus, ubi quædam alia nova miscere sensit, & ambiguis prædicationibus ejus in quam Photinus erupit doctrinæ viam quærere, à sua communione separavit anteriore tempore quàm Photinus arguitur, præventam judicio meditationem corruptæ voluntatis ostendens, & non ex libri editione condemnans. Sed quia promptum est ex bono malum efficere, præbuit non illis in Marcellum quæ gesta antea fuerant, sed his quæ in Photinum gerenda erant, auctoritatem. Illud autem esse cognitum cunctis oportet, nullam unquam adversùs Marcellum, præter eam quæ Sardicensibus est dissoluta sententiis, deinceps synodum fuisse contractam, [h] *neque huc unde Photino decretum ab occidentalibus est, & ad orientales est relatum, aliquod in eum expressum fuisse judicium. Sed homines mente callidos, ingenio subtiles, malitia pertinaces occasionem revolvendi ejus quod Athanasii absolutione est dissolutum quæsiviisse judicii, & rescribentes de Photino, Marcelli mentionem, velut institutionum talium magistri, addidisse, ut mortuam de Athanasio ipso jam tempore quæstionem & veritatis judicio consepultam in publicam recordationem causæ novitas excitaret, & subrepens per Photini damnationem Marcelli nomen inveheret. Extat autem in superiore epistulæ corpore, Marcellum ab Arrianis occasione libri*

quem de subjectione Domini Christi ediderat, unà cum Athanasio fuisse damnatum. Docetur etiam recitatione ejusdem libri innocentem deprehendi: falsitatem quoque judicii Arriani, extantis adhuc libri fides arguit. [i] *De Photino autem, sicut mos poscebat, ad orientales epistulæ fiunt, non injuria extorquendi, ut nunc agitur, adsensum, sed instruendæ universorum scientiæ consuetudine. Sed cur abnegatæ Marcello communionis Athanasius reus esse rescribitur? Numquid propter libri vitium Marcellus abstentus est? Testes ipsi sunt ex institutis ejus Photinum perversitatis istius initia sumpsisse. Nam negata sibi ab Athanasio communione, ingressu sese Ecclesiæ Marcellus abstinuit. Ita communio cum eo in ista fide de subjectione traditione regni docet* * *negata rursum pravitate doctrinæ alterius ostendit. At sic utrumque viri istius judicium caret culpa, cùm in data communione synodi sit assecutus assensum, in abnegata verò, ipso se Marcello abdicante solo, sine ulla synodi auctoritate.*

SCHOLIA.

[i] IGITUR *ad tollendum*] Hîc Sirmiensem synodum intelligit priorem à catholicis obitam, utpote cujus opportunitatem consectati Valens & Vrsacius ad Ecclesiam redierunt, oblatis libellis tam Iulio Papæ quàm Athana-

sio. Id autem fecerunt anno Christi CCCXLIX. paullò ante Constantis obitum, qui ineunte CCCL. accidit. Atque Sirmiensis secunda non ante annum CCCLI. celebrata est. Diversa igitur ab hac illa fuit eodem in oppido peracta.

[b] *Ante biennium.*] Ergo anno CCCXLVII. brevi post Sardicensem tempore, & eodem anno. Mediolanensis autem ista perperam cum altera confunditur quæ anno CCCLV. ab Arianis Constantii auctoritate fretis est habita: in qua complures Episcopi catholici relegati sunt, & inter alios Liberius Papa. Contigit autem ut & Mediolanensis una synodus biennio ante Sirmiensem priorem fieret & post Mediolanensem alteram, biennio itidem Sirmii conventus Episcoporum aliquot haberetur, non contra Photinum, sed ad novam fidei condendam formulam, quam Sirmiensem de tribus secundam esse demonstravimus. Quæ res nonnullis imposuit ut Sirmienses plures synodos in unam conflarent, Mediolanenses itidem plures in eandem Mediolanensem.

[c] *Hoc magis soliciti*] Ergò catholici erant, non Ariani, ut in secunda Mediolanensi.

[d] *Quam opportunitatem nacti*] Florentibus catholicorum rebus, & Athanasio Constantis opera restituto, Valens & Vrsatius ad Ecclesiam redire conati sunt, primùm post Sardicensem synodum, ubi damnati erant, oblato libello in Mediolanensi catholicorum synodo, deinde Romæ, Iulio Papæ. quod ex ipsorum epistola priore ad Iulium data & Athanasii apologia secunda colligitur.

[e] *Hæc epistola*] Falsò hæc Hilarii verba referas ad tempus illud quod postremam Sirmien-

sem synodum, in qua depositus est Photinus, excepit; præsertim si ea anno CCCLVII. facta est. Nam neque à Romanis in ista damnatus est, sed ab orientalibus & hæreticis; neque post eandem Vrsatius ac Valens resipuisse ac libellos istos dedisse leguntur. Adde Iulium Papam, cui prior libellus porrectus est, anno CCCLII. decessisse. Biennio ergo post Mediolanensem priorem, uti primo capite interpretati sumus, ad Ecclesiam reditum impetrarent.

[f] *Verùm inter hæc*] Redit ad inchoatam paullò antè narrationem de Sirmiensi synodo *ad tollendum ex episcopatu Photinum*, quam interposita Valentis & Vrsacii historia nonnihil abruperat. In ea synodo priore Sirmiensi damnatus est Photinus; sed episcopatu pelli minimè potuit, quòd propter eruditionem & facundiam, qua in utraque lingua pollebat, vulgo esset acceptus. Hoc est quod ait, *per factionem populi amoveri* non potuisse.

[g] *Sed idem Athanasius*] Huic historiæ suffragatur Severus Sulpicius libro II. Sed mirum videtur Athanasium nihil in libris suis ejusmodi de Marcello significare. Nam eum potiùs ubique sublevat, & ab Arianis immeritò ac per calumniam accusatum esse contendit; ut in apolog. I. & in epist. ad Solitarios. Verùm in [a] oratione quadam, cujus inscriptio est *Quod unus sit Christus*, Marcellum cum Paulo Samosateno conjungens ideo reprehendit quòd Christum nudum hominem esse dixerit ac servum, nec adoratione dignum. Sed oratio ista, meo quidem judicio, Athanasii non est. Nam & stilus ipse ab Athanasiano diversus est, ac multò elegantior. tum apertè hypostases in Trinitate tres agnos-

[a] *Pag. 518 Tom. I Athan. Commel.*

cit, quibus quartam à Marcello & Samosateno adjectam queritur hominis Christi. Atqui sæpius unicam in divinitate hypostasim tuetur Athanasius. Postremò, quod ad rem magnopere facit, Athanasii epistola ad Solitarios, in qua Marcellum luculenter excusat, eique catholicæ fidei testimonium præbet, multò posterior est eo tempore quo Marcellum eundem ab Athanasio communione multatum Hilarius ac Severus indicant. Quippe post Liberii relegationem lapsumque scripta est, hoc est, post annum CCCLVII. qui undecimus fuit à Sardicensi synodo. Epiphanius hæresi LXXII. n. IV. refert percontanti sibi aliquando de Marcello quid sentiret, Athanasium dubiè respondisse, ac ne respondisse quidem, sed nutu solo ac risu levem de eo suspicionem indicasse. quo sanè contentus esse non potuit, si eum aliquando propter hæresim communione sua privasset. Quocirca valde mihi perplexa videtur, credo & prudenti cuivis, ista Hilarii & Sulpicii narratio. Quæ si vera est, tum illa sanè Athanasii in Marcellum animadversio medio tempore Sardicensem inter & Sirmiensem priorem tempore accidit, hoc est, inter annum CCCXLVII. & CCCXLIX. In eo verò laborat Hilarius, ut ab Athanasio damnati Marcelli invidiam repellat. Etenim quòd unà cum ipso in integrum restitutus erat in Sardicensi synodo, ac subinde tamquam hæreticum ab communione segregasset, Sardicensis auctoritatem visus est minuere; quemadmodum postea ob tria capitula ab Iustiniano & Quinta synodo damnata Calchedonensis synodus labefactari visa est & ejus acta rescindi. Quæ res catholicos plerosque contra Constantinopolita-

nam illam synodum armavit. Ejusdem enim generis utraque fuit quæstio. Sed Hilarius negat eadem de caussa damnatum ab Athanasio fuisse Marcellum ob quam ab Arianis primò depositus, ab Sardicensi deinde restitutus erat. Verùm illic de libro quodam ab eo contra Asterium edito controversiam omnem extitisse, quem Ariani deteriorem in partem acceperant, Athanasium verò propter quædam privatim, ac citra librum illum, ab eo sparsa, quæ occultum virus redolerent, eundem ab communione rejeciisse.

[h] *Neque huc unde Photino*] Sirmiensis prioris synodi patres nihil contra Marcellum decreverant, ulla vel levi suspicione perstrinxerunt. Sed orientales ipsi acceptis occidentalium literis, ita quod contra Photinum actum illic erat approbarunt ut cum Photino etiam Marcellum eadem damnatione conjungerent; quò sibi viam munirent ad opprimendum Athanasium, qui in eadem cum illo caussa esse videbatur, utpote damnatus cum eo pariter in Constantinopolitana synodo, & in Sardicensi restitutus.

[i] *De Photino autem*] Notetur hic locus. Nam Sirmiensi priorem synodum apertè & ab occidentalibus celebratam, & iis catholicis, ostendit.

Hæc ad Hilarii verba commentari voluimus, ex quibus appareret consequentem illius esse loci sententiam, neque mutilum hunc & inextricabilem videri, ut quidam existimant.

IACOBI SIRMONDI
DIATRIBA SECVNDA,

Examen continens dissertationis quam de Photino hæretico ejusque damnatione Dionysius Petavius in lucem nuper dedit.

Singulis capitibus singula respondent.

CAPVT PRIMVM.

De multiplici damnatione Photini, & novis synodis quas nupera dissertatio introducit.

1. DIVERSAS quinque synodos in quibus damnatus sit Photinus repertas à se vel notatas dissertationis auctor enumerat. Non spernenda nec indigna scitu observatio, si vera est. Sed quis errorem in eo non statim deprehendit quòd primam Photini damnationem imperante adhuc Constantino factam putat? Enimvero damnari Constantino regnante Photini hæresis qui potuit si exorta nondum erat, si post Constantini ex-

cessum, Constantii demum temporibus, ipsius qui loquitur testimonio nata est? Epiphanii verba sunt, ipso interprete, Photinum ἕως τῶν Κωνσταντίου, Constantio imperante infelix doctrinæ suæ lolium disseminasse. Sub Constantio igitur emersisse Photinum censuit Epiphanius. Hoc verò ampliùs Socrates quòd annum quoque ipsum, si attendimus, propemodum designavit, dum Photini exordia inter utramque synodum Antiochenam defixit. Nam cùm priorem in Encæniis anno Constantii Principis quinto, Christi CCCLI. peractam fuisse constet, exinde post biennium posteriorem, quid verisimilius quàm ut Photini hæresis ex Socratis sententia vel anno Christi CCCXLII. prodiisse dicatur cum Baronio, vel CCCXLIII. cum Sigonio.

Socrat. lib. 2. c. 4.

De occid. imp.

II. Ceterùm ut de anno fortasse aliqua sit controversia, de auctore nostro nulla esse potest quin errarit ad Constantini tempora referens quod ad Constantiana pertinebat, falsòque de Constantinopolitana synodo anni CCCXXXVI, conjectarit damnatum in ea cum Marcello fuisse Photinum, quia de Marcello quidem & [a] Socrates & [b] Sozomenus & qui synodo interesse potuit, ac post illam mox scripsit, [c] Eusebius Cæsariensis &

a *Lib. 1. c. 24.*
b *Lib 2. c. 31.*
c *Lib 2. cont. Marc. c. 4.*

ceteri consentiunt, de Photino autem, quòd in ea damnatus sit, nemo hactenus somniavit præter ipsum. Photinum sanè unà cum Marcello synodica sententia perstrictum aliquando fuisse nescii non sumus, sed non ante synodum secundam Antiochenam, à qua damnati ambo reperiuntur in formula fidei pluribus verbis expressa, quæ ideo μακροστιχος appellata est. Audiat & ὀροχίαν suam miretur qui primam damnationem Photini falsam & frivolam commentus sit, veram & germanam non observaverit. Sic enim in ea synodo Arriani Episcopi loquuntur apud Athanasium. Βδελυσσόμεθα ἢ καὶ ἀναθεματίζομεν τοὺς Χριστὸν μὴ πρὸ τῶν αἰώνων θέλοντας, ἀλλ' ἐπ' ἐκείνου Χριστὸν αὐτὸν γεγονέναι καὶ υἱὸν τοῦ θεοῦ ἐξ οὗ τὴν ἡμετέραν σὰρκα ἀνείληφε: τοιοῦτοι δέ εἰσιν οἱ ἀπὸ Μαρκέλλου καὶ Σκοτεινοῦ τῶν ἀγκυρογαλατῶν. *Abominamur præterea & anathemate damnamus eos qui Christum non ante secula fuisse contendunt, sed ex eo tempore eum Christum & filium Dei factum fuisse ex quo nostram carnem de virgine assumpsit. Tales sunt discipuli Marcelli & Scotini ab Ancyra Galatiæ.* *Apol. 2. pag. 691.*

III. Scotinumne pro Photino appellarit synodus, ut est apud Athanasium, an Photinum, ut habet Socrates, nihil moror. Scotinum etiam per ludibrium à *lib. 2. c. 15.*

Pag. 264. Lucifero Calaritano dictum in eo libro constat cui titulus est *De non parcendo in Deum delinquentibus.* Hoc contendo, primum omnium de Photino synodicum judicium istud esse numerandum quod dixi, antiquius illud certè synodo Sardicensi. quod ex Sulpitii Severi verbis quæ citantur consequi non negarim. Sed in confusa eo loco & distorta Severi oratione quàm certum est falsò tradi Episcopos apud Sardicam Constantini jussu congregatos, qui ab ejus filiis decimo post mortem patris anno congregati sunt, tam minimè dubium falli & errare duplici nomine virum doctum, tum quòd absentis Athanasii damnationem, cujus meminit Severus, ad synodum Antiochenam pertinere velit, cùm ad Tyriam referenda sit, quia licèt absens in utraque damnatus sit, in Tyria tamen sola sub Constantino, tum quòd objectam Athanasio participatæ cum Marcello & Photino communionis accusationem alieno loco apud Severum connumerari non sentiat, cùm exploratum sit è duobus judiciis quæ in Athanasium per Arrianos facta sunt in Concilio Tyrio & Antiocheno, neutri hunc accusationis titulum competere. In Tyrio enim falsis de Ischyra & Arsenio criminibus damnatus est, in Antiocheno crimi-

Pag. 466. differt.

ni datum quòd priſtinam ſedem, unde ſynodali, ut aiebant, judicio pulſus fuerat, ſine Epiſcoporum auctoritate repetiiſſet. De recepto autem ad communionem Marcello aliiſque Arrianorum ſententia damnatis in Sardicenſi demum ſynodo ab Arrianis inſimulatus eſt, quod ex ipſa illorum ſynodica in Hilarii fragmentis obſervare eſt. Quare ad ſynodum Sardicenſem ſpectabat hæc accuſatio, & alieno, ut dixi, loco apud Severum prolata eſt. Falſum igitur in prima ſua Photini damnatione multiſque modis hallucinatum auctorem diſſertationis hactenus oſtendimus. Nunc ad reliquas pergamus.

IV. Poſt hæc in Sardicenſi Concilio iterum fuiſſe damnatum auctore aſſerit Epiphanio, qui Photinum narrat ἀπὸ δὲ ἐν τῇ σαρδικῇ δυτικῆς συνόδου καθηρῆσθαι, *in Sardicenſi occidentali ſynodo depoſitum.* Ac ne ambiguum foret, quia ſecedentibus apud Sardicam Arrianis ſynodus bifariam diviſa eſt, ab utra parte damnatum intelligeremus, à catholicis damnatum affirmat, & hoc addit ipſe de ſuo. Itane verò, ut damnatum à catholicis eo judicio Photinum credamus in quo an catholicorum quiſquam ſederit incertum, hæreticus omnium conſenſu præfuit & primas partes *Pag. 466. diſſert.*

egit Semiarrianorum princeps Basilius Ancyranus ? Credet hoc affirmanti qui volet, nobis non persuadebit. Porrò cùm damnati episcopatuque dejecti Photini nulla in Sardicensibus actis fit mentio, & quæ de Photini exauctoratione deque Basilii cum Photino disputatione ab Epiphanio tamquam Sardicæ gesta memorantur, eadem omnia Sirmiensem ad synodum pertinere scriptores alii fidem faciant, parum perspicacem videri oportet eum qui Epiphanium, quod alii pridem monuerunt, memoria lapsum hoc loco synodo Sardicensi tribuere quod Sirmiensi congruebat, cassamque & inanem auctoris observationem jacere non videat.

V. Tertia, inquit, Photini condemnatio in Concilio facta est Mediolanensi, non in illo pervulgato anni CCCLV. de quo nos Hilarii fragmenta interpretabamur, sed in altero quod statim post Sardicense ab Episcopis catholicis eodem ipso anno celebratum vult persuadere. De Hilarii verbis, utri faveant, postea videbimus. Nunc mirificam ipsam ejus synodum contemplemur. Mediolani ait Episcopos qui Sardicæ nuper fuerant (Quos enim alios dicere habeat ?) iterum congregatos. Quis hoc indulgeat, duas uno anno synodos tam diffitis in locis & tam

diversarum provinciarum Episcopis imperatas? Non omnes, inquit, ad Mediolanensem acciti sunt, sed soli catholici. Quorsum hi præcipuè? Vt Photinum condemnarent? Atqui Sardicæ à catholicis, si ei credimus, proximè fuerat condemnatus. Quid igitur opus fuit eosdem iterum Mediolani, ut actum agerent, nova synodo fatigari? Tam immemor est sui ut quid paulò antè scripserit non recordetur, tam securus nostri ut obliviscí nos posse confidat? In hac præterea synodo Arrianæ sectæ quatuor Episcopos Demophilum, Macedonium, Eudoxium, & Martyrium interfuisse docet, Arriique perfidiam damnare noluisse. Quis hoc rursus credi ab eo potuisse non miretur? Quæro enim aliumne censeat hunc esse Demophilum, alium Macedonium, & alium Eudoxium quàm quorum subscriptiones in Sardicensi Arrianorum synodica leguntur, Demophili à Beroë, Macedonii à Mopsuestia, Eudoxii à Germanicia. Quòd si hos ipsos esse non negabit, edicat, si potest, undenam tanta istorum tam repentina mutatio, ut qui proximè apud Sardicam, ne cum catholicis coirent, secessionem fuga fecerant, iisdem nunc, iidem nunc eosdem, ut eorum Concilio intersint, Mediolanum usque consecten-

Pag. 467. dissert.

Hilar. frag. lib. 2. c. 28.

tur? Si edicere non potest, incredibilia & falsa hæc esse confiteatur. Habet tamen unde vera esse confirmet, Liberii Papæ ad Constantium epistolam, in qua narrat octavo antè anno quàm scriberet, hoc est, ut ipse ratiocinatur, anno ipso synodi Sardicensis CCCXLVII. Episcopos istos, cùm ad Mediolanum Arrii sententiam hæreticam noluissent damnare, de Concilio iratis animis exiisse. De hac ergo nos epistola quid statuemus? Errare hic etiam illum & falso niti principio, qui scriptam ponat anno CCCLV. cùm anno superiore scriptam non vanis argumentis evicerit Baronius, tum cùm indicta synodus nondum erat, cujus impetrandæ gratia legati cum epistola mittebantur, ut cùm in Galliis adhuc ageret Constantius, quem indè postea in Italiam sub exitum anni CCCLIV. ad hiberna descendisse auctor est Ammianus Marcellinus, proinde hunc verum & legitimum esse annum epistolæ Liberianæ. Ad hos ergo annos octo quos numerat Liberius si regrediare, conventus occurret Mediolanensis, non quo anno statuebat dissertatio, sed anteriore CCCLVI. ac tum plana & liquida fluent omnia. Nam & Eudoxium colegasque Episcopos, qui ab orientalibus legati, ut Socrates &

Socrates lib. 2. c. 15.

Sozomenus tradunt, μακρόστιχον illam fidei formulam in Italiam attulerant, Mediolani tunc adfuisse nihil erit absurdi. Et cùm Athanasium eodem quoque anno Mediolanum Romæ Constantis Principis accitu venisse atque inde in Gallias profectum Sardicam ad synodum unà cum Hosio contendisse Athanasii ipsius ad Constantium apologia demonstret, liquet profectò Mediolanensem istum qui fuit Episcoporum conventum, de quo scribit Liberius, Sardicensi, contrà quàm amico nostro visum est, non successisse, sed antecessisse. Quare nihil illi ad suum istud Concilium Liberii epistola suffragata est. *Sozomen. lib. 3. c. 10.* *Pag. 526.*

VI. Videamus an opis plus afferet altera synodi Ariminensis, quæ Vrsatium & Valentem in Concilio Mediolanensi ad communionem receptos testari videtur. Quamquam enim non in Concilio sed sub tempus Concilii receptos emendatiora habeant exemplaria, ὅτε ἐν Μεδιολάνῳ τὸ συνέδριον ἡ συνόδου συνεχροτεῖτο, atque hoc ipsum in eam epistolam irrepsisse per errorem videri possit ex Valentis & Vrsatii ad Iulium epistola, in qua libelli abs se apud Mediolanum oblati meminerunt, tametsi nec synodum ibi tunc fuisse nec ad pacem se receptos

significent, quia tamen in Concilio receptos ipse atque suum hoc Concilium Mediolanense id esse omnibus nervis contendit, hic enimvero quod de aliis quatuor Episcopis antea quærebamus percunctari denuo libet, quàm verisimile arbitretur duos istos Arrianorum principes & antesignanos, qui pro facinoribus suis à synodo Sardicensi dejecti proximè fuerant & communione privati, ad frugem tam subitò conversos advolasse Mediolanum ibique communionem sine mora recepisse? Sed receptos prorsùs non fuisse fallique qui aliter sentiant manifestum est. Etenim si à Mediolanensi, ut volunt, synodo fuerant in integrum restituti, si cum Ecclesia catholica redierant in gratiam, quid est quòd biennio post Concilium illud narrat Hilarius Vrsatium & Valentem Romanæ plebis Episcopum adiisse, *recipi se in Ecclesiam deprecantes, & in communionem admitti rogantes?* Quid quòd recitatis illorum literis subjungit: *Venia indulgetur orantibus, reditus ad catholicam fidem cum communione donatur.* An ignorare potuit Hilarius veniam illos à Concilio impetrasse si revera impetrarant, & qui recipi se in Ecclesiam rogabant, nondum receptos se non satis ostendebant? Quid ergo est quòd contra horum confessionem

'*Pag.* 469. 470. 473. 476. *dissert.*

Lib. 2. *frag. pag.* 24.

nem & contra Hilarii dilucidam relationem argutari nunc libet illos in Concilio Mediolanensi cum Ecclesia catholica in gratiam rediisse, postea cum Athanasio &, quod addi debuit, cum Iulio Papa reconciliatos? Sed Iulii nomen pudore suppressum est, ne in Ecclesiam eos receptos dicere videretur quibus cum Ecclesiæ capite communio nondum esset. Et tamen hoc intelligi necesse est si re vera sunt quæ dicit. Ceterùm de Valente & Vrsatio, quo tempore quove impulsu ad pœnitentiam adducti sint, nemo certiùs noverat, nemo libentiùs audiendus est quàm Athanasius, qui nec priorem hanc Romana resipiscentiam istorum ullam agnoscit, & hujus ineundæ occasionem non ex ficta synodo Sirmiensi, quæ etiamsi fuisset, ad causam nihil attineret, sed ex frequenti Episcoporum passim, tum maximè Syrorum & Palæstinorum, ad Athanasii communionem gregatim redeuntium concursu natam refert, cùm de rebus suis jam desperarent, & stimulis acti conscientiæ remedia conquirerent. Quare satis, opinor, hoc etiam ex capite Mediolanensis hujus Concilii tertiæque in eo Photini damnationis vanitas patefacta est.

Apol. 2. pag. 602. ad Solitar. pag. 699.

VII. Quartò præterea damnatum facit in synodo Sirmiensi, non illa celebri & nota

sub Constantio, sed altera quàm Constante superstite à catholicis occidentalibus habitam fabulatur. Consequens erat nimirum ut qui futilem Mediolani synodum procuderat, frivolam quoque nobis daret Sirmitanam. Quid ita verò? Quia Hilarius in fragmentis scribit biennio post damnatum in Mediolanensi synodo Photinum Episcopos ad illum tollendum ex episcopatu Sirmium convocatos. Porrò Sirmii anno CCCXLIX. conveniisse ob adnexam ab Hilario Valentis & Vrsatii reconciliationem non dubitat. Ideo Mediolanensem synodum Hilarii, suam esse putat, quam biennio antè collocavit. Nos simpliciores Mediolanensem accipiebamus quam Mediolanensem omnes vocant & anno CCCLV. celebratam loquuntur historiæ. Itaque de hoc nunc capite inter nos est controversia. Quo autem argumento ecquam synodum Hilarius intelligat certiùs cognoscemus quàm ex Photini damnatione, quam in synodo factam docet? At nunquam ostendet adversarius de Photino in ea quam fingit ullam fuisse mentionem, quia de synodo illa præter ipsum nemini unquam subolevit. Nos in vera & omnibus nota Mediolanensi hæreticum damnatum fuisse Photinum ex synodi ipsius actis
An. 355. ostendemus. Extat enim & ecclesiasticis

annalibus indita est Concili hujus epistola ad Eusebium Vercellensem his verbis.

Concilium Mediolanense Eusebio fratri in Domino salutem. Non ignorat carissima nobis dilectio tua quàm sit pretiosum vinculum caritatis & pacis. Et post alia de legatis ad eum missis: *Itaque sinceriſſima prudentia tua, quod specialiter & sinceriter admonemus, audiat supradictos, & communicato pariter cum his consilio definiat quod de nomine hæreticorum Marcelli & Photini necnon & Athanasii sacrilegi totus propè definivit orbis, ne non tam veritati quàm intentioni parere videaris &c.*

VIII. Post tam expressi testimonii auctoritatem dubitationi locus quis esse potest? Ac mirum profectò viri docti oculos fugere hanc epistolam potuisse, aut si vidit, qua de synodo Hilarius ageret, quamve post biennium Sirmii coactam diceret, non percepisse, ne in Vrsatii & Valentis pœnitentia illudi sibi ab Hilarii fragmentis, quæ alieno hanc loco recitant, pateretur, & in eruenda è parietinis, ut ait, ruderibusque nova Sirmii synodo frustra laboraret. Quàm multa sunt enim & quàm aperta quæ commenti hujus inanitatem refellunt? Nam ut omittam synodo isti, si Athanasio Alexandriam reverso & Vrsatio & Valente in gratiam receptis habita est, ut fingitur, punctum temporis in quo

Pag. 470, differt.

habita sit, ante Constantis obitum, qui sub ipsum Athanasii reditum incidit, adsignari nullum posse, fallitur haud dubiè cùm id quod ab Hilario dictum est, Athanasii de abstento Marcello judicium damnationi Photini auctoritatem præbuisse, de hac synodo sua dictum interpretatur; quasi hærere in hac synodo potuerint Episcopi occidentales, aut aliorum exemplum ad damnandum Photinum desiderare, quem ipsi jam Mediolani, si verum est, ante biennium condemnarunt. Verùm hoc tamen amici causa dissimulemus.

Lib. 2. frag. pag. 16.

IX. Quæro igitur ecquando ab Athasio factum censeat hoc judicium. Num ante reditum Athanasii? At ridiculum est Athanasium à communione sua quemquam priùs quàm sedem suam reciperet exclusisse. An verò post reditum? Et quantulum ante Constantis obitum tempus fuit, si tamen fuit, ut de Marcello judicare Athanasio liceret? Posteriùs ergo, interjecto, ut Severus ait, tempore judicavit, sed priùs tamen quàm Photinus argueretur; auctoritatemque, quod testatur Hilarius, præbuit, non subditiis auctoris nostri synodis, sed veris certisque Conciliis Mediolanensi atque Sirmiensi, quorum in utroque damnatum reipsa Photinum fuisse compertum est. Fallitur rursum vehe-

menterque hallucinatur ubi maximè sibi placere ac synodum suam egregiè stabilire visus est, cùm decretum occidentalium de Photino, cujus meminit Hilarius, ad suam istam synodum & annum Christi CCCXLIX. transferri posse arbitratur. Quo certè absurdius alieniusque fingi nihil potuit. Quid enim? Annon testis Hilarius orientales hoc accepto decreto occasionem revolvendi de Athanasio quæsiisse judicii; & rescribentes de Photino, Marcelli mentionem ut institutorum talium magistri addidisse ut mortuam de Athanasio ipso jam tempore quæstionem & veritatis judicio consepultam in publicam recordationem causæ novitas excitaret? Quis hæc autem anno CCCXLIX. convenire non posse, si verum amat, non fateatur, ut quo tempore Athanasii suam in sedem redeuntis læta & tranquilla erant omnia, ejusque communionem certatim universi & integræ synodi atque ipsi etiam Arrianorum principes expetebant, eo ipso agitasse in Athanasium consilia & odia exercuisse credantur, & quo sensu mortua ipso jam tempore quæstio dici potuit, si non interquieverat, si nullo tempore cessarat?

Pag. 473. 474. 475. *differt.* *Lib.* 1. *pag.* 27.

X. Alia igitur ad tempora spectent Hilarii verba necesse est, ad illa inquam tem-

pora Constantii quibus, post cædem. Magnentii pacatis bellis civilibus, Arrianorum in Athanasium furor renovatus est. Tunc enim revera negatæ Marcello communionis damnatique Photini occasionem nacti, astuto, ut scribit Severus, consilio innoxium criminosis miscentes, damnationemque Photini & Marcelli & Athanasii eadem sententia comprehendentes, eandem ad Athanasii condemnationem catholicos Episcopos primùm in Arelatensi Concilio anno CCCLIII. tum biennio pòst in Mediolanensi, & deinceps quandiu Constantius vixit, adigere conati sunt, & vi ac minis plurimos impulerunt. De Mediolanensi perspicua res est. Tres una ibi damnatos Concilii ad Eusebium epistola nos docuit. Ad Arelatense referenda est, quæ idipsum confirmat, Paulini Episcopi responsio: de qua Severus Episcopos laudans qui Arrianis non cesserunt, *inter quos*, inquit, *Paulinus Episcopus Trevirorum oblata sibi epistola ita subscripsisse traditur, se in Photini atque Marcelli damnationem præbere consensum, de Athanasio non probare.* Cetera prætermitto.

FINIS.

INDEX.

A

Abderrhamen Sarracenus. 382
Abraamius Diaconus. 365
Abrahamus Cretensis excusatur. 425
Adoratio imaginum vetita. 385
Adscriptitii quomodo ordinandi. 442
Advocatio secularis seu Comitum. 430
Ætas significat magnitudinem sive staturam. 90
Æthiopis baptismus. 265
Africani canones. 223. & seqq.
Africanorum Conciliorum series. 228
Africani Episcopi leviter in comitatum proficiscebantur. 433
Agenda celebrare. 251
Agri olim divisi inter duces & milites. 74
Aizonis Gothi proditio. 382
Alexandrinus Episcopus Æthiopiæ consulebat. 111
Alypius Episcopus Tagastensis. 242
Anastasius Episcopus Romanus. 277. 284
Anathema post mortem. 297
Anatolius Patriarcha C P. 230
Ancyranæ Ecclesiæ dedicatio. 481. 489.
Ancyranum Concilium. 458. 482. 489. canon XVI. explicatus. 436.
Anniversarii dies martyrum. 269
Antiochia metropolis orientis. 200. Consulebat Ecclesiis Indiarum. 111
Antiochena synodus. 195. 198. 466. 502
Antonius Abbas S. Mariæ de Regali. 412.
Antonius Archiepiscopus Athenarum. 405
Apostaticis conversis an reconciliatio neganda. 267
Apostolorum etymologia. 116. Cur instituti. 117. Pares Petro. 126. & seqq. Et inter se. 56. 115. Eorum potestas explicatur. 102. & seqq. His solis commissa sunt mysteria religionis. 88. Eorum nomina. 116
Apparitio judicum non censetur pœnæ loco. 319
Appellatio ad Imperatorem. 180.
Appellationum controversia cum Afris. 217. 233
Arabes periti syderum. 47
Aræ Cæsaris in Pyrenæo. 382
Arausio. 449

Arnaldus Vicecomes Levitanenſis. 398
Aſpæ vallis. 399
Aſſenſum extorquere. 496
Athanaſius Epiſcopus Alexandrinus. 466. & ſeqq.
Ejus cauſa retractatur. 163
Ei quædam oratio abjudicatur. 498
Athenarum ducatus. 408
Atticæ leges pleræque ex legibus Moſis detumptæ. 16
Aturrus fluvius. 394
Audientes. 439
Avenio. 449
Auguſtinus emendatus. 33
Aurelius Epiſcopus Carthaginenſis. 230
Auſona capta ab Aizone. 382
Recepta. 383
Azenarius Prior S. Chriſtinæ. 398

B

Babylonica captivitas. 26. & ſeq.
Bagneriarum vicus. 401
Balſamo caſtigatus. 286. 439
Baptiſmus voti & flaminis. 267. An negandus ſcenicis & hiſtrionibus. 268. An dare poſſint laici. 98
Baptiſmus ægrotorum qui pro ſe reſpondere non poſſunt. 263. 265
Baptiſmus parvulorum quomodo admiſſus à Pelagianis. 310
Barcino capta à Francis. 381
Baronius caſtigatus. 299. 435
Barpanther Ioachimi pater. 21. & ſeqq.
Bartholomæus Epiſcopus Elnenſis. 412
Baſilius Epiſcopus Ancyranus. 180. 182. 458. 482. 506.
Beatrix Comitiſſa Bigorræ. 395. 399
Bellicadrum. 449
Bernardus Abbas Scalæ-Dei. 396. & ſeqq.
Bonus homo Epiſcopus Conſeranenſis. 400
Bullæ Paparum. 69
Butyri copia apud Campanum. 394

C

Cælestii cauſam defendit Zoſimus. 346
Cæſarienſis Epiſcopus ordinabat Eccleſias majoris Armeniæ. 111
Cainanus ſecundus apud Lucam. 43. & ſeqq.
Callagurris, patria Quintiliani. 379
Campanum municipium. 394
Canones Apoſtolorum. 212
Canonum collectiones antiquæ. 201
Capuanum Concilium. 285
Caput Aturri. 395
Carthago metropolis Africæ. 227
Caſuum privilegiatorum origo. 364
Catalonia regno Francorum accedit. 444
Cathedra una conſtituta in Eccleſia. 125
Cathedra epiſcopalis. 270
Cathedra principalis non eſt

relinquenda. 289
Causæ communes & dubiæ referendæ ad sedem Petri. 59. 65. 259. 337
Censuales tabulæ. 25
Centullus II. Comes Bigorritanus. 395. & seq.
Centullus III. Comes Bigorritanus. 400
Cephas. vox Syriaca. 121
Chalcedonensis canon XXVIII. rejectus à Rom. Ecclesia. 219. 222
Chananææ regionis divisio. 74. 76
S. Christinæ monasterium. 398
Claves Ecclesiæ datæ omnibus Apostolis. 57. Petro datæ quid significent. 114
Clavis scientiæ tributa Paulo. 63. 68
Clericatus honore abuti non oportet. 83
Clericorum nomen vetus. 73. & seqq. Eorum & laicorum discrimen. 92. Dupliciter inspici possunt. 360. Eorum immunitas unde. 361. Vbi ordinandi. 442. Olim evocati ad testimonium dicendum. 279. 281. Si Episcopo suo insidiati fuerint. 358
Clericis accusatis annus concessus ad diluendum crimen. 294
Clerici damnati non defensentur ab Ecclesiis quibus præfuerunt. 282
Cœlibatus clericorum. 286
Cognomina gentilitia. 22
Communio laica & peregrina. 369. & seq.
Communio Rom. Ecclesiæ necessaria ad salutem. 59
Concilia generalia quando celebrari cœpta. 207. Eorum frequentia. 181
Concilii tempus fixum & certum. 291
Concilii I. CP. canones tres olim rejecti ab Ecclesia Rom. 219. & seqq.
Condriacum. 449
Constans Imp. moritur. 471. A Magnentio cæsus. 491. Laudatur. 476
Constantinopolis, nova Roma. 219
Consultationum usus. 335. 337
Continentiæ necessitas in Christianis. 98
Convenarum urbs. 376
Convictus & confessus pro judicato habetur. 294
Cresconii collectio. 218. 226
Crimina clericorum alia ecclesiastica, alia civilia. 361
S. Cucufatis monasterium. 381
Curiæ tradi quid sit. 358
Curiales in clerum adsciti. 366
Curiositas, id est, cura. 289

D

Dæmoniaci. 438
Damasi Papæ epistola ad Paulinum. 193. 196
Damnare non licet inauditum. 342
Decimas Deus dedit tribui Leviticæ. 76

Decreta Principum unde dicta. 339
Defensores Ecclesiarum. 430
Pauperum. 431
Degradatio clerici. 371
Delicta privata & publica. 362
Desiderius Presbyter Gallus. 378
Deportati amittunt libertatem. 368
Despotynorum traditio. 9. & seq.
Diana laudatus. 54
Dimissus vel dimissa alteri non conjungantur. 301
Dionysii Exigui collectio. 211
Dionysius Episcopus Mediolanensis. 452
Diospolitanum Concilium. 329
Diptycha sive libelli Ecclesiæ. 297
Discipuli Christi. 115
Dithici, vox incognita. 199
Dispensationum usus in Ecclesia. 418. 428. & seq.
Dominicus Seguierius Episcopus Meldensis. 419
Donatistarum sævitia. 277. machinationes. 283. Redeuntes ad catholicam quomodo recipiendi. 285. 303
Dormire inter medios cleros. 75

E

Ecclesia est plebs sacerdoti adunata 114. Ejus status est monarchicus 60. 105. Ejus soliditas super Apostolos constituta. 127. Corpus divisum in clericos & laicos. 72
Ecclesiæ publicæ. 442
Ecclesiæ consecrandæ cum de earum consecratione dubitatur. 290
Ecclesiæ res non alienandæ sine consilio Primatis. 288
Ecclesiasticus ordo in tres gradus dividitur. 101
Ecclesiastici, id est, ministri Ecclesiæ. 84
Elevari quid significet. 270
Eleusius Episcopus Cyzicenus. 482
Energumeni. 436. 439
Enuptio extra tribum vetita. 16
Epiphanius castigatur. 505.
Episcopatus exordium sumpsit à Petro. 109
Episcopi substituti in locum Apostolorum 112. Ab Apostolis instituti. 90. Quales constituendi. 184. Olim plures in una Ecclesia. 66. & seq. 71. Eorum est docere plebem. 378. Sunt judices controversiarum fidei. 334 Olim in se suscipiebant litigatorum arbitria. 278. Intercedunt pro oppressis. 430. & pro damnatis. 367. Bona sua quibus conferant. 296. A publicorum judiciorum cognitione semper immunes. 362. Eorum causæ quomodo definiendæ. 215. Hodie judicantur à delegatis Papæ 363. Damnati provocant

ad Imperatorem. 180
Episcopus proprius. 247. 251. 269. 440
Episcopi ordinandi examen. 273
Episcoporum cathedra. 270
Equalata. 383
Equitius Episcopus damnatus. 283
Eros Episcopus Arelatensis. 329. 331. 346. & seqq.
Esdræ libri apocryphi. 38
Evangelia proposita in Conciliis. 71
Eucharistia domum delata. 98
Eudoxius Arrianus. 482
Eusebius Episcopus Dorylæi. 221
Eusebius Episcopus Vercellensis. 452. 513
Eustathius Episcopus Sebastenus. 483. 489
Excommunicationis genus duplex. 349
Executores publici. 301

F

FAustinus Legatus Rom. Ecclesiæ. 223. 233
Felicis Vrgellitani hæresis. 385
Felix Episcopus Selemselitanus 251
Feminæ non censentur in genealogiis. 42
Ferrandus Diaconus Carthaginensis. 218. 226. 241
Fidei ratio ceteris articulis præfulgere debet. 300
Fides Regi debita. 446
Fiterii monasterium. 401
Florentini Concilii locus. 416. 423. & seqq.
Fœbadius Aginnensis. 490
Formulæ Sirmienses. 478. & seqq.
Forto de Vico. 395
Fratres uterini non sunt inter agnatos. 10. & seq.
Fratris defuncti viduam frater superstes ducere debet. 6. 10. 12
Frontinacense vinum. 450
Fundamentum Ecclesiæ Christus. 148

G

GAllia sola monstra non habuit. 375. Suis privilegiis utitur. 281. Ejus collectio canonum. 212
Galterus Abbas Morimundensis. 396
Gangrensi synodo an præfuerit Osius. 211
Genetlius Episcopus Carthaginensis. 224. 203
Georgius Episcopus Alexandrinus. 452. & seq. 482
Germinius Episcopus Sirmiensis. 181
Gignendi verbum quid significet apud Hebræos. 8. & seq.
Gothi, Gotholenses. 381. 385
Græcanicæ linguæ usus apud Iudæos. 116
Gratus Episcopus Carthaginensis. 217. 224. 230
Grotius laudatur. 117
Guillelmus Episcopus Aquensis. 400

H

HErodis furor in Christum. 51
Herſenius Epiſcopus Nicoſiæ. 412
Hieronymus emendatus. 376
Hilarii fragmentum illuſtratur. 494
Hipponenſis Concilii breviarium. 252. & ſeqq.
Hiſtriones ad fidem converſi. 282. An reconciliatio eis neganda. 267
Honoris gradus unde metiendus. 70

I

IAcobus Patriarcha C P. 403. 408
Iacobus Prior de Aſprano. 403
Ibas Epiſcopus Edeſſenus. 129. 365
Iberus fluvius. 382
Iechonias Ioſiæ filius. 34. 37. & ſeqq.
Ignatii epiſtolæ germanæ. 73
Ilerdenſium conjuratio. 445
Illyriciana diœceſis. 17. 381. Ejus ſynodi. 181. 184
Imaginum adoratio vetita. 385
Inauditus nemo damnandus. 342
Incardinare. 441
Indulgentiarum vis. 392
Infallibilitas Eccleſiæ. 152. Papæ. 417
Infantes baptizandi de quorum baptiſmo dubitatur. 290
Infanticidium Herodis. 52
Innocentius I. hæreſim Pelagianam primus condemnavit. 352
Interceſſor Eccleſiæ. 292
Interventor. *Ibid.*
Ioakim filius Ioſiæ. 35
Ioannis Bapt. reliquiæ. 403
Ioannes Bagotius. 414
Ioannes Garinus. 380. 386
Ioſephus Chriſti vitricus. 1. & ſeqq.
Iſidorus Hiſpal. & ejus collectio. 209. 359
Italicæ diœceſis caput Mediolanum. 166. 277
Iudæorum canon ſcripturarum anguſtior. 260
Iudices non poſſunt evocari ad teſtimonium dicendum. 281
Iudiciorum eccleſiaſticorum ordo antiquus. 295
Iulii Papæ obitus. 498
Iulius Africanus. 5. & ſeqq. 9. 13
Ius apoſtolicum Eccleſiis impoſitum. 278. 280

L

LAbeſitanum Concilium. 228
Laica communio. 369. & ſeq.
Laici ſunt pars corporis Eccleſiæ. 73. 85. Stabant in Eccleſia. 100. Multi beatiſſimi reperiuntur. 83
Laici ſacerdotium. 95

Lazarus Episcopus Aquensis. 329. 331. 346. & seqq.
Leges Principum non antecedunt judicia ecclesiastica. 353
Leodegarius Episcopus Augustodunensis. 363
Leontius Presbyter. 483
Lepra injusti criminis. 437
Levi nomen expugnendum apud Lucam. 13
Levitica tribus sola accepit munus sacrorum. 87. Nullos agros habuit. 76
Liberius Papa. 452. 470. relegatus. 497. Ejus epistola adversus Athanasium. 163
Libertas quomodo amittatur. 368
Lucæ dissidium cum Matthæo. 2. 13. 53
Lucifer Episcopus Sardiniæ. 452
Ludi theatrorum ne fiant die dominica. 278
Lugdunum. 448

M

MAbilia Comitissa Bigorritana. 397. 399
Magistratuum civilium cōmunio cum episcopatu. 184
Magnentius tyrannus. 491. & seq.
Magorum adventus ad Christum. 46
Malum ex bono efficere promptum est. 495
Manresæ oppidum. 382
Manumissiones servorum in Ecclesiis faciendæ. 282
Marcæ dignitates & res gestæ. 420. Ejus itinerarium in Galliam Narbonensem. 448
Marcellus Episcopus Ancyranus. 157. & seqq. 465. 474. 495. & seqq.
Marciani Vicecomitatus. 397. 399.
Marcus Arethusius. 454. 478
Mariæ matris Domini stemma. 14
Martialis illustratus. 379
Martyrum dies anniversarii. 269
Matrix Ecclesia. 289
Matthæi cum Luca dissidium. 2
Matthath nomen expungendum in Luca. 13
Matthias Apostolus sorte electus. 79
Maurorum in Hispanias irruptio. 384
Maximianus Episcopus Carthaginensis. 284
Maximianistæ divisi à Donatistis. 284
Mediolanum caput diœcesis Italicæ. 166. 277
Mediolanensis synodus. 156. 173. 176. 466. & seqq. 497. 506 508.
Meletius Episcopus Antiochenus. 198
Monspelium. 450
Montisserrati ædes sacra. 380
Mulieribus siniſtra data in Ecclesia. 70

N

NAtalis Imperatorum. 8
Nemausum. 49
Neopatriæ ducatus. 38
Nicænis canonibus solis utebatur Rom. Ecclesia. 202. & seq.
Nicæna secunda synodus excusatur. 385
Nuptiæ inter patruum & neptem an vetitæ. 20. & seq.
Nuptiæ secundæ interdictæ. 99

O

OBelo confixa quæ in Hebraicis codicibus non habentur. 44
Occitania. 450
Octavianum castrum. 381
Offerre quid significet. 98
Olivæ monasterium. 398
Optatus Milevitanus defensus. 125
Oratoria in possessionibus. 442
Ordinatio inter sacramenta. 92
Ordinationes absolutæ. 377
Ordinationum celebrandarum mysteria. 274
Ordo significat magistratus. 86
Osius Episcopus Cordubensis. 452. & seqq. An præfuerit Concilio Gangrensi. 211. Ejus lapsus. 155. 180. 182

P

PAlatini dicuntur qui militant in palatio. 84
Pannonia obtinetur à tyrannis. 491
Panther Ioachimi pater. 21. & seq.
Parium ecclesiasticorum sedes in Parlamento. 71
Parochiales tabulæ. 290
Paschæ etymon. 125
Paschæ dies quomodo intimandus. 291
Passiones martyrum legendæ. 269
Pater naturalis & legitimus. 6. 12. is est quem nuptiæ demonstrant. 42
Patria, id est, familia. 16
Paulinus Episcopus Antiochenus. 193. 196. 198
Paulinus Episcopus Nolanus. 377
Paulinus Episcopus Trevirensis. 452
Paulus à Christo ipso ordinatus Apostolus. 61 Fuit Romanus Episcopus. 65. & seqq
Paulus Samosatenus. 465
Pauperum sublevatio credita Episcopis 432
Pelagiana hæresis damnata. 307. & seqq.
Peregrina communio. 369
Peregrini sacerdotes. 378
Periculum proprium in canone Africano. 263. 265
Perpinianum. 403
Pertinaces malitia. 495
Petrus caput Apostolorum.

124. 126. 130. princeps collegii apostolici. 56. Ei primatus datus. 103. & seqq. Ecclesiæ personam repræsentavit. 114
Petri & Pauli societas. 54
Petrus de Alenia. 403
Petrus Comes Bigorræ. 395. 399
Petrus Episcopus Elnensis. 403
Phœniciæ fines. 200
Photinus Episcopus Sirmiensis. 157. & seqq. 453. & seqq. 465. & seqq. eloquens & eruditus. 498 Quando emerserit. 502
Phylarchæ. 118
Pœna civilis non potest infligi ab Ecclesia. 282
Pœnitentia an danda Presbyteris & Diaconis damnatis. 293
Pontificum successiones non sunt hereditariæ. 80
Porphyrius refellitur. 35
Praylius Episcopus Hierosolymitanus. 347
Presbyter proprius. 440
Presbyteri Cardinales. 441. parochiales. 414
Presbyteri ubi ordinandi. 442. Eorum est docere plebem. 378. Multi pereunt. 83
Primatus Petri. 132
Presbyterium. 67
Primianus Episcopus Carthaginensis. 284
Privilegium Petri fuit reale. 60
Privilegia Galliæ. 281
Privilegiatorum casuum origo. 364
Proprius Episcopus. 247. 251. 269. Sacerdos. 440
Prosper explicatus. 345
Provinciarum divisio inter Apostolos. 104. 111
Provocatio ad Imperatorem. 180

Q

Quintilianus patria Calagurritanus. 379

R

Raymundus Abbas Fiterii. 401
Raymundus de Burgo. 398
Raymundus Episcopus Elnensis. 403
Regis nomen pronuntiandum in Missa. 446
Relationum usus in Ecclesia. 195. 335
Res Ecclesiæ non sunt alienandæ sine consilio Primatis. 288
Riculfus Episcopus Moguntinus. 319
Riparius Presbyter Gallus. 378
Rivipullense monasteriū. 383
Romanæ Ecclesiæ communio necessaria ad salutem. 59
Romana synodus adversus Photinum. 158. 161. 164
Romani Pontificis auctoritas. 259. 286. 415. 417. 423 primatus. 132. 132
Rossius fluvius. 398
Rubricatus amnis. 382
Ruffinus Palæstinus. 311

S

SAcerdotes peregrini. 378
Sacerdotes ſoli de ſacerdotibus judicent. 363
Sacerdotium laici. 92. 95. 97
Sacramentum ordinationis. 92
Sagona. 449
Salathielis pater. 3
Samuel Petitus caſtigatur. 192. 196
Sardicenſis ſynodus. 158. 160. 169. 456. 460. 475. 479. Ejus canones continebantur olim ſub nomine Nicænorum. 202. 214
Scalæ-Dei monaſterium. 394
Scenicis an neganda reconciliatio. 267
Scotinus. 503
Scripturarum ſacrarum auctoritas. 259
Septuaginta editio depravata. 44
Servitutis pœna ob crimen admiſſum. 367
Sicoris fluvius. 382
Sigonius caſtigatur. 460
Silvanus Primas Numidiæ. 298
Sirmium opidum Pannoniæ. 465
Sirmienſis ſynodi tempus. 155. 178. 451. 473. 477. 496. 512.
Sirmienſis ſynodus ficta. 511
Sortis uſus apud veteres. 74. 79
Sors miniſterii. 82
Sortes ſanctorum. 81. Vandalorum. 75
Stemma Chriſti. 1. & ſeqq.
Sulp. Severus caſtigatur. 175. 504
Synodus, id eſt, conventus Epiſcoporum. 490
Synodus patriarchica. 292
Synodorum frequentia. 181

T

TAbulæ cenſuales. 25. parochiales. 290
Terraciæ caſtrum. 381
Tertullianus explicatur 97. Emendatur. 99
Theodoretus emendatur. 188. Ejus collectio canonum. 219
Thomas Archiepiſcopus Cantuarienſis. 370
Toloſa Palladia. 449
Tomus occidentalium. 192. 196
Tres faciunt collegium. 100
Tribus nomen ſignificatio. 16. & ſeq.
Tribuum duodecim diviſio. 74. 76
Turnonum. 449
Tutores teſtamento dati. 104
Tyria ſynodus. 504

V

VAlcherius Abbas Morimundenſis. 395. & ſeq.
Valens Epiſcopus Murſenſis excommunicatus 158. 165. 167.

167. & seqq. Veniam petit. 468. & seqq. Obtinet 165.167. & seqq. Quo tempore ad pœnitentiam adductus. 511
Valentia. 449
Valentinus Primas Numidiæ. 241
Vallensis pagus. 381
Vandalorum sortes. 75
Vdalricus Vicecomes Barcinonensis. 390
Venerius Episcopus Mediolanensis. 277
Verolensis abbatia. 401
Vetranio tyrannus. 491. & seq.
Vicus Aquensis. 401
Vicus Ausonensis. 383
Viduam fratris defuncti frater superstes ducere debet. 6. 10. 12.
Vienna. 449
Vigilantii patria. 374
Visitator Episcopus. 293
Vitalis Episcopus Aturensis. 400
Viva Comitissa Barcinonensis. 390
Vnitatis origo constituta in Petro. 56. Illius conservandæ cura ei commissa. 103. Ab omnibus servanda. 115. Quomodo violetur. 113
Vrbicaria diœcesis. 166
Vrsacius Episcopus Singiduni. *Vide* Valens.
Vterini fratres non sunt inter agnatos. 10. & seq.
Vvalterius Episcopus Aurelianensis. 441
Vvifredus pilosus Comes Barcinonensis. 381. & seq.
Vvillermus Archiepiscopus Auxiensis. 396. 400
Vvillermus Episcopus Bigorritanus. 395

X

XAntippus Primas Numidiæ. 243

Z

ZOnaras castigatur. 286. 433. 437
Zorobabel dux populi Iudaici. 8
Zosimi Papæ modus in damnando Pelagio. 355. Ejus epistola deperdita. 351. 355

Extrait du Privilege du Roy.

LE ROY par ſes Lettres patentes données à ſaint Germain en Laye le 29. Avril 1679. Signées LOVIS, & plus bas, *Par le Roy*, COLBERT, & ſeellées du grand ſeau de cire jaune a permis à Eſtienne Baluze Prieur de Beauvais, de faire imprimer *Les œuvres de feu Meſſire Pierre de Marca Archeveſque de Paris & Miniſtre d'Eſtat*, en un ou pluſieurs volumes, & autant de fois que bon luy ſemblera pendant le temps & eſpace de trente années, à compter du jour que chacun deſdits volumes ſera achevé d'imprimer pour la premiere fois ; Avec deffenſes à toute ſorte de perſonnes, autres que celuy ou ceux qui auront eſté choiſis par ledit Baluze, de les imprimer ou faire imprimer, vendre ny debiter pendant ledit temps, à peine de dix mille livres d'amende, de confiſcation des exemplaires contrefaits, & de tous deſpens, dommages & intereſts, comme il eſt plus à plein porté par leſdites Lettres.

Regiſtré ſur le Livre de la Communauté des Libraires & Imprimeurs de Paris le 19. *May* 1679. *Signé*, COVTEROT *Syndic.*

Et ledit ſieur Baluze a cedé ledit Privilege pour raiſon du Livre intitulé *Opuſcula Petri de Marca* à François Muguet Imprimeur & Libraire ordinaire du Roy, pour en joüir ſelon ſa forme & teneur.

Achevé d'imprimer pour la premiere fois le 21. *Ianvier* 1681.

ERRATA.

Pag. 52. *lin.* 20. *leg.* Sed quare rationem in eo facinore quærimus

Pag. 58. §. VI. *lin.* 12. *leg.* obſervavi

Pag. 74. *lin.* 2. *leg.* impendunt

Pag. 75. *lin.* 1. *leg.* ubi unicuique

Pag. 91. *lin.* 20. *leg.* munus.

Pag. 162. §. VIII. *lin.* 3. *leg.* quod

Ibid. lin. 7. *leg.* epiſtola

Pag. 167. *lin. ult. leg.* Ariminenſis

Pag. 181. §. IXXIII. *lin.* 9. leg. *Germinio*

Pag 190. *lin.* 14. *leg.* Cicero

Pag. 199. *lin.* 23. *leg.* ubi fit

Pag. 214. §. VI. *lin.* 6. *leg.* permiſcet

Pag. 225. *lin.* 23. *leg.* inferciit

Pag. 246. §. VII. lin. 14. leg. *Genetlius*

Pag. 255. *lin.* 14. *leg.* coincidere

Pag. 265. *lin.* 15. *leg.* objicit :

Pag. 269. §. VIII. *lin.* 2. *leg.* canonis

Pag. 274. §. III. *lin.* 1. *leg.* celebrati

Pag. 363. §. IX. *lin.* 11. *leg.* animadvertere

Pag. 416. §. II. *lin.* 2. *leg.* cœtum

7. C. 8.